IALE
VITT. EMANUELE
MA
– G
5 M

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

4
f
20

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

VIA ET RATIO VITÆ AD DEI CVLTVM IN SECVLO INSTITVENDÆ.

AVCTORE
R. P. BARTHOLOMÆO IACQVINOTIO
Societatis IESV.



PARISIIS,
Sumptibus SEBASTIANI CRAMOISY, Typographi Regij, viâ Iacobæâ, ſub Ciconiis.

M. DC. XXXVI.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO VIRO

PETRO SEGVIERO

FRANCIÆ

CANCELLARIO.

OFFICIIS *ſuis dignitatem tuam colent multi; ego, quod in te eſt optimum, teipſum (Vir Illuſtriſsime.) Malè te nouit, qui tibi de aduentitia illa dignitate gratulatur; illi, non tibi gratulari debuit; ſiquidem non per illam tu maior factus es, ſed illa per te. Hoc enim habent parua, quòd poſsint creſcere, magna non poſsint. Benè tamen nec indecorè tecum actum eſt, licèt non ſupra meritum; at me-*

lius cum Galliâ, licèt non ſupra votum. Quam enim ſpectabat in te virtutem, ſperabat ſibi in exemplum poni; te illi conceßit Rex optimus, & illo dono, quàm cordi ſibi eſſet Galliæ bonum, oſtendit. ſuo illa voto fruatur. Amabat quidem illa te, ſed non totum, magnam tui partem neſciebat, virtutes intimas, quæ cum rebus clarißimis id habent commune, vt nec latere poßint, nec planè peruideri. Has qui propiùs intueri ac penitiùs mentem tuam ingredi voluerit, ſi id poteſt incolumis, aciem ingenij ſui probabit. Sed tamen quoniam rudior ſolis informatio populis aliquando placuit, hanc etiam ſuarum virtutum non imaginem emenda-

Digitized by Google

tam, ſed inchoationem aliquam hoc volumine adumbratam Galliæ placituram putaui; ac vel ex hoc meo conatu magnam ab illo gratiam expecto, nam eius ſtudiis in re magna, ſibique chariſſima obſequi voluiſſe, magnum eſt. Vale. Lutet. Pariſ. anno Domini milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo ſexto, Calend. Januar.

Illuſtr. Amplit. T.

Deditiſſimus

SEBASTIANVS CRAMOISY.

Digitized by Google

PIO LECTORI
S. IN D.

LIBELLVS iſte, ſecundum alios eodem argumẽto complures prodit in lucem, alienæ potiùs quàm meæ voluntatis impulſu, de conſilio quorundam illuſtris ſanè conditionis, qui cùm à me ſæpiùs contendiſſent, id à meis tandem moderatoribus impetrarunt in ſpem inducti, quem ex illo ipſi fructum cepiſſent, ad cæteros pariter eſſe venturum. Librum hunc ſibi antea deſcribi curauerant, at tot mendis erratíſque perſperſum vt opus meum agnoſcere vix poſſem. imo & quidam zelo neſcio quo abrepti eumdem ita corruptum deformatúmque typis commendare ſtatuebant. quod iniucundum perinde mihi ac vobis, quorum vtilitatem ſpecto, infructuoſum extitiſſet. Ecce igitur illud ipſum opus, quod initio quidem perexiguum erat, nunc idem non mediocri auctum acceſſione officiorum, exercitationum, conſiliorũ, quę

Digitized by Google

experientia & vſus docebit tantum habitura facilitatis, quantum ei qui Chriſtiani honoris partibus defungi velit vtilitatis allatura. Quâ quidem in re id mihi propoſitum eſt, vt dum animo veſtro faciam ſatis, ſimul & veſtras commoueam voluntates, atque animi facultates vniuerſas, actionéſque ad normam legis diuinæ conformem. Dimenſos inibi dies habetis, ſuum hebdomadis, menſibus, annis, penſum, munúſque deſcriptum eſt, vſúſque præcipuarum virtutum definitus. Quin verba etiam ipſa expreſſi magno ſtudio pronunciãda, quę identidem inculco, vt eorum efficientia ad intimos animorum ſenſus peruadat. Faxit Deus vt huic quo liber inſcriptus, nomini, ſua vis conſtet, vobíſque ſit eiuſmodi via, quâ veſtro exemplo plerique ad virtutem ab improbitate deflectant, vos ipſi vanitate & vitio penitus abiectis, quibus implicati tot pereunt mortales, greſſus in planum apertúmque diuinorum mandatorum iter contendatis, & in eo conſtanter inſiſtatis, quoad tandem euoletis in cœlum, vbi cumulatiſſimam obſequij & officij veſtri mercedem hauriatis.

Digitized by Google

APPROBATIO R. PATRIS Prouincialis Franciæ.

EGo Petrus Cotton Præpoſitus Prouincialis Societatis Iesv in Prouincia Franciæ, iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Chriſtianiſſimis; Henrico III 10 Maij, 1583; Henrico IV 20 Decembris 1606; & Ludouico XIII nunc regnante, 14 Februarij 1611, conceſſum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab hominibus Societatis noſtræ compoſitos, abſque Superiorum eius permiſſione, imprimant; permitto Sebaſtiano Cramoiſy Pariſienſi Bibliopolæ Iurato, vt librum qui inſcribitur, *Via & ratio vitæ ad Dei cultum in ſeculo inſtituendæ. Auctore Bartholomæo Iacquinotio eiuſdem Societatis*, ad decem proximos annos imprimere, ac liberè diuendere poſſit. Datum Pariſiis 16 Aprilis, 1625.

Signatum, P. Cotton.

Digitized by Google

INDEX CAPITVM QVÆ IN HOC LIBRO continentur.

PROLVSIO quâ huius operis ſcopus & aditus explicatur.

Dei obliuio atque inſignis in ſeculo contemptus, §. 1. pag. 7

Excuſatio quam ſæculi homines ſuo virtutis contemptui prætexunt. §. 2. 11

Altera excuſatio è munerum occupationibus petita. §. 3. 14

Triplex ratio procurandæ ſalutis hoc libro explicata. §. 4. 19

Scopus huius artis & via. §. 5. 22

Cohortatio ad contemnendam ſæculi vanitatem. §. 6. 25

Precatio pro iis qui hanc procurandæ ſalutis artem legent. §. 7. 28

Digitized by Google

PARS PRIMA, SEV

RATIO GENERALIS AD excitandam animam, in veterno fallacium mundi cupiditatum iacentem, & faſtidium, odiúmque peccati illi pariendum.

INCITATVR *anima ad ſtudium ſalutis capeſſendum*. Cap. 1. *pag*. 30

Immoderata rerum creatarum ſtudia animum à Creatore non ſine beatitudinis æternæ iactura ſeiungunt. Cap. 2. 34

Rerum creatarum inanitas Deo oppoſita peccatorem damnat extremæ cæcitatis, cùm ſupremi boni in æternùm amittendi periculo coniuncta. Cap. 3. 36

Diuinarum perfectionum cognitio, & fides hominem liberiùs viuentem ad ſalutis ſuæ curam reuocare debet. Cap. 4. 40

Capitali mortis æternæ ſententia immoderatos omnes affectus Dei Verbum condemnat. Cap. 5. 47

Vita licentior, quæ ad mortem æternam incumbat, debet idcirco maximo odio haberi. Cap. 6. 51

Nimium quantum hominis intereſt vt prauos affectus exuat, cùm ſint tandem velit nolit amittendi. Cap. 7. 53
Extremum emendationis vitæ ad mortis horam differendæ periculum. Cap. 8. 56
Conſideratio malitiæ peccati qua eius odium concitetur. Cap. 9. 61
Alia conſideratio è ſingularibus lethalis apud inferos pœnis. Cap. 10. 67
Beatitudinis cupiditas odium peccati debet afferre. Cap. 11. 72
Praxis vtiliſsima ad immoderatum omnem affectum comprimendum. Cap. 12. 76
In virtutis via verum eſſe fontem ſinceræ voluptatis. Cap. 13. 84

PARS SECVNDA.

SEV

RATIO GENERALIS AD excitandam animam, in veterno fallacium mundi cupiditatum iacentem & faſtidium, odiúmque peccati illi pariendum.

FORTITVDINEM *ſalutifero virtutis deſiderio coniunctam neceſſa-*

riam eſſe ad illius adeptionem. Cap. 1. 92.
Duodecim effata præcipua virtutis. Cap. 2. 96.
Magis peculiaria monita de cuiuſlibet diei cura ad tenendum inchoatæ virtutis inſtitutum. Cap. 3. 98
Primum matutini temporis munus. Cap. 4. 101
De oratione mentis ſeu meditatione, déque neceſſaria ad eandem præparatione. Caput 5. 104
De intellectus munere in meditatione. Caput 6. 107
De voluntatis actibus ad meditationem neceſſariis. Cap. 7. 110
De colloquio meditationem claudente. Caput 8. 114
Monita quædam meditationi vtiliter obeundæ accommodata. Cap. 9. 116
De meditandi argumento. Cap. 10. 123.
Vſus harum meditationum. Cap. 11. 128
Monita ad finem cuiuſque menſis. Cap. 12. 131
Cauenda ad poſtremos dies Octobris. Caput 13. 135
De auguſtiſſimo Miſſæ ſacrificio. Cap. 14. 143

Digitized by Google

Præparatio ad ſacrum benè audiendum. Cap. 15. 146
Quid ab initio ſacri vſque ad hoſtiæ ſubleuationem faciendum. Cap. 16. 148
Quid obſeruandum ſit dum extollitur SS. Sacramentum. Cap. 17. 150
Monitum matribus familias quibuſdam. Cap. 18. 153
Preceptio in matrimonio tenenda, & monita quædam de habendo vitæ inſtituendæ delectu. Cap. 19. 157
Obſeruatio ante & poſt adhibitas epulas tenenda. Cap. 20. 161
Contra otium & immoderatas occupationes. Cap. 21. 163
De congreſsibus; quid in illis obſeruandum. Cap. 22. 167
Rationes boni ſermonis inducendi. Cap. 23. 171
Exemplum occaſionis ſeu primæ rationis inſtituendi ſalutaris in congreſsibus ſermonis. Cap. 24. 173
Chriſtianæ Religionis veritas authoris ſui comprobata. §. 1. 177
Chriſti diuinitas humanæ ipſius naturæ imbecillitate confirmatur. §. 2. 180
Paradigma quæſtionis, ſeu ſecundæ rationis fructuoſæ in congreſsibus in ſermonis

inducendi. Cap. 25. 187
Prophetiæ in Chriſto comprobatæ. §. 2. 190
Paradigma illationis, ſeu tertiæ rationis honeſti in congreßibus ſermonis adhibendi. Cap. 26. 196
Animæ immortalitas probatur ex communi populorum conſenſu, &c. §. 1. 198
Animam cùm ſit materiæ expers immortalem eſſe oportet. §. 2. 202
Noſtræ & belluarum animæ diſcrimen immortalem nobis, iis mortalem animam eſſe confirmat. §. 3. 208
Exemplum narrationis. Quarta ratio praui ſermonis in congreſſu cum meliore commutandi. Cap. 27. 218
Hiſtoria duplex mirabilis, quarum recens vna, vetus altera qui poſt obitum extiterunt. §. 1. 219
Hiſtoriæ prodigiis ſimiles de lamiis quibuſdam. §. 2. 225
Rationes aduerſus atheos è natura petitæ. §. 3. 229
Rationes politicæ aduerſus atheos. §. 4. 236
Rationes aduerſus atheos ex homine ipſo petitæ. §. 5. 246
Rationes à Medicis acceptæ aduerſus peruicaciam impiorum. §. 6. 250

Digitized by Google

Continuatio earumdem è medicina in atheos rationum. §. 7. 255

Præcipua quædam ad confirmandam ſpirituum veritatem rationes. §. 8. 260

Extraordinarij morbi cauſarum naturalium efficientiam ſuperantes idem confirmant. §. 9. 265

Alia probatio è morbis cum miraculo ſanatis. §. 10. 271

Argumentum è cœleſtibus prodigiis aduerſus atheos aſſumptum. §. 11. 275

Superioris & huius temporis athei. §. 12. 278.

Theologica contra impietatem atheorum argumenta. §. 13. 281

Eadem continuantur argumenta. §. 14. 286

Sancta de diuinitatis veritate Philoſophia. §. 15. 293

Propoſitionis exemplum, ſeu quintæ rationis ad malos ſermones ſubſtitutis melioribus excludendos. Cap. 28. 300

Regum noſtrorum Edictis decretiſque ſupremarum Curiarum vſuræ omnino prohibentur. §. 1. 303

Quo ſenſu Reges noſtri & ſupremi Senatus, pro centum v. g. libris certam fœnoris rationem definierunt. §. 2. 306

Cur tutoribus damnum æſtimetur pupillis, quorum bona in quæſtum non contulerint præſtandum. §. 3. 312

Legitima ratio quæſtus è pecunia ſaluis Dei legibus faciendi. §. 4. 315

In triplici quam explicuimus pactione contrahenda, ſufficere vnica poteſt quæ trium interpretationem & vim adæquet. §. 5. 323

Commendantur atque ſuadentur quinque illæ boni ſermonis inducendi rationes. §. 6. 327

Orationis iaculatoriæ vſus. Cap. 29. 329

Quadruplex exercitatio ſingulis diebus adhibenda. Cap. 30. 336

Secunda exercitatio quotidiana. Cap. 31. 338

Tertia exercitatio. Cap. 32. 342

Quarta exercitatio in B. Virginis cultu ponenda. Cap. 33. 344

Animi collectio ante cœnam maximè curanda. Cap. 34. 346

De triſtitiâ. Cap. 35. 349

De patientia. Cap. 36. 351

Præſentiſſimum in rebus aduerſis leuamentum. Cap. 37. 357

Conſolatio iis propria quæ animo affliguntur. Cap. 38. 361

Cauſa

Cauſæ propter quas Deus iuſtum permittit animo afflictari. Cap. 39. 367
De lætitia bene temperata. Cap. 40. 371
De iracundiæ moderatione. Cap. 41. 374
Remedia aduerſus iram. Cap. 42. 377
De vero amore qui vitioſo aduerſatur. Caput 43. 380
Quilibet Deum venerari debet nocte concubiâ priuſquam ſe quieti dedat. Cap. 44. 384
Conſcientiæ examen. Cap. 45. 387
De confeßione. Cap. 46. 390
Inter confitendum obſeruanda. Cap. 47. 396
Duodecim Canones conſcientiæ. Cap. 48. 398
De pœna impoſita poſt Confeßionem ſubeunda. 411
De propoſito emendationis poſt generalem Confeßionem. Cap. 49. 414
Propoſitum vitæ ſanctioris poſt Confeßionem concipiendum. 415
De ſancta Communione. Cap. 50. 416
Sex conſiderationes ad communionis diem. Cap. 51. 420
Quid agendum ſit circa Communionis tempus. Cap. 52. 423
Agenda poſt Communionem. Cap. 53. 425

Digitized by Google

Vſus proximarum meditationum ſuadetur. Cap. 54. 428

PARS TERTIA.

VARIÆ MEDITATIONES in ſingulos dies menſis diſtributæ.

Meditationes primæ Hebdomadæ.

DIE *Lunæ, de fine, propter quem homo conditus eſt.* 435
Die Martis, de beneficiis diuinis. 440
Die Mercurÿ, de peccatis. 444
Die Iouis, de morte. 448
Die Veneris, de iudicio. 454
Die Sabbati, de pœnis inferorum. 460
Die Dominica, de gloria cœleſti. 466

Meditationes ſecundæ Hebdomadæ.

Die Lunæ, de myſterio Incarnationis. 474
Die Martis, de Beata Virgine viſitante Eliſabeth. 478
Die Mercurÿ, de Chriſti ortu. 484
Die Iouis, de Magorum adoratione. 490
Die Veneris, de Chriſto in templo oblato. 495
Die Sabbati, de Baptiſmo Chriſti, & eius

tentatione. 501
Die Dominico, de glorioſa Chriſti Transfiguratione. 508

Meditationes tertiæ Hebdomadæ.

Die Lunæ, de octo beatitudinibus. 516
Die Martis, de oratione Dominica. 521
Die Mercurij, de diuite epulone, & decem Virginibus. 525
Die Iouis, de Magdalena & Samaritana. 533
Die Veneris, de Paralytico in Piſcina ſanato: déque cæco ab ortu ſuo. 544
Die Sabbati, de parabola Decoctoris, & altera eius qui ab Ieruſalem in Iericho deſcendebat. 551
Die Dominico, de Lazari, filij viduæ Naimiticæ, & filia Archiſynagogi Iairi reſurrectione. 559

Meditationes Quartæ Hebdomadæ.

Die Lunæ, de inſtitutione Sanctiſſimi Sacramenti. 567
Die Martis, de paſſione in vniuerſum. 578
Die Mercurij, de geſtis in Oliueto. 587
Die Iouis, de iis qui in domibus Annæ, Caiphæ; Herodis & Pilati contigerunt. 596
Die Veneris, de geſtis in via & monte

Digitized by Google

Caluariæ. 607

Die Sabbati, de ſublato è Cruce, & ſepulto Chriſto, déque matris doloribus. 620

Die Dominico, de Reſurrectione & Aſcenſione Chriſti Domini: déque Spiritus ſancti miſsione. 627

Meditationes aliquot ad explendum menſem.

Meditatio, de nobilitate Animæ pro primo die menſis, quando in Dominicam cadit. 641

Meditatio, ad comparandam Dei præſentiam. 644

Meditatio, de coniunctione Animæ cum Deo. 648

Meditatio, de ſignis coniunctionis cum Deo. 652

Meditatio, in qua Anima totam ſe Deo permittit. 657

Meditatio, in qua Anima Deo ſe totam deuouet, & conſecrat. 661

Operis concluſio ad Animam piam. 666

Digitized by Google

PIO LECTORI
S. IN D.

LIBELLVS *iſte, ſecundum alios eodem argumento complures prodit in lucem, alienæ potiùs quàm meæ voluntatis impulſu, de conſilio quorundam illuſtris ſanè conditionis, qui cùm à me ſæpiùs contendiſſent, id à meis tandem moderatoribus impetrarunt in ſpem indulti, quem ex illo ipſi fructum cepiſſent, ad cæteros pariter eſſe venturum. Librum hunc ſibi antea deſcribi curauerant, at tot mendis erratíſque perſperſum vt opus meum agnoſcere vix poſſem. imo & quidam zelo neſcio quo abrepti eundem ita corruptum deformatúmque typis commendare ſtatue-*

Digitized by Google

bant. quod iniucundum perinde mihi ac vobis, quorum vtilitatem ſpecto, infructuoſum extitiſſe. Ecce igitur illud ipſum opus, quod initio quidem perexiguum erat, nunc idem non mediocri auctum acceſſione officiorum, exercitationum, conſiliorum, quæ experientia & vſus docebit tantum habitura facilitatis, quantum ei qui Chriſtiani honoris partibus defungi velit vtilitatis allatura. Qua quidem in re id mihi propoſitum eſt, vt dum animo veſtro faciam ſatis, ſimul & veſtras commoueam voluntates, atque animi facultates vniuerſas, actioneſque ad normam legis diuinæ conformem. Dimenſos inibi dies habetis, ſuum hebdomadis, menſibus, annis, penſum, munúſque deſcriptum eſt, vſúſque præcipuarum virtutum definitur. Quin verba etiam ipſa expreſſi magno ſtudio pronuncianda, quæ identidem inculco, vt eorum efficientia ad intimos animorum ſenſus peruadat. Faxit Deus vt huic

Digitized by Google

quo liber inſcriptus, nomini, ſua vis conſtet, verbiſque ſit eiuſmodi via, qua veſtro exemplo plerique ad virtutem ab improbitate deflectant, vos ipſi vanitate & vitio penitus abiectis, quibus implicati tot pereunt mortales, greſſus in planum apertúmque diuinorum mandatorum iter contendatis, & in eo conſtanter inſiſtatis, quoad tandem euoletis in cœlum, vbi cumulatiſſimam obſequij & officij veſtri mercedem hauriatis.

Digitized by Google

Digitized by Google

VIA ET RATIO VITÆ AD DEI CVLTVM in ſeculo inſtituendæ.

Proluſio quâ huius operis ſcopus & aditus explicatur.

Dei obliuio atque inſignis in ſeculo contemptus.

§. I.

NON *eſt abbreuiata manus Domini vt ſaluare nequeat, neque aggrauata eſt auris eius, vt non exaudiat: ſed iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos & Deum veſtrum, & peccata veſtra abſconderunt faciem eius à vobis, ne exaudiret: manus enim veſtræ pollutæ ſunt ſanguine,* Iſa. 59.

Digitized by Google

& digiti veſtri iniquitate: labia veſtra loquuta ſunt mendacium, & lingua veſtra iniquitatem fatur. non eſt qui inuocet iuſtitiam, neque eſt qui iudicet verè. Sic cum perfida Iudæorum gente diuinus vates expoſtulabat. Idem verò Chriſtianis pleriſque obiici iure meritò poſſit, qui quidem abiecta Dei memoriâ, neglectáque virtute & curâ omni conſcientiæ excluſâ ſic iacent, vt ſi operibus & factis eorum mores indolémque ponderemus, fide omni ac religione diſſerendíque facultate exuti penitus, exiſtimari poſſint Epicuræi non Chriſtiani, pecudes potiùs quàm homines, qui ſpiritum ducunt vt viuãt, & ita viuunt, vt vni voluptati ſeruire, vnum in oculis vitium, vnam in ſinu iniquitatem, cui ſe ſolemni obligarint ſacramento ferre amplexaríque videantur. Si porrò inſignis ille Dei ſeruus & Propheta exprobrando Iſraëlitis obiiciebat, eorum pedes ad flagitia pronos & expeditos, cogitationes vanas & inanes eſſe: exulare ab illorum plateis veritatem, nullum æquitati ad eos aditum patere, ſtudiúmque veritatis apud ipſos ſempiterna obliuione extinctum. quid leuius

Digitized by Google

poteſt in temporis huiuſce Chriſtianos afferri: certè quidem ſupra adiici, & aliquid grauius addi oporteret. nam quæ purpura bis tincta ſuo ſic rubore imbuta eſt? quis ebeno ſic innatus nigror, vt eorum mentibus infixæ vitiorum cupiditates adhæreſcunt? ſal ille cœleſtis ſapientiæ, ac prophetica illa Borith, nitrúmque iudiciorum ac minarum Dei, ſupremi cineres mortis, effuſus verborũ ſanctiorum imber, cæteráque huiuſmodi validiſſima inſtrumenta nónne adhibita ſunt, ad purgandas illorum mentes, & in priſtinum nitorẽ ornatúmque reducendas. Quæ tamen omnia peruerſo abuſu, ac deprauatæ voluntatis vitio irrita prorſus & inutilia redduntur. Qui pluribus ab omnipotenti Deo beneficiis cumulati fuerunt, quorum tamquam primi cœlorum orbis auctoritate atque exemplo cæteros par eſſet ad officium adduci, iis illi plerumque ad omne libidinis & intemperantiæ genus præferunt facem, reuulſiſque omnibus diuinarum legum repagulis, eoſdem certum in exitium impellunt. Ingratum ſanè hominum genus, ſimillimúmque aridæ huic vaſtæque terrarum mo-

Digitized by Google

li, quæ tanto craſſiores cœlo vapores & nebulas offundit, quanto vberiores ab illo imbres, plúſque fœcunditatis accepit. Apoſtatam illum deſertorémque Apoſtolum imitantur, qui ad ſacroſanctas vltimáſque epulas admiſſus conuiua, non antè in magiſtrum ſuauiſſimum immane facinus conſciuit, quam de eius manu intinctum panem ſuſcepiſſet. Atque vt Iudæorum natio excuſſa Ægyptiorum tyrannide, in libertatem aſſerta, hoſtiúmque ſuorum diuitiis & auro ſingulari beneficio Dei locupletata, opibus ipſis quas diuinæ liberalitati ferre acceptas debuiſſet, in illius abuſa eſt contemptum, conflato repugnantis Aaronis manibus idolo. In eodem vitio illi ſunt quos numinis indulgentia procaciores, atque adeo in ipſum audaciores facit. Hinc iuſtiſſima illa
Oſee 2. 8. Dei per interpretem ſuum Oſeam expoſtulatio: *Dedi eis frumentum, & vinum, & oleum, & argentum, multiplicaui & aurum quæ fecerunt Baal:* hæc an ita habeant, an diuinæ beneficentiæ dona in eiuſdem contumeliam vertant, eáque in voluptatum ſuarum idola deforment, non alios prçterquam illorum

conſcientiam, orbiſque totius oculos teſtes appello.

Excuſatio quam ſeculi homines ſuo virtutis contemptui prætexunt.

§. 2.

SED enim id vulgo ſermone contritum iactabunt, ſe vtique Religioſos non eſſe. alias eſſe: ſuas, alias eorum leges qui in monaſticę vitæ clauſtra ſe abdiderunt: ſit ita ſanè. Hoc enim verò illis perlibenter damus: ideóne tamen velut Chriſtianæ vitæ lege omni ſolutis ſuæ indormiſcendum eſt ſaluti? Indormiant igitur ij, quos aureum illud eloquentiæ flumen Chryſoſtomus ſic alloquebatur. *Hoc eſt planè, quòd orbem vniuerſum euertit, quòd monachis opus eſſe arbitramur ſumma benè viuendi diligentiâ, cæteris autem licere negligenter viuere: non ita ſane, non ita eſt.* Alio rurſum loco: *Ne frigida illa verba proferamus, & dicamus: mundanus ſum, & mulierem habeo, & puerorum curam gero; Nunquid renunciaui ſæculo? nunquid Monachus ſum? quid dicis homo? an hoc ad ſolos monachos pertinet, vt bene Deo placeant?* Horum ho-

minum licentiam iam Baſilius his verbis exagitarat: *Cùm Chriſtus ipſe Patris ſui præcepta promulgaret, apud eos loquebatur, qui in mundo erant, & communem vitæ rationem ſequebantur. Non eſt igitur quod tu qui ad vxorem animum applicare maluiſti, deſidiæ te dedas, quaſi ideo liceat tibi mundum amplecti, quin imò eo maiore labore, contentione, & vigiliis opus eſt, vt ſalutem compares, quippe qui ſedem delegeris in mediis laqueis, & in media hoſtium ditione, vbi peccatorum irritamenta aſſidua ante oculos poſita habeas, ad quæ concupiſcenda omnes ſenſuum tuorum libidines aſſiduo impetu impellantur.* Eadem Sanctus Auguſtinus oratione militum illorum temeritatem compeſcit, qui hanc ad vitia tegenda defenſionem oponebant: *Illud autem quale eſt, ait, cùm ob errorem aliquem à ſenioribus arguuntur, & imputatur alicui de illis, cur ebrius fuerit, cur res alienas peruaſerit,* &c. *ſtatim reſpondent quid habebam facere ſecularis, aut miles? Nunquid Monachum ſum profeſſus, aut Clericum? Quaſi omnis, qui Clericus non eſt, aut Monachus, poſſit ei licere, quod non licet. Cunctis igitur officiis ſacris in litteris præſcribitur norma viuendi, omnis*

Digitized by Google

ad bene viuendum prouocatur ætas, ſexus, dignitas. Certè Sanctus Petrus, non ad Anachoretas in antris latentes, ſed ad fideles omnes hæc ſcribebat. *Quaſi filij obedientiæ non configurati prioribus ignorantiæ veſtræ deſideriis, ſed ſecundum eum, qui vocauit vos, ſanctum, vt ipſi in omni conuerſatione ſancti ſitis.* Sanctus Iacobus, *vt ſitis perfecti, & integri in nullo deficientes.* Quin & Deus ipſe in primis illis mundi cunabulis, cùm homines adhuc naturæ legibus ſtarent, ab Abrahamo, non eo quidem Monacho, ſed locupletiſſimo viro matrimonij vinculis obſtricto, & ampliſſimę familiæ principe, hanc vitæ rationem exigebat. *Ambula coram me, & eſto perfectus.* Quòd ſi tantam in primis illis mundi rudimentis vitæ perfectionem poſtulabat, quid à nobis ſummum Numen ſuo iure repeteret, quos clariſſima Euangelij luce illuſtratos iis ex ore ipſius Sapientiæ diuinæ verbis obſequi iuſſit? *Perfecti eſtote, quia pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* Sileant igitur voluptariorum hominum illæ voces, quibus tanquam velis effrænatas animorum cupiditates obtendunt: errant illi ſanè vehementer, ſi

aliquam crebræ inanium cauſarum vſurpatione veritatis ſpeciem, aut auctoritatem illis conciliari poſſe opinentur; quibus id tantùm agunt vt conſtantem pertinaciam clariùs oſtendant, quæ nec rationi cedat, nec acquieſcat ſanctis Patribus, nec diuino terrore frangatur.

Altera excuſatio è munerum occupationibus petita.

§. 3.

QVI negotia cauſantur, quibus ex officio implicati ſunt, quorum à vinculis ægrè ſe expedire poſſint, excuſationem verbo quidem differentem, re tamen vnam & eandem prætendunt. adeóne remiſsè Principis alicuius negotia procurarent? quis eorum aliquis in adminiſtrandis Principum rebus à ſe peccatum fateri velit, vt domeſticis operam daret? Hanc homini cauſam & defenſionem afferre non audeant, & illam ſummo Numini orbis totius Regi, Principi, & moderatori potentiſſimo, cuius vultum cœleſtes illæ virtutes non ſuſtinent, vt legitimam

Digitized by Google

obtrudi poſſe ſibi perſuadent? Quæ malum! iſta mentis impotentia, & incredibilis rationis peruerſitas eſt? Erumpunt è mari flumina, & irrigatis latè terris, ſeſe in parentis ſinum non ſine acceſſione effundunt. At quid aliud varios Chriſtianorum hominum ſtatus, quàm totidem fluuios interpretemur, qui ex immenſo inexhauſtæ liberalitatis diuinæ Oceano, ad publica communis vitæ commoda perpetuò dimanent? An non igitur æquum eſſet vt per aſpera vitæ huius ſaxa conferto curſu, fonti ſuo, multiplicato fœnore, redderentur? Pleroſque tamen videmus placidis fortunarum ſuarum vndis innatantes, conſiſtere repentè, & velut mediis in Syrtibus, aquis deſtitutos hærere. Quas miles flammas concipit, quo incitatur æſtu, cùm eius fama periclitatur? Si verò Dei honor agatur, quæ glacies magis obrigeſcit? Aſperrimas noctes cauſidicus peruigilans diéſque haut raro traducet, vt in Tribunali liliorum inſignibus fulgente aliquando confidat; idem quartam horæ partem ſingulis diebus diuinis commentandis ſeponere, vt in cœleſti re-

gia cum beatis mentibus collocetur, onus non ferendum exiſtimabit. Medicus ad laxandas rei familiaris anguſtias, ſemper in procinctu, ſemper expeditus, velis remiſque ocyus ſagitta contendet : at vbi cœlorum regnum rapiendum erit, velut inciſis omnibus neruis, incude grauior atque ſegnior iacebit. Quid mercator? ſi tenuis lucelli auram videbit afflari, quibus ſe terra maríque periculis committet? qui ſi de ſalute ſua ſollicitus eſſe iubeatur, lecto & ceruicali affixus caput graui ſomno depreſſum erigere non valebit? Quòd ſi tam iniquæ iſtorum hominum perfidiæ ſuccenſes, ſatis ſe ab omni culpa vacuos purgatóſque arbitrabuntur, vbi dixerint ſe vti conditione & re domeſtica curis implicatos atque diſtrictos occupari. Deus immortalis! quàm latè patet bonitas tua, qua æquo fers animo tam inſolentem ab iis, quos creauiſti contumeliam, ab iis, inquam, quibus nuſquam violanda grati animi ſignificatio, & iuſtiſſima legum tuarum obſeruantia continuos admouere ſtimulos, deberent tuæ prædicandæ maieſtati, & celebrandis laudibus tuis continenter ſtude-

Digitized by Google

ſtuderent. Quouſque filij hominum, quouſque in tam perdita & turpi vitæ veſtræ ratione, contumacibus oculis conniuere pergetis?

Demus vobis, & concedamus vitæ genus aliud alio ſolicitius eſſe; an vllum propterea eſt tam impeditum, vt eo tanquam gradu aliquo, ſi modò vti ritè volueritis, in cœlum eniti non poſſitis? Si ſanctus eſt continentium ſtatus; annon matrimonij leges cum laude ab iis ſeruari poſſunt, quos coniugio Deus addixit? Annon militibus, coactoribus, & portitoribus vitæ rationem diuinus ille Chriſti præcurſor, qua ſaluti ſuę conſulerent, indicauit? Tametſi multis ciuitas eadem viis non æquè commodis & explicatis adeatur, aſperrimæ tamen quæque & confragoſæ nonnunquam poſſunt eſſe breuiores, & vt plurimùm compendiariæ exiſtunt, vt ſolitudo Antonium, Franciſcum clauſtra religioſa cœlo adſcripſerunt, ita è conferto Regiæ ſatellitio ſanctus Ludouicus; Mauricius è Caſtrenſi licentia; è frequenti medicorum circumcurſatione Sancti Coſmas, & Damianus, vnà cum multis aliorum

ordinum ſanctioris vitæ cultoribus, ad Superos euolarunt. Cur igitur è veſtra conditione ad eiuſdem palmæ ſocietatem vobis pariter aditus non patebit, ſi illorum veſtigiis inſiſtere ſtudeatis? Paphnutium Abbatem ſanctiſſimum à Deo quærentem, quem in terris ipſe ſimilem haberet, ab Angelo non ſemel audiuiſſe ferunt ipſi citharœdum quendam, tum mercatorem Alexandrinum meritis parem eſſe: ſi neque theatrorum infamia, neque fori turbæ, duos iſtos à tam arduo ſanctitatis faſtigio prohibuerunt, quæ vos adeò vincula negotiorum conſtringent, vt ad eundem gradum aſſurgere non ſinant, niſi languor & ignauia vires animorum veſtrorum infringat? At non attenditis miſeri torpore iſto, híſque compedibus implicatos homines æternis ignibus damnari? Vtinam hæc apud ſe homines seriò reputarent? non tot mortalium greges ad inferos hæc cœcitas præcipites daret. *Væ*, (ait Dominus apud Iſaiam) *qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis. Væ qui conſurgitis manè ad ebrietatem ſectandam, & potandum vſque ad veſperam, vt vino æſtue-*

tis. Cithara & lyra, & tympanum in conuiuiis veſtris, & opus Domini non reſpicitis, nec opera manuum eius conſideratis. Propterea captiuus ductus eſt populus meus, quia non habuit ſcientiam, & nobiles eius interierunt fame, & multitudo eius ſiti exaruit. Propterea dilatauit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum abſque vllo termino, & deſcendent fortes eius, & populus eius, & ſublimes glorioſique eius ad eum.

Triplex ratio procurandæ ſalutis hoc libro explicata.

§. 4.

SED amabo quæ ratio tam exitioſæ peſtis depellendæ, cuius contagio extremam nobis infelicitatem accerſit? An vllum eſt in hac vita ſupplicium adeò graue, quo illam Chriſtianus ſui compos redimendam non putet? minimè quidem opinor: neque tamen eam à capitibus noſtris auertere quæ eſt effuſa Dei in nos munificentia, operoſum eſt adeò, atque arduum, etſi grauiſſimis & inueteratis criminibus, (ô miſericordiam cum nulla comparandam) diuinum in nos Numen prouoca-

Digitized by Google

uerimus. Si aues ſcire quid tibi ſit agendum , paucis habeto. Reſpondeo tria inprimis obſeruanda eſſe quæ terribili illo Iſaiæ loco continentur. Cùm enim Deum flagitiis adeò infenſum attendis , primùm colliges , *odium peccati capitale concipiendum , eiúſque conſuetudini nuntium ſeuerè remittendum*. Quòd verò Deus populum ideo in captiuitatem abductum teſtetur , quòd inſcitia laboraret , hinc ſecundo ſtatues , *ſcientiam vitæ Dei nutu inſtituendæ*, eſſe tibi perneceſſariam , vt ex illius preſcripto actiones omnes tuas temperes , atque conformes. Denique cùm per diuinorum operum obliuionem fieri conqueratur , vt inferorum voragine laxata ſuperbi ac ſui oſtentatores abſorbeantur , hinc poſtremò conficies , *Seriò deinceps incumbendum eſſe tibi demiſſo teneróque animi ſenſu in rerum quas Deus edidit cogitationem* , vt meritam ipſi laudem rependas , eiúſque tibi concilies gratiam, ac ſedulò conſerues. In hoc autem triplici virtutum ſubſidio tantum eſt momenti atque fructus , vt ſacro quodam diuinorum iudiciorum horrore percuſſus aliquando Dauid , ad illud , tan-

quam ad ſacram anchoram, ſpei ſuæ confirmandæ, & ſtabiliendæ cauſa confugerit: cùm enim, velut timore contremiſcens, dixiſſet, *Quo ibo à ſpiritu tuo? aut quo à facie tua fugiam?* in poſtremo vſu atque exercitatione tanquam in aſylo acquieſcit. *Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es, mirabilia opera tua, & anima mea cognoſcit nimis!* Quòd verò in ſecundo præſidium haberet, iam antè illis verbis ſignificarat: *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me, confortata eſt, & non potero ad eam.* Primum autem, ſcilicet odium peccati quàm neceſſarium duceret, ardentibus hiſce vocibus ſatis apertè teſtatur. *Nónne qui oderunt te Domine, oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam? Perfecto odio oderam illos, & inimici facti ſunt mihi.* Quibus recreata & confirmata mens eius, velut cœleſtibus iam beatorum gaudiis intereſſet, diuinóque pabulo ſatiaretur, in has admirationis voces erumpebat. *Nimis honorati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum.* Conſtat igitur eam in his præſidiis ritè vſurpatis vim eſſe, non modò vt à præſentiſſimo eóque omnium grauiſſimo

BIBLIOTECA ...
Digitized by Google

diſcriminis periculo animum vindicent, verùm etiam vt illum ad præcipienda quodammodo, & prælibanda in hac mortalitate immortalis vitæ gaudia extollant.

Scopus huius artis & viæ.

§. 5.

QVIBVS ego impulſus animum induxi, vt lucrum quorundam non virtutis ſtudio minùs, quàm generis nobilitate Principum, conſiliis acquieſcerem, qui hæc à me paulò explicatiùs ediſſeri cupierunt, hac arte in lucem prolata, cuius non alius ſcopus quàm ſuperioris inſtituti vſum & exercitationem aperire.

In ipſo ſtatim operis limine, primùm offendes, artem quam generalem inſcribo, qua peccator excitetur ad faſtidium, odiúmque peccati ingens concipiendum. Hanc artem generalem ſingularis excipit, in qua ſecundùm perſequor propoſito breui vitæ rectè inſtituendæ compendio. Tertiùm quòd in attenta piáque diuinorum operum cogitatione poſitum eſt, poſtrema par-

Digitized by Google

te complector, quæ variis meditationibus, per ſingulos cuiuſque menſis dies aptè diſtributis, mentem ad cœleſtium rerum, ſacrorúmque myſteriorum contemplationem adducit.

Perpetuum cum anima ſermonem inſtituo, cuius informanda cauſa id operis ſuſcepi.

Conſiliorum perfectionem illi minimè propono; neque enim eſt inſtituti mei aliam ipſi viam aperire ab ea quam debet in ſæculo tenere, vt in eo diuinis obtemperans mandatis, ſalutem ſuam procuret. Tametſi meliorem Religioſi partem elegerint, cæterorum tamen ſors eſt aliquo in numero ponenda: omnibus cœlum patet, ſi velint partibus ſuis officióque defungi. Periculoſiorem certè aleam ſubeunt, qui in ſeculo degunt, quòd omnium corruptelarum ſentina quædam eſt, multo tetrior illa, quàm vetus ille Philoſophus acuto ſatis ſenſu olfecerat; cùm moriens ſe pronum in ſepulchro collocari iuſſit, quòd, inquiebat, inuerſo nunc mundo atque deprauato ſperandum eſſet in rectum olim ſtatum eſſe reſtituendum, atque ita oculos cum illo

ſuos in cœlum conuertendos. At quando rectum fieri mundum immutarique oportebat; niſi cùm æquitas, & ipſa (vt ita loquar) rectitudo terris illuxit? Ea tamen hominum iniquitas fuit diuinæ aduerſata bonitati; vt ſi nihil in eo Sanctus Ioannes deprehenderit, niſi concupiſcentiam carnis, concupiſcentiam oculorum, & ſuperbiam vitæ, nobis hodie in tanta confuſarum omnium rerum perturbatione fatendum ſit, nihil aliud mundum eſſe, quàm perpetuam errationem, maleficiorum pertinaciam; faſtidium virtutis, flagitiorum iuratam artem, cimmerias, & Ægyptias tenebras, confuſam, inconditámque Babylonem.

Nos qui ſecunda diuinæ benignitatis aura velificante, è ſcopulis & tempeſtatibus, quibus iactantur cæteri mortales, emerſimus, illorum naufragia, velut in tutum ſubducti portum, tanto acerbiore animi ſenſu contemplamur, quanto minor dictis noſtris fides adhibetur, cùm extremum in diſcrimen coniectos, decumaníſque fluctibus iam iam abſorbendos, vel naufragium facturos imminentis periculi admone-

mus : euenit enim non rarò, vt nobis velut è longinquo tabulam porrigentibus, in quam recipere ſeſe è naufragio poſſint, rideant nos inſani, ſéque in illis vndarum vorticibus tutiores opinentur, quàm nos in continente ſimus; vnde illorum vicem debemus, & auxilium illis præſtare conamur.

Cohortatio ad contemnendam ſeculi vanitatem.

§. 6.

CAVE Varo cariſſima ita ſe præſtes; patere amicam medici manum, patere præſentem opem; quin occurre ipſa opitulantibus, & velis remíſque, quantum in te eſt, enitere, vt ad gratiæ ſedem, ad quam euocaris, appellas, & ſalutis teneas portum, quem hæc tibi via monſtrabit. Euigila ergo anima, & diligenter circumſpice, quàm infeſta ſunt vndique omnia, quàm inimica ſaluti tuæ; non tot Scyllas & Charybdes alit Oceanus, quàm multos mundus laqueos habet in tuæ felicitatis perniciem intentos: nec eſt quod vitæ inſtituto, id vt dictum eſt aſcribas, ſed in-

tolerandæ tyrannidi quam vitium inuaſit, atque etiamnum in hominum voluptates blandit, voluptatum lenociniis illigatas exercet. Caue ne tibi ita miſerè dolus fallaciter imponat, illúdque amantiſſimi diſcipuli oraculum, omnibus ſeculi amatoribus adeò formidandum; identidem in mentem reuoca. *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt*, voluptates puta, & licentiorem vitam. *Si quis diligit mundum, non eſt charitas patris in eo*. Veniat ad aures ille tubæ Euangelicæ ſonus: *Vnuſquiſque in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat*. Sed ita vt eorum verborum ſis memor, quæ paucis interiectis ſequuntur: *Hoc itaque dico fratres, tempus breue eſt, Reliquum eſt vt & qui habent vxores, tanquam non habentes ſint; & qui flent, tanquam non flentes, & qui gaudent, tanquam non gaudentes, & qui emunt, tanquam non poſſidentes, & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur*. Quibus verbis licèt ſuarum cuique rerum vſum Apoſtolus permittat; animum tamen ac voluptates illis implicari vetat, itaque ſuum illis cum voluptate fruendis ſtudium impendi, vt non abdicentur

vltro quoties Dei honor vel ſalutis rationes poſtulabunt. At quàm verum eſt quod vterque addit Apoſtolus, *præterit figura huius mundi*, qui celerior veredus, quod telum ocyus, quæ glacies illo futilior exiſtit? Blandiuntur ſanè illius gaudia ſenſúſque prolectant, at quàm corrumpuntur facilè, quàm celeriter euaneſcunt, quàm acerbos ſuo diſceſſu dolores inurunt? *Dic mihi* (ait Sanctus Bernardus) *vbi ſunt amatores mundi, qui ante pauca tempora nobiſcum erant? nihil ex eis remanſit, niſi cineres, & vermes. Attende diligenter quid ſunt, vel quid fuerunt: homines fuerunt ſicut tu, comederunt, biberunt, riſerunt, duxerunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcenderunt: hîc caro illorum vermibus, & illic anima ignibus deputatur. Quid profuit illis inanis gloria, breuis mundi lætitia, carnis voluptas, falſæ diuitiæ, magna familia, & mala concupiſcentia? vbi riſus, vbi iocus, vbi iactantia, vbi arrogantia? de tanta lætitia quanta triſtitia? Poſt tantillam voluptatem, quàm grauis miſeria? de illa exultatione ceciderunt in magnam miſeriam, grandem ruinam, & magna tormenta.*

Precatio pro iis qui hanc procurandæ ſalutis artem legent.

§. 7.

O DEVS optime, ſuauiſſime parens, ſalutis animarum amantiſſime Deus meus, fac eorum obſecro voluntates inflecti, qui hiſce legendis oculos adiicient, vt ea in animis altiſſimè defigant: optuſam mentibus caliginem diſcute, vt perſpiciant inanitatem mundi, ab eóque maturè cognito diſcedant, nec optimos quoſque ſub eius ſignis vitæ annos effluere patiantur, quibus decurſis, ab omni impendente mortis maturitate bonorum operum fructu vacui, ſolis oppleti flagitiis ſaluti ſuæ cum Saüle deſperent. Cùm verò felicitatis noſtræ ſumma ſit ſeruire Numini tuo, iniice illis conſtantem tibi famulandi mentem; à qua ſi dæmon eos abducere conetur, diuinæ tuæ potentiæ clypeum oppone, quo omnia eius tela depellant. Defende illos ab hoſtium ſuorum oppugnatione, vt olim Noëmum ab eluuione, Loth è Sodomis, è compedibus Ioſephum; *Suſannam* è ſup-

plicio, è leonum cauea Danielem vindicaſti: ſi ſolitis artibus eos deriſorum procacitas peruellat, inueniant obſecro in conſolationum tuarum adytis perfugium: ſi calumniantium petulanti voce verberentur, in aſyla benignitatis & nominis tui deliteſcant, confirma greſſus illorum in via, quam hæc ars aperit, ne vnquam aberrent, néve timeant à ſibilis colubri, aut ceraſtæ vias obſidentis formident, ſed generosè ambulent ſuper aſpidem & baſiliſcum, leonémque & draconem inferorum conculcent. Quòd ſi in tam lubrico itinere labantur aliquando, porrige illis Domine continuò benignam manum, ne iaceant cladibus afflicti, illiſquo inimici tui non ſine Numinis tui contumelia inſultent, colligant potiùs nouas à ſuo caſu vires animóſque ſui demiſſione confirment, qua præuia, gratiæque tuæ pręſidio muniti progrediantur, tandémque in feliciſſimis beatorum ſedibus inſiſtant.

Digitized by Google

PARS PRIMA
SEV
RATIO GENERALIS
AD EXCITANDAM
animam, in veterno fallacium mundi cupiditatum iacentem, & faſtidium, odiúmque peccati illi pariendum.

Incitatur anima ad ſtudium ſalutis capeſcendum.

Cap. I.

ANima Chriſtiana non eſt ſomnus iſte tuus, ſed mors, & horrenda mors, quæ te oppreſſam tenet, ſi ad has voces meas obſurdeſcant aures tuæ, & ad illas rationes inuicta contumacia obdureſcis, quibus ad ſaniora te conſilia

Digitized by Google

reuocandi curam munúſque ſuſcepi. Fruſtra mihi tecum ſermo eſt, ſi ab igniculis fidei Chriſtianæ non accenditur cor tuum; ſi myſteriorum diuinorum ſplendore non illuſtraris, quæ lux oculis ſubiiciat tuis pericula, quibus irretiris; iacturam grauem quam facis; diſcrimina, quibus te vita ad omnem proiecta licentiam obiicit. Crede igitur, obſecro, obteſtórque, & eum fidei ſenſum excita, quem pro ſingulari ſua in te beneuolentia tibi Deus impertiuit, cùm ſalutaribus vndis expiata es, quemque palam in Eccleſia profiteris: omiſſis tantiſper rerum terrenarum ſtudiis ſemel aliquando in ſalutis tuæ curam diligenter incumbe, ſenſibus tuis nimio plus ad hoc vſque tempus ſeruiiſti, quid eorum obſequio turpiter etiamnum adhæreſcis? his quæſo de rebus cogitationem ſuſcipe, quæ tibi longè ſunt coniunctiores, tuæque ipſius conditionis miſericordiâ cõmouere. Quòd tu colligere te ipſum, & qui ſis conſiderare omittas, ſalutem tuam in periculum adducis, *animalis homo non percipit ea quæ Dei ſunt.* Quo te vis loco & numero haberi, quem exiſtimari, ſi neque

de colendo Deo, neque de te ipſo in æternam beatitudinem vindicando, neque de cœlo conſequendo, neque de inferorum cruciatibus deuitandis, neque de felici vitæ exitu ſortiendo laboras: in vitæ autem ad brutarum animantium ſordes & ſimilitudinem abiectæ actionibus, nec conditionis ex rationis præſcripto inſtitutæ, honeſtas, nec legitimæ voluptates, nedum Chriſtianæ Religionis felicitas, laudéſque continentur. Age igitur, ſomnum excute quo oppreſſus teneris, excita facultates animi tui hactenus ita periculosè conſopitas, téque ad præſtantiæ & dignitatis tuæ maieſtatem extolle. Fac tibi veniat in mentem, te in ſpem adeundæ cœlorum hæreditatis creatum eſſe, cuius conſequendæ viam ſubſidiúmque mundum eſſe oportet, minimè autem eum pro ſcopo & termino haberi.

Non ita corporis vinculo illigaris, vt ab eo nunquam debeas ſeiungi. Hoc expende, & inter expendendum ſic ſtatue, *ergo moriendum eſt?* Hæc vox hominis erit, quem latere non poteſt, ſi quid hominis habeat, omnibus omnino ſeriùs ocyus ad ſepulchrum eſſe conce-

concedendum. Sed Chriſtianus præterea vitæ rationem ſibi reddendam eſſe ducit. Tu igitur Dei beneficio Chriſtiana, hanc inſuper Chriſtianam vocem vſurpa, *poſt hoc autem iudicium.*

O formidandum iudicium! ô ſeuerum iuſtitiæ tribunal! in quo Deus, Deus ille præpotens, quem tam audacter ad iram prouocas, quæſitor ſedebit, atque adeo rigidus quæſitor, vt etiam ipſa, quæ otianti verba exciderint, ad calculos ſit vocaturus. Hæc tecum ipſa reputa diligenter, tum mentis aciem, quam tam acrem & expeditam ad res cæteras adhibes, in proximas conſiderationes defige. Tantum mihi de diuina liberalitate promitto, vt ſperem magno illas tibi ad ſalutem emolumento futuras, ſi quidem te pertinacia non excæcarit, nec eorum in numero verſeris, quos peccatorum ſuorum cauſâ diuinæ iuſtitiæ ſeueritas æternis cruciatibus addixit.

Digitized by Google

Immoderata rerum creatarum ſtudia animum à Creatore non ſine beatitudinis æternæ iactura ſeiungunt.

Cap. II.

CERTVM in primis eſt cor hominis paribus duarum cupiditatum momentis ita librari non poſſe, quin vt æquâ in ſtatera grauius alterius lancis pondus alteram eleuare ſolet, ita illud vehementiori affectione ſuperetur. cùm enim certis limitibus vires illius finitæ circumſcribantur, niti ad rei vnius amorem & ſtudium neutiquam poteſt, quin ad alias pariter conſectandas illæ deficiant, vel omnino langueſcant, perinde atque oculus cùm aciem in rei alicuius aſpectu intendit, ſolam & ab aliis omnibus diſiunctam intuetur, animúſque quidpiam acerrimè contemplans ab cæteris cogitationem abducit, vel ſi fortè occurrunt, ita confusè ac leuiter aduertit, vt ea non perſpicere dici poſſit. Quod cùm vniuersè verum ſit, in rebus tamen quæ ad Dei, mundique ra-

Digitized by Google

tiones ſpectant, præcipuæ cuiuſdam eſt ſempiternęque veritatis, adeo vt quemadmodum arca fœderis, & Dagonis idolum ſimul in eodem altari neutiquam conſiſtere potuerunt, ſic pariter in hominis corde Deus ac mundus domicilium collocare & obtinere non poſſunt, quin alterutrum excludi neceſſe ſit, funditúſque depelli. Si igitur ardentiori mundi amore teneris, Chriſtiane, deprimit amor ille cor tuum, excuſſo & abiecto cordis tui mundique totius conditore Deo: at hoc ſi fiat, quis pudor vultum tuum in extremo vitæ actu perfundet, cùm diſcuſſa caligine clarè perſpicies, quàm in diligendo præceps, & incautus fueris? Quis angor & cruciatus tibi ſuſtinendus, cùm os tuum illa Dei expoſtulatio verberabit? Ergo vt operi meo adhæreſceres, me vnicam beatitudinem tuam abiecisti? ergo corde tuo quod deliciarum mearum domicilium eſſe volebam, mihi interdictum eſſe iuſſiſti, vt in illo tanquam in delubro, infamium voluptatum idola turpiſſimè collocares? Abi homo execrande, & res tuas habe tibi, æterno à me diuortio dirimendus. Cùm enim

Digitized by Google

dum viueres, hoſpitio me tuo excluſeris, à me viciſſim poſt mortem meritò eiiceris, & gloria mea æternùm carere iuberis: *Ecce qui elongant ſe à te, Domine, peribunt. Perdidiſti omnes qui fornicantur abs te: mihi autem adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpem meam.*

Rerum creatarum inanitas Deo oppoſita peccatorem damnat extremæ cæcitatis, cùm ſupremi boni in æternùm amittendi periculo coniunctæ.

Cap. III.

NAM vel iis ex rebus, quarum tam acri ſtudio teneris, quæque ſic animum tuum à conſectanda virtute deterrent, eadem quæ à Deo præſidia commodáque aut leuiora conquires, vel porro eiuſdem illa cum Deo pretij & dignitatis eſſe putas vel minoris. Denique vel plus illis quàm diuinæ bonitati debes, quod pluribus ea te quam Deus ipſe beneficiis ornarint. Quid reſpõdes ô Chriſtiane. cogita quæſo, imo ne cogitare velis, quis enim hæc ſine ſacrile-

gio in deliberationem vocare poſſit. Si ergo res creatæ omnes cum Deo comparatæ vanæ ſunt atque inanes, ſi optima quæque pro nihilo, vt Scriptura loquitur, putanda. Si vniuerſæ terrarum nationes cum infinita illâ naturâ collatæ inſtar minutiſſimi pulueris habendæ, vnde ſtateræ nihil momenti & ponderis accedit, aut inſtar roris antelucani, qui extenuatus ſtatim euaneſcit; ſi aurum, pecuniæ, ædificia, ſi magnifica ſuppellex, veſtes pretioſæ, candidiſſimi & ſolidi vniones, ſi adamantum fulgor, & quicquid mortalium oculos ſuo ſplendore præſtringit, plus ſæpenumero ſolicitudinis impertit, quàm voluptatis; ſi hæc omnia ſimul coniuncta cumulatáque vel leuiſſimam ægritudinem ſanare non poſſunt, neque vitam ad temporis punctum proferre, neque horrorem aut frigus remiſſiſſimæ febris mitigare, æquè in molli culcitrâ lectóque ad pompam magnificè inſtructo, ac in paleâ & ſtramine cubantem iactantis. Si vehementiſſimis voluptatibus ingenium hebeſcit, eneruantur ſenſus, corpori turpes admodum morbi, animo acerbiſſimi conſcientiæ mor-

Digitized by Google

ſus inuruntur. Si non modò ſatietatem non pariunt fautoribus ſuis, ſed maiorem illis in dies, quemadmodum prodigo adoleſcenti porcorum ſiliquæ famem inducunt: ſi honor, fama, gloria, nominis celebritas, leui calumniæ alicuius ſuſpicione defloreſcit. Si munera, dignitas, magiſtratus tot exedunt curis, neque vllam nocturnæ quietis partem capere ſinunt, atque per diem ob crebras oppugnationes, moleſtáſque coactiones, ob ſcrupulorum aculeos, iniquas poſtulationes, pactionéſve ab inuitis expreſſas, ob inuidiæ quotidianos caſus, ſumptúſque profuſiores, ob licentiam ſeruorum, ob munerum iacturam, ob pecunias extra modum expenſas, innumeráque negotiorum impedimenta, oppreſſos homines afflictant. ad ſummam, ſi quæcunque cœlorum ambitu cinguntur, in iis ne punctum quidem vnicum exiſtit, vbi tanquam in centro ſtabilem homo quietem reperire poſſit. Si cùm à Deo diſceſſeris, nihil prǽterquam labor animíque moleſtia occurrit, ſi perfecta beatitudo in Deo bonorum omnium inexhauſto fonte conſiſtit. Si res creatas omnes

Digitized by Google

ille nimium quantum pretio ſuperat & antecellit, ſi quicquid in te eſt ab eius liberalitate profluxit, ſi abſque illius ope animam ducere non potes, ſi ad ſingula vitæ momenta nouo diuinæ gratiæ ſubſidio recreari te neceſſe eſt, atque ſuſtentari, ſi ab eius nutu ſempiternæ felicitatis aut exitij æterni aptas habes, ſuſpenſáſque rationes, cur adeò te obcœcari illudíque permittis, vt omiſſo Dei obſequio ad omnem ſeculi intemperantiam, effuſis habenis auidiſſimè ruas? Ah! quàm vereor, ne magnus ille Deus iiſdem te verbis aliquando percellat, quæ ſeruus ipſius Moyſes in rebelles & inſanos, tibi ſimiles pronuntiauit. *Gens abſque conſilio eſt, & ſine prudentia, vtinam ſaperent & intelligerent, at nouiſſima prouiderent? Vbi ſunt Dij eorum, in quibus habebant fiduciam? Surgant & opitulentur vobis, & in neceſſitate vos protegant.* Deuter. 32.

Diuinarum perfectionum cognitio, & fides hominem liberiùs viuentem ad ſalútis ſuæ curam reuocare debet.

Cap. IV.

Ocvlis in ſupremi Numinis dotes infinitas defixis, conſidera diligentiùs amabò, & tecum etiam atque etiam attende, quid de illis fides proponat atque confirmet. Credis nimirum Deum eſſe ipſum qui eſt, primum & ſupremum eſſe, à ſe & per ſe ſubſiſtens (vt Theologorum verbis vtar) actum puriſſimum, abſolutum omnino & ex nullo pendentem, ab omni corporeâ concretione ſeiunctum, remotum à conditione patiendi, æternum, immutabilem, ſemper in actu, in potentiâ nunquam, omnia ſupremâ poteſtate generantem, ſingulari bonitate conſeruantem, infinitâ ſapientiâ gubernantem. Credis illum eſſe totum in omnibus, vbique, ſupra omnia, atque infra res vniuerſas, cùm eas ipſe robore, fulciat, ſuſtentet. Credis illum eſſe an-

Digitized by Google

tiquum dierum; finem & principium omnium, quæ creatæ ſunt rerum, regem gloriæ & maieſtatis, totius ſummo cum imperio Principem naturæ, ſub quo Principatus & Poteſtates inflectuntur, & vniuerſitatis columnæ contremiſcunt, qui cœlum ſuſtinet ſublime extentum, ſtellíſque fulgentibus illuſtrat, qui ſoli ſuppeditat lumen; lunæ creſcentis orbem complet, ac circuncludit. qui ventis habenas ad curſum remittit, aquas tenet in nube ſuſpenſas, deſcribit mari limites, vniuerſam terrarum molem tribus digitis ſuſtentat, oris vnico flatu, nutu oculi, ſigno voluntatis vel leuiſſimo, omnia poteſt vno momento redigere in nihilum, & omnino delere. Hæc enimuero credis vniuerſa, ſi reipſa Chriſtianus exiſtis, ſi nomine tenus, hunc librum complica, nihil enim mihi tecum eſt rei. At te verè Chriſtianum profiteris. illa igitur credis & longè plura. Cùm certum ſit quem ex fide accipis, eo te ſenſu adduci vt exiſtimes in Deo longè plus eſſe perfectionis, quàm quantum Cherubini, omnéſque adeo creati intellectus in vnum collecti comprehendere,

vel cogitare poſſint. Hac opinione ſuſcepta, dic amabo quo genere honoris, ac reuerentiæ, obſequiiſque dignam eſſe cenſes infinitam illam Dei maieſtatem, quantam rei cuipiam obſeruantiæ par ſit adhiberi, eius excellentiâ metiri debemus. Excellentiæ autem ratio definiẽda eſt gradibus perfectionis, quâ res ipſa ornatur, adeo vt quò quid perfectius eſt, eò magis excellat, eique plus honoris ſit hac de causâ præſtandum. Si ergo is eſt Deus quem fide informas, ſi præſtantior eſt atque maior quàm tu ipſe, vel angeli omnes poſſint mente complecti: ſi ipſa perfectio eſt, fons vniuerſæ magnitudinis, & totius excellentiæ plenitudo: ſi hæc omnia infinito quodam modo in illo exiſtunt, par ipſi certè quidem honor & infinita debet reuerentia deferri? Si porro tanti officij amplitudo in hominis tenuitatem naturæ, finitæ limitibus terminatam non cadit, at illius ſaltem æquitatis cognitione impulſus, pro ſuarum imbecillitate virium eniti debet, vt quàm optimè poteſt ipſum colat, eiúſque honorem & gloriam propaget. Imo æquiſſimum eſt, & cùm pro facultate ſua ſtu-

duerit hoc officij genere defungi, ſe inutilem ſeruum eſſe ducat, omnéſque ſuos conatus nihil pendēdos, ſi cum eo, quo infinita maieſtas præſtantiáque affici debet cultu, & honore conferantur. Epicuræus tametſi voluptatum aucupandarum ſtudio efferatus, omníque propemodum exutus humanitatis ſenſu, rerúmque diuinarum adeò ignarus, vt Dei prouidentiâ mundum adminiſtrari negaret, res tamen ad ipſius cultum pertinentes accuratiſſimè ab hominibus procurari volebat, illum pro dignitate ſatis ab iiſdem coli non poſſe, vel ideo confirmans, quod omnium prima naturarum & præſtantiſſima eſſe videretur. Quid igitur par eſt à Chriſtiano, quid à te præſtari qui credere te profiteris, eiúſque adeo fidei beneficio, ita certam infinitę illius perfectionis atque naturæ cognitionem aſſecutus fuiſti: nónne quicquid in te eſt humanæ conditionis, facultates, motus, actiones vniuerſas, & omnia quæ habes, oporteret illius eſſe obſequio addicta & conſecrata. An non officij ratio poſtularet, vt idcirco tantum corpore & animo conſtares, quò ipſius voluntati peni-

tus obediens eſſes atque ſubiectus, nihilque tibi antiquius foret quàm vt integrè inuiolatéque diuinis legibus obtemperares. Iuſtiſſimum id quidem eſſe tibi pariter ac mihi videtur, atque eiuſmodi quod refellere nemo diffiterique poſſit: at nec eo minùs attende, quo te abripiat immoderatæ vitæ libertas, à quo iuſtum honoris & obedientiæ iſtius tributum Deo Optimo Maximo penſitari neceſſarium eſſet: cum tu iniuria grauiter afficis, in te commoues & continenter laceſſis, aſſiduáque ipſius mandatorum omiſſione nullo eſſe tibi loco numeróque teſtatis; ab illius maieſtate defectione factâ cum eiuſdem hoſtibus coitionem moliris. E prauo cordis tui theſauro mala in dies deteriora expromis; probris ipſum conſcindis, & obuerſo tergo deſeris, neque vllam pateris horam abire, quin magno cum huius dedecore atque contemptu te vitiis tuis arctioris in dies nexu ſeruitutis obſtringas. Quin etiam id tu ipſe tecum animo cogita diligenter, non rarò quidem eò malitiæ deſcendis, vt illius ope ſubſidióq. audeas abuti, ad obſequium improbitatis tuæ, ad latebram ambitio-

Digitized by Google

nis, ad ſimulationis inuolucrum, ad mendaciorum facilitatem, ad turpitudinis, peruerſorúmque conſiliorum aliquo rationis vt honeſtatis velo tegendorum defenſionem. Inſane, & præter ſpeciem ſtulte, quò animi tui ſanitas abſceſſit, vel ſi quam eius partem etiamnum reliquam habes, vide etiam atque etiam quid agas. Ita ſe gerere aduerſus gloriæ Regem, ſic agere cum Deo maieſtatis. Vulgo dici ſolet nullum cum eo qui viribus ſuperior ſit ſuſcipiendum eſſe certamen: tu porro (quæ cæcitas eſt ingenij tui) cum creatore tuo dimicas, atque confligis: illius potentiæ vim, iuſtitiæ ſeueritatem, brachij pondus ignoras? Si verò ita credis, vti iactas, quis te tantus ſtupor, animíque tui conſcientiam oppreſſit. Num vereris ne vehementiſſimus calamitatum imber è cœlo tuum in caput effundatur, ne Angeli diuinæ vltionis adminiſtri in tuam inſolentiam armentur, ardentiſſimóque zeli æſtu comitati, eum tibi ictum infligant, quo ad æternam infelicitatem deuoluaris. Tibíne recordatio defluxit militum ad centum & octoginta quinque millia cæſorum eâ ſolùm

de causâ, vt verba quædam à Sennacheribo Aſſyriorum Rege ſuperbiùs prolata expiarentur: num meminiſti Chore, Datham, & Abiron terræ dehiſcentis hiatu cum eiuſdem culpæ conſciis abſorptorum, quòd debitam Moyſi reuerentiam vel ſemel prætermiſiſſent. Memoria tenes exitum fatalem atque funeſtum Regis illius Balthaſari, quo pacto poſt terrorem ipſi manus ad parietem ſcribentis aſpectu iniectum, eadem nocte oblectamentis omnibus, fortunis, dignitate ac vita exutus ſit, quod templi Hieroſolymitani vaſis ad res profanas abuſus fuiſſet. Nihil igitur hæc omnia te mouent, nihil momenti & ponderis habebunt ad coercendam audaciam tuam, curſúmque inſolentioris vitæ ſuſtinendum? Cùm deterius vixeris quàm quiſquam illorum, frequentiúſque Dei ſcientior prudentiórque peccaris: putáſne vitæ iſtius ſolutioris temeritate producta, aut diuinorum iudiciorum ſeueritatem à te declinatum iri, aut ſine pœna ad cæterorum terrorem & exemplum inflicta, te ex iuſtiſſima Dei manu poſſe dilabi? Si dimidio leuiori minorique inſolentia ſeruus

in te tuus vſus fuiſſet, quàm tu ipſe in Deum peccaris, idémque commonente me officij ſui, neglectionem verborum meorum, meique cõtemptum præſeferret, eundémq. pergeret libertatis curſum tenere; an diſſimulanter illum tolerares, & impunitum abire patereris? pro meritis in eum animaduerteres, opinor, ſic autem putato; Deum ita tecum eſſe prorſus acturum niſi vindictæ occurras, ſinceróque vitæ melius in poſterum inſtituẽdæ propoſito ac ſponſione, impendentem malorum perniciem à ceruicibus tuis depellas, quibus iam oppreſſus omnino concidiſſes, niſi aliquam bonitas diuina rationibus tuis miſericordiam præſtitiſſet.

Capitali mortis æternæ ſententia immoderatos omnes affectus Dei Verbum condemnat.

Cap. V.

Audi ergo, ſed aurę minimè ſurda; audi has Domini Dei tui voces in ſacris Euangeliorum auctoritati-

bus perſcriptas: *Qui non baiulat crucem ſuam, & venit poſt me, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Si oculus tuus dexter ſcandaliſat te, erue eum, & proiice abs te: expedit enim tibi, vt pereat vnum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam. Qui perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam: nam quid prodeſt homini, ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur: aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua?* Habes oracula è certiſſimo veritatis ore, quibus certior fias, nullum: qui rerum creatarum amorem non exuerit, eáſque non oderit, quibus à cultu Numinis auocatur, in diſcipulorum illius numero non ponendum, ſed animam eius æternum apud inferos ſuppliciorum diſcrimen apertiſſimũ eſſe ſubituram. Quæ cùm ita ſint, quid de te cogitationis, quid ſpei ſuſcipere debes? qui non modò ea non odiſti, & procul amandas, quæ à Deo tuo te infeliciter abducunt; ſed quantumcumque in te cordis, amoris, & voluntatis eſt, id in illis immoderatè amandis, ambiendíſque totum effundis? quæ ob fibulam, ſertum, redimiculum, ob catulum amiſſum,

ſum, aut ceſpitem vnum, & id genus crepundia, pro vt variè res occurrunt, adeò ſuperbis, adeò commoueris, exardeſcis, & furis, vt omnem Dei memoriam abieciſſe videaris? nunc efferris lætitia, nunc triſtitia deprimeris; alios iam conuicio, iam verberibus laceſſis: hodie periurus, cras blaſphemus exiſtes: denique tam ſæpe renouantur ſuperbiæ, impotentiæ, iræ, & indomitarum cupiditatum vehementes acceſſus quibus agitaris, vt vix vlla tam graui morbo medicina ferri poſſe credatur. Et verò ſi quis ad externam duntaxat ſpeciem actionum tuarum attendat, nullus te Deo niſi cupiditatum tuarum, quibus ſtudioſè aſſeruis, obligatum ſacramento ſibi facilè perſuadebit. His oraculorum diuinorum effatis, Apoſtolorum ore promulgatis, Martyrum ſanguine ſancitis, cœleſtium prodigiorum auctoritate confirmatis, quibus orbis conſentit vniuerſus, his, inquam, ſi acquieſcis, quid eſt quod vitæ annos ita traducas, vt neque ſtimulis conſcientiæ vllis vrgearis, nec horrendum Dei tribunal reformides, nec te flagitia tua magis terreant, quàm ſi Mi-

leſiæ fabulæ, aut mera ſomnia narrentur. Cur rationibus tuis, ſalutique ita malè prouiſum & conſultum eſſe pateris, vt non proſpicias quàm certum in exitium ruas? quámque ſit factu procliue, vt illo fulmine de cœlo tangaris, quod in perditos iactat ſanctiſſimus
Iſa. 30. Propheta: *Væ filÿ deſertores, dicit Dominus, vt faceretis conſilium, & non ex me, & ordiremini telam, & non per ſpiritum meum, & adderetis peccatum ſuper peccatum, qui ambulatis, vt deſcendatis in Aegyptum, & os meum non interrogatis, ſperantes auxilium in fortitudine Pharaonis, & habentes fiduciam in vmbra Aegypti, & erit vobis fortitudo Pharaonis in confuſionem, & fiducia vmbræ Aegypti in ignominiam;* Si qui Dei opera negligenter facit, ei Deus ipſe maledicit, quid te fiet quæ in omnem te iniquitatem profundis.

Digitized by Google

Vita licentior, quæ ad mortem externam incumbat, debet idcirco maximo odio haberi.

Cap. VI.

Sed attende anima Chriſtiana, quo te rapiat liberioris vitæ licentia, te enim illæ cœleſtis ſponſi voces compellant: *Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi poſt veſtigia gregum tuorum.* O, ait, anima ratione prædita, ad imaginem & ſimilitudinem Dei expreſſa, ſubſtantia immortalis, dotata mente, voluntate nobilitata, memoriâ locupletata, ad gratiæ & gloriæ ſtatus excipiendos aptiſſimum ſolum: anima cæteris animabus longiſſimè præſtans, plantis & animantibus multò nobilior, ſi te ignoras, ſi te ipſa non capis, ſecede ex teipſa tantiſper, dum in tui cognitionem venias, inſiſte veſtigiis gregum tuorum, odorare ſordes illas, quæ ex tuis facultatibus exiſtunt, cùm paſtore deſtitutę errantium inſtar armentorum à recta Legis diuinæ ſemita deiectæ eò

diuagantur, quo ſuæ illas cupiditates inſtigant; circumſpice quò te error abducat, quem peruerſus rationis tuæ vſus induxit! Attende, quo te turpes viſorum & ſenſuum imagines, quò proteruia oculorum, aurium curioſitas, mollities odorationum, palati irritamenta, tactionum ſordes, quò denique petulantes amoris, odij, timoris, & elatæ lætitiæ cupiditates abripiant: in hæc veſtigia & notas intuere, ac diligenter inquire, quibus te ſi ad certum ſempiternúmque exitium, peccati ſcilicet cubile & ſedem, compelli animaduertas, ad inconſultam temeritatem tuam exhorreſce, quæ te tam longè, nec opinantem in abruptas anguſtiàs compegit. *Eſt via*, (inquit Sapiens,) *quæ videtur homini iuſta, nouiſſima autem eius deducunt ad mortem.* Ingreſſa es heu! anima in illam viam, & magnos in ea progreſſus iam habes; ſi vno atque altero procedas gradu, actum eſt, è lubrico iſto veſtigio, in præcipitem infelicitatis æternæ voraginem rues. Regredere igitur, infelix Sunamitis, regredere anima ſomniculoſa, retro iter inflecte, & te viæ tutiori committe:

redi ad te ſaniore conſilio, ac ſemitam cœli capeſce, à qua per imprudentiam tam periculosè diſceſſiſti.

Nimium quantum hominis intereſt vt prauos affectus exuat, cùm ſint tandem velit nolit amittendi.

CAP. VII.

ANIMADVERTE exuendas aliquando tibi vel inuitæ cupiditates illas quę tibi perniciem conſciſcunt: quid enim quæſo eorum quæ lunæ ſubiecta ſunt firmum & ſtabile animaduertis, an non perpetua viciſſitudine iactantur? quæ res ſummam curſus firmitatem habere putabatur, an non illam perleui momento inclinari & mutari videmus? *Cœlum & terra tranſibunt* (inquit Veritas) igitur & omnia quæ cœlo terráque cinguntur, atque adeo tu ipſe cum reliquis, imo & celeriùs quàm pleræque rerum cæterarum defloreſces atque tranſibis. Homo exiſtis, quid autem eſt homo præterquam fœnum, flos verè pubeſcens, vmbra leuis

Digitized by Google

& fugax, noctis ſomnium vapor euaneſcens; vas ex argilla conflatum, atque vt philoſophus quippiam dixit, imbecillitatis exemplum, ſpecimen infirmitatis, temporis exuuiæ, inconſtantiæ imago, trutina miſeriæ, prætterquam quod bilis eſt pene totus atque pituita. Poſſéſne in tanta fragilitate diu perſtare? diuitiæ quibus niteris plus firmitatis in manibus tuis obtinere non poſſunt. Quàm multos ſingulis diebus vides quibus auferuntur, cùm maximè ſecuram illarum poſſeſſionem eſſe credebant? Voluptuarius ille parabolæ Euangelicæ auarus, cuius prædium tam vberes tulerat fructus, vt inde ad plures annos auctum ſe atque ditatum, commodiúſque victurum ſperaret, an non qua nocte ſibi percipiendas indidem voluptates vana opinione confidebat, ea ipſa audiuit. *Stulte hac nocte repetent animam tuam à te.* Caduca non immeritò id generis bona dicuntur, eiuſmodi ſunt præſertim in manibus impiorum, qui quidem illis affixi à Deo animum abiungunt, quos proinde Diuus Iacobus hac verborum ſeueritate compellat. Si porro facultates illæ, quibus

videtur aliquid eſſe ſtabilitatis attributum, quę tam accuratè tot clauium prę-ſidio ſigillóque muniuntur, ita defluunt è manibus improborum, quid fiet diſ-ſolutis eorundem libidinibus, quid voluptatibus obſcœnis, quid appetitionibus ad omnem licentiam proiectis? an illæ conſtabunt ſemper? an earum ſui perpetuitatem ſine vllo iacturæ metu præſtabunt? an plus eædem quàm res ipſis obiectæ, ex quibus aptæ ſunt atque pendentes, diuturnitatis habituræ. Vnà cum illis quàm celerrimè peribunt patientia diu neglecta ſpe tandem omni veniæ abiudicata ſeueritatem accerſit. Vide igitur num ſit multùm è re tua, vt te maturè recipias, nec amplius ad improbitatis tuæ ſenſum obducto veluti callo pertinaciter obdureſcas. Id ſi tu ipſe præſtabis, prætérquam quod pœnas effugies Dei minis intentatas, illud inſuper ad te emolumentum redibit, vt reliquum vitæ tuæ tempus Deo gratum futurum ſit, tibíque fructuoſum, vberrima bonorum operum ſemente facta, quàm tota æternitate decerpas. Quid cunctaris? num hæc tandem à te recogitari æquiſſi-

Digitized by Google

mum eſt quidquid hactenus à te profectum eſt tibi, periit ac pro nihilo ducendum eſt, niſi quod cùm grauiſſimè Dei maieſtatem offenderit, quòd multùm ſanè ponderis habet ad æternas tibi calamitates apud inferos colligendas. Te tamen ſupremus ille rerum omnium ſator, vt malleolum electum in fœcundo Eccleſiæ ſolo collocarat, ſed terrenis cupiditatibus cœleſtem depaſcentibus humorem; degeneri vitio in ſylueſtrem mutata vitem acerbas tantùm labruſcas peperiſti. Tu excuſſo Domini tui iugo, abruptis diuinæ legis vinculis, in inſanas illas voces erupiſti, *& dixiſti, Non ſeruiam.* Nunc ergo ſaltem reſipiſce, & extremum vitæ anticipa diem, quàm enim inſipienter agit, qui immenſam æternitatis beatitatem, periculoſæ vnius momenti aleæ committit?

Extremum emendationis vitæ ad mortis horam differendæ periculum.

Cap. VIII.

Fvrtim mors obrepit, nec opinantes oppreſſura. Quàm multos

Digitized by Google

ſingulis diebus ex hac vita ſubduci vel prius abripi videmus, quàm vel de morte cogitandi locum & otium habeant, nedum conciliandi ſibi Numinis iiſdem conſilium & facultas occurrant. Miſericordia diuina inconſultè abutuntur, qui vitam malè inſtituendo id otij & gratiæ præſtolantur: demus enim otium tibi de Deo & morte cogitandi non defuturum; at illud quàm multi effluere patiuntur. Plus (inquis) ſapies quàm illi: optarim equidem, credere tamen facilè non auſim. qui enim fieri poteſt, vt quorum vitæ turpitudinem vel ſuperas, vel adæquas, illis in morte de inſipientia concedas? At quo ex fonte maiore illa tibi ſapientiæ vis haurietur? An à te ipſa qui maiorem in dies imprudentiam exerces, vt eam moriens, velut extremo amentiæ actu concludas? An ab Angelo præſide illam expectas? At præſides etiam habent Angelos, non minùs ſuorum amantes, & ſtudioſos illi omnes quos perire certum eſt. Quibus verò tuum officiis prolectas vt validiores, quàm cæteri ad expugnandum cor tuum machinas intendat? An igitur à Deo? ſed

ô infame portentum, non tanta vales apud Deum gratia, vt irritam tuâ cauſâ hymnographi ſui vocem eſſe velit? *Virum iniuſtum, mala capient in interitu.* Aut inane ſapientis oraculum, *Cor durum habebit malè.* Et multò apertiùs alibi, *Quia vocaui & renuiſtis, oſtendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret: deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis. Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cùm vobis id quod timebatis, aduenerit.* Quæ cùm ita ſint, cur ita ſtultitiæ confidis, vt præ cæteris, qui in horas ex hac vita migrant incauti, magis prouiſum & conſideratum exitum ſperes? O miſeria! ſi nunc dens tibi doluerit, ſi vel extremis articulis laboras, ſuperos inferóſque inſana deierando laceſſis, quo te igitur vertes, cùm ſuis te mors vinculis conſtringet, & acutiſſimis doloribus inuſtis, in extremum vitę diſcrimen vocabit? Eſto ſanè, tibi ob oculos miſeratio diuina verſetur, ne poſt tot flagitia ſpes tua penitùs concidat; nunquam enim ſeriùs pœnituit, quàm ſeriò ſui pœnitet: ſed quod ſeriæ pœnitentiæ veſtigium in eo reperiatur, qui abeun-

tibus cæteris rebus omnibus tum demum ad pœnitentiam confugere nititur, cùm ſenſibus propè deſtituta mens, vix, ac ne vix quidem conſueta naturæ munia obire poteſt? Qua igitur ratione ea præſtabit, vt cum Deo in gratiam redeat; quorum & ipſe tam inſolens eſt, & quæ per ſeſe ſunt adeo ardua & operoſa? quomodo in ſua ſcelera vehementi doloris ſenſu exardeſcet? quomodo penitus conſcientiæ latebras ſcrutabitur, vt omnes ſordes in aure ſacerdotis exoneret? quomodo reliqua implebit, quæ tam acrem & erectam mentem ad tam laborioſum opus ſuſcipiendum requirunt? An libero vt par eſſet, ſolutóq. erit animo, inter vagientium puerorum turbas, coniugis lamenta afflicta, familiæque luctum, blandiente mundo, ſenſibus vitæ prorogandæ ſpe deluſis, protendente pœnitentiæ tempus dæmone, diſſimulantibus præſens periculum medicis, & meliora ſperare iubentibus, neceſſariis in id incumbentibus vnum, vt vaniſſima ſpe fallant; ſacerdote in conſpectum venire, vel dubitante, vel prohibito, omnibus morti propulſandæ intentis, nemine de illa religiosè &

Chriſtiane moderanda laborante. Heu! quot animarum greges abripuit inferorum prædo, quæ nunc æternis ignibus pabulum præbent, quod pœnitentiæ tempus procraſtinantes exitiali hac, & belluina, imo diabolica ſalutis incuria illudi ſe damnaríque ſiuerint. Erige ergo te, & iterum moneo diuinę miſerationis ſpe ſuſtentata confide, paſcat oculos tuos tam familiare tibi, boni latronis exemplum: memineris tamen extremæ dementiæ non leue argumentum eſſe, nullo diuinæ iuſtitiæ terrore percelli, quæ Antiochum in illo temporis articulo repudiauit, quæ innumeros alios deſperata ſalute ſua miſerum in modum perire paſſa eſt, quod inuitationis diuinæ maturitatem non agnouiſſent, & ablata melioris vitæ præſidia arripere neglexiſſent. Hinc illa grauiſſimi Eccleſiæ doctoris verba, *Si vis agere pœnitentiam, tunc quando peccare non potes, peccata te dimiſerunt, non tu illa.* Quem ergo ita pœnitet, ſicut in ſua conuerſione plus neceſſitatis quàm voluntariæ emendationis oſtendit, ita in ſalute conſequenda maiorem ab eo neceſſe eſt timoris quàm ſpei cauſam haberi.

August. lib. 50. hom. 4.

Digitized by Google

Conſideratio malitiæ peccati qua eius odium concitetur.

CAP. IX.

REPLICA memoriam veritatis illiusquam cum extrema lethalis noxæ malitia, tum iuſtitiæ diuinæ abſoluta perfectio conſtantiſſimè perſuadet; nimirum vt deſertorem Angelorum lethale facinus vnicum æternis addixit ſuppliciis, ſic hominem vnico ſcelere capitali eoſdem in ſe accerſere cruciatus altera in vita neceſſariò ſubeundos, niſi res nefariè geſtas in hacce mortali voluntaria pœnarum perpeſſione abſtergat. Inquire igitur diligenter, an vllum vnquam huiuſmodi admiſeris crimen? Quid dico vllum? ſatíſne heu! percenſere vales, quàm multis, & quàm grauibus te hactenus contaminaris? nónne luxus, arrogantia, ira, inuidia, cæteræque animi peſtes ſupra innumerabilem arenam maris in pectore tuo aceruatim cumulata ſunt, num è tetra cordis tui ſentina fœdus odor ad ipſas

vſque nubes peruaſit? nónne horrendæ ſcelerum tuorum voces cœlum ipſum impleuerunt? conſcientiam ſuper hac re tuam appello; vt tamen vnum duntaxat flagitium patraris, cùm illud capitale ſit, capitalis criminis ream te fecit, iræ filiam, cœlorum exhæredem, inferis in æternum tempus addictam. Quòd ſi ita res habet, vt habere inficiari non potes, quid agis mortalium infeliciſſima? quomodo ſpiritum trahis? nunc cùm placandum tibi ſit ſtudioſè Numen, cùm incumbendum vt in eum, è quo turpiter excidiſti, ordinem reſtituaris, cùm imminens vindictæ periculum à ceruicibus amouendum, tu nouis in dies ſceleribus inquinatior, cumulatioribus flagitiis odioſior euadis, & ſingulis pene momentis te in maiorem vitiorum importunitatem immergis. Concepto velut iureiurando id eniti videris vt ſordium receptaculum, turpitudinis cloaca, ſentináque omni ſpurcitiarum genere redundans fiat cor tuum, nullis cupiditates tuæ terminantur finibus, nulla opum affluentiâ deſiderium tuum expletur, oculi tui continenter vitium ſpectant, venenum ſub

Digitized by Google

labiis conceptum foues, ſepulcrum patens eſt guttur tuum, execrationibus ac diris os plenum eſt, dolus & fraudes tuis in omnibus viis apparent, adeò vt qui vitæ quàm ducis inſtitutum & rationem expendat, verè dicturus ſit nihil Chriſtianę conditionis pręterquam nomen tibi reliquum eſſe : quo vſque perdita, quo vſque. *Cùm iudicium Dei ſit ſecundùm veritatem in eos qui talia agunt, exiſtimas quia tu effugies iudicium Dei? an diuitias bonitatis eius & patientiæ & longanimitatis contemnis? Ignoras, quoniam benignitas Dei ad patientiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei, qui reddet vnicuique ſecundùm opera eius.* Væ tibi, ſi ad diem illum merces actionibus tuis digna rependatur, quid enim tunc accepturum te putas? Vtinam vel ſemel in ſeriam huiuſce rei cogitationem veniſſes, ſapientiùs ageres, certè quidem cautiúſque ſalutis tuæ rationibus prouideres. Quàm formidoloſa ſunt iudicia tua, ô Deus meus? id ſi tibi calamitatis acciderit, ſi quæ diuina veritas pronunciauit expectationi noſtræ re-

ſpondent, quandoquidem iniquitatem inſtar aquæ perpotes, calicem iræ diuinæ ad fæcem vſque exorbere cogeris: quia nunc ficus exiſtit fructu vacua, ſterilis arbor tunc ad radicem admouebitur ſecuris, æternæque imprecationis vltioniſque vim effectúſque perſentiſces: quoniam lege Dei circumſcripta, te ad impiorum conſuetudinem adiungis, tunc iuſtiſſimo ſupremi iudicis edicto à iuſtorum communione diuulſa, te ad execrandam dæmonum ſocietatem abiectam dolebis; quando nunc amiſsâ grani melioris naturâ, ad zizanij conditionem deſciſcis, tunc ad ignis nunquam extinguendi fornacem præceps detruderis, qui nunc veſtem nuptialem non induis, tunc pedibus manibúſque colligatis in tenebras exteriores amandaberis, quoniam inſtar aſini ferocientis ad voluptatem inſaníque amoris oblectationes adhinnis, in obſcuriſſimum æternæ infelicitatis domicilium ſempiternis vinculis onerata compingeris, cùm immiſericors, ſuperbiáque elata ægrotos tuis ab opibus conſpectúque excludas, diuinæ ſeueritatis iudicium ſubibis, cuius acerbi-

tate

tate perculſa aquæ nunquam obtinendæ guttulam expoſces : quandoquidem nunc Satanæ conſiliis affixa ſalutifera Cuſtodis Angeli monita & inuitamenta contemnis, tunc beata illa mens te ad ſiniſtram expellet vbi conſiliarios hoſce tuos carnificum ad puniendam ſcelerum tuorum nequitiam deſtinatorum loco habebis. Quid aliud à me verborum expectas ? quia nunc delicias & explendæ libidinis vias omnes conſectaris, tunc nihil præter acerbiſſimos cruciatus accipies, vulneribúſque toto corpore iniuſtis hypocritarum numero adſcripta in æternos gemitus nullo ſolatio leniendos effunderis, dentibúſque continuo ſtridore colliſis deteſtandæ conditionis tot criminibus vltro conquiſitę ærumnas, ditiſſimóſque cruciatus cum ſempiternâ deſperatione lugebis. Ea eſt ſors impiorum; ait Dominus, quæ tibi tandem aliquando ſubeunda, ſi tuis operibus conſentiens ſincerum in te iudicium feratur. Idem ego nunc tibi ſignifico anima, corde penitus omni, oculíſque & auribus orbata, Deum time, bonis operibus admoue manus tuas, dúmque etiamnum con-

ciliandi tibi Numinis, & in eius gratiam redeundi aditus patet, illius iram emendatis vitæ tuæ rationibus demulce, dignos pœnitentiæ fructus ede, diuinæ benignitati manus intende, mœrore depreſſa te ad infinitæ miſerationis pedes ſuppliciter proſterne. Id niſi præſtiteris, niſi illius voci auſcultes, longè deterius quàm præmonuerim tecum agetur: quæ modò legis à me conſcripta, ea obſtinationis tuæ & refractariolæ ceruicis peruicaciam aperti teſtimonij libertate conuincent. At prouidentiùs opinor tibi cauebis, atque in glorioſam illius quam de peccatorum tyrannide Chriſtus reportauit victoriæ ſocietatem venies, captiuitatis tuæ vincula & catenæ diſrumpentur, túque diuinæ in gratiæ libertatem vindicata, Creatori tuo gloriam, tibi ſalutem, Satanæ inferíſque ſempiternum dedecus accerſes.

Digitized by Google

Alia conſideratio è ſingularibus lethalis apud inferos pœnis.

Cap. X.

HÆc ſi te ſatis vehementer non mouent, contende amabo oculos, & expende diligenter, in fœdiſſimo Tartarorum carcere, præter exquiſitiſſimos ſenſuum omnium cruciatus, præter nunquam ſatis deplorandam diuinæ viſionis iacturam, præter communem cunctis ſupliciorum acerbitatem, nullo te vnquam vel minimo voluptatis ſenſu leuandam, ne aſpersâ quidem æſtuanti in ſummis ardoribus linguæ, vel minimâ lymphæ guttulâ recreandam: præter hæc, inquam, priuatos ſingulis criminum generibus, vt quiſque illis indulſerit, tormentorum aculeos eſſe comparatos. Quiſquis dum viueret, elationem animi cum Lucifero amauit, ille in infetis ad extremam prope contemptionem deprimetur: quem auri cupiditas à Deo auerterit, tanto miſeriore conflictabitur rerum omnium

inopia, quanto ardentiùs diuitiis inhiarit, par in libidinoſos, implacabiles, guloſos, inuidos, aliiſque immerſos peccatis homines adhibebitur pœna, ſuum cuique ſtigma proprium inuretur, priuatis quilibet cruciatibus ingemiſcet. Hanc iuſtitiæ diuinæ rationem interdum humanæ leges adumbrant, cùm illi maximè corporis parti pœnam infligent, quæ potiſſimùm fuit patrandi ſceleris inſtrumentum; ſic transfugæ pedibus, manibus parricidæ, periuri linguâ mulctantur. Quare quo turpiori ſe quiſque in cœno volutarit, eo acerbiores in ſe inferorum carnifices experietur: quem ſuperbia tumidum, rapacem auaritia, libido fecerit impotentem, is ſanè quàm qui ſuperbus tantùm fuerit, infeſtiore ſupplicio plectetur: quin & ille mitioribus vtetur tortoribus, qui ſuperbiâ ſemel duntaxat, quàm qui ſæpiùs arrogantiâ peccauit. Æquum enim eſt vt ſcelus admiſſum æqua pœnæ ratio caſtiget.

Hæc cùm exploratiſſima ſint, ſic tecum ipſa (niſi te flagitia tua omni iam rationis vſu ſpoliarint) ſtatues: quos iuſtiſſima Dei ſententia inferorum car-

ceri addixit, ij gemina ſenſus & damni pœna æternùm duratura, grauitate infinita puniuntur: ad hæc ſingularibus ſinguli pro criminum ratione cruciamentorum acceſſionibus torquentur: vbi primùm igitur lethali labe conceptâ, diuinam legem violaſti, & commune, & priuatum ſupplicium commeruiſti: ſecundo ſcelere in duplum iuiſti: tertio in triplum, & ſic deinceps procedentibus flagitiis ſupplicia creuerunt. Atqui ferendo vel illorum vni ſupplicio impar ſum, cùm ſola æternitatis eius cognitio vel temerariam cuiuſuis audaciam infringat: quæ eſt igitur iſta confidentia mea, quæ tam procaciter & liberè, non vno, aut altero eiuſdem rationis flagitio, ſed innumeris ſcelerum offenſionibus ſupremum Numen laceſſo, adeóque grauibus, vt cum ſceleſtiſſimorum ſæpe dæmonum nequitiâ meorum grauitas criminum ſuperiori propemodum conditione certarit: quibus igitur, & quàm horrendis cruciatibus affligar, ſi tot onerata criminibus, ex hac vita decedam. O ſanctum pœnitentiæ aſylum omnibus mihi votis expetendum! quid eſt quòd ad te

non confugio? cur ad Dei mei pedes non protinus accedo? quæ me compedes vinciunt? quid impedimenti retardat? an timor vinculorum, quibus inſolentes motus conſtringendi ſunt, & domandæ cupiditates? O me inſanam! eſto enim duriſſima ſint vincula illa, & graue iugum: quid tandem hæc ad intolerandos inferorum ignes, quibus me non ſemel deuoui? Hæccine aliquo in numero ponenda, poſt agnitas pœnas meis iuſtè ſceleribus erogandas? an non certum eſt, vel exoneratis in me vnam omnibus iis cruciatibus, quos in hac vita mortales omnes pertulerunt, earum quas toties admiſi lethalium noxarum ne vnam quidem illis expiari poſſe? méne ergo fugiat non eſſe adeó facilem è terris ad cœlos viam? regnum cœlorum vim pati? non niſi præeunte Crucis vexillo beatos eò perueniſſe? ne ipſum quidem Ducem & Seruatorem noſtrum cumulatam ſine ſudore & ſanguine corporis gloriam eſſe conſecutum? adeóne rudis ſum, vt nec dum ſciam *neminem coronandum, niſi qui legitimè certauerit?* adeóne in Chriſtiana ſchola peregrina, vt naufra-

gis ſolam pœnitentiæ tabulam ſupereſſe reſciam, quàm niſi arripiant, æterna voragine abſorbeantur neceſſe eſt? ergóne mihi quàm toties perfidam, toties ream maieſtatis Deus, eiúſque Angeli ſupereſſe patiuntur, mihi, inquam, potiùs pereundum eſt, quàm pœnitentia ſponte ſubeunda? patiárne per ſummam imprudentiam mihi oſcitāti commodum expiationis tempus è manibus elabi? excidéntne mihi horæ illæ optabiles, dies ſalutis quibus modico dolore meo cum effuſis Chriſti doloribus coniuncto, ea nomina explicare ac delere poſſum, quæ me poſtea repræſentare non valentem ſempiternis ignibus adiudicarent? an melioris vitæ conſilia in illud tempus reiiciam, quo vitæ reliquum nihil erit? quò mortis faucibus immerſa hiantis tartari præda iamiam ero abſorbenda, vt infelicem illam reproborum querelam ęternis gemitibus decantem: *Ergo errauimus à via veritatis, & iuſtitiæ lumen non illuxit nobis, & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis. Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus. Quid nobis profuit ſu-*

Digitized by Google

perbia, aut diuitiarum iactantia, quid contulit nobis? tranſierunt omnia illa tamquam vmbra, & tamquam nuntius percurrens. talia dixerunt in inferno hi qui peccauerunt, ait oraculum diuinum, *quoniam ſpes impij tamquam lanugo eſt, quæ à vento tollitur, & tamquam ſpuma gracilis quæ à procella diſpergitur, & tamquam fumus qui à vento diffuſus eſt, & tamquam memoria hoſpitis vnius diei prætereuntis. Iuſti autem in perpetuum viuent, & apud Dominum eſt merces eorum.* O Deus pater, & conditor vniuerſorum, egóne immortalis cum reprobis immortali morte interibo?

Beatitudinis cupiditas odium peccati debet afferre.

Cap. XI.

VNo verbo negotium hoc expedire potes, liberam te creauit Deus, aquam & ignem, bonum & malum, mortem & vitam in medio poſuit, integrum eſt tibi ad vtrumvis manum admouere: clarius dico, arbitrij tui eſt vel in cœlum eniti, vt cum Deo iucundè

Digitized by Google

viuas, vel in barathrum detrudi, vt cum dæmonibus æterno tempore concremeris. Si cœlum cogitas (vt cogitare præ te fers, nec dubito) cur illius ipſa tibi viam intercludis? An non ille omnium irriſione luderetur, qui ad diuitias parandas intentum ſe iactans ſuas prodigè facultates dilapidaret, & patrimonium obliguriret? ad eum penè modum inſanis: cœli viam affectare te prædicas, peccatum interim in ſinu foues, hoc eſt, Spiritu ſancto teſte, *ignem ad perditionem vſque deuorantem.* Num vides opera tua cum verbis, cum deſideriis, vitæ inſtitutum, vitia cum naturali propenſione pugnare: *Multi* (ait Auguſtinus) *flagitia committentes ſpem ſibi ponunt, propter eos, qui perditè viuentes ſpem ſibi ponunt in regno Dei, quò non acceſſuri ſunt, dictum eſt enim: vultus Domini ſuper facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum.* Cùm in iſtorum numero ſis quis te maneat exitus, niſi tibi conſulas, à magno illo doctore accepiſti: ſi ad beatam vitam contendis; quare deſerta beatorum ſemitâ, in qua dum viuerent, ſua illi veſtigia impreſſa reliquerunt, ſceleſtorum & reprobo-

rum viam ſectaris, num fortaſſe impo-nis ipſa tibi, atque opinionis vanitate fingis beatas illas mentes ad omnem inſaniam proiectas, peccatis indormi-ſcentes, dæmonum artificiis acquie-ſcentes, eam ſibi felicitatem comparaſ-ſe, quâ iucundiſſimè fruuntur? vix pu-tem: clariora ſunt enim veritatis ipſius verba, quàm vt in dubium reuocari poſ-ſint, beato Paulo, non vno loco denun-ciante, *Neque fornicatores, neque adulte-ros, neque molles, neque fures, neque aua-ros, neque temulentos, neque detrectatores, neque rapaces, neque iniuſtos regnum Dei obtenturos*. Hæc cùm credas, quorſum in his vitæ ſordibus deliteſcis? num vi-des te ſtadium ingreſſam, in quo ſi la-xas cupiditatibus habenas mittere per-ſeueres, non aliam quàm inferorũ me-tam aſſequi poſſis? ſed enim mutato for-ſitan conſilio hanc tibi viam proponis? ſi ita res habet, cur omnibus te volupta-tum generibus non dedis? cur remiſſis velut habenis te in libidinem, omniá-que vitia non effundis? cùm vllum ſti-mulantibus aculeis in conſcientiâ lo-cum relinquis? quare diuinæ legis gra-ue iugum non conculcas? Quid eſt quod

vllis diuinorum præmiorum illecebris ducare, aut pœnarum terrore percellaris? quorſum hæ preces, eleemoſynæ, & reliqua pietatis opera, quæ identidem vſurpas? Neque enim iſtæ in Tartari foro merces exponuntur, diribitores illos Satan ad ſuas nundinas non vocat. Quid ad hæc tandem, quid agis? ah! audio te hiſcentem & muſſantibus labellis dicentem fieri non poſſe, vt hæc pietatis opera plane abiicias, adeo' innatum & impreſſum, eſſe beatitatis deſiderium, vt extingui non poſſit. Eſt omnino vt dicis: omnibus honorum & diuitiarum illecebris in Ægypto Adad circumfluebat, nunquam tamen illę inſidentem animo Hieroſolymæ dulciſſimæque commorationis cupiditatem abſterſerunt, quamuis exaggeratio rebus te mundus fortunis & voluptatibus oppleret, felicitatis tamen æternæ cupiditatem excludere nunquam valebit. Hæc igitur tecum reputa, & intimis animi ſentibus expende, in quibus cùm hoc deſiderium abditum repereris, da operam ne inane & infructuoſum eſſe patiaris: ſequere vocantem Deum, & cætera cùm adſint, ne ſola deſis tibi:

erumpe tandem in has voces, premi, ſed non opprimi poteſt beatitatis deſiderium: etſi minimè velim felix eſſe volo: quid igitur viam felicitatis non capeſſo? quod hactenus ingreſſa ſum iter illud me ad inferos trahit, quos natura duce vehementiſſimè formido. Redeo igitur ad te Deus meus, & cum hymnographo tuo profiteor, *O Domine ego ſeruus tuus, ego ſeruus tuus, dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis, & nomen tuum inuocabo: vota mea Domino reddam in conſpectu populi eius, in atriis domus Domini, in medio tui Ieruſalem.*

Praxis vtiliſſima ad immoderatum omnem affectum comprimendum.

Cap. XII.

SI te iſta non mouent, neque amor Dei, neque timor inflectit, ſi ad eorum quæ propoſui, horrorem non expergiſceris, ſi te arctus illecebrarum ſomnus etiamnum tenet, etiam atque etiam rogo te, & vehementer obteſtor, vt euigiles tantiſper, & ſalubris conſi-

lij, quod nunc paucis aperiam periculum facere velis. Expende quæ qualéſve ſint illæ peccandi illecebræ, quibus irretiris; ternas quaternáſve plus minus pro morbi tui intenſione, vel remiſſione eſſe comperies: ſcaturire porro illas vel ab inexpletâ fortunarũ auiditate, vel ambitioſo honorum ſtudio, vel vindictæ cupiditate, vel impotenti alicuius hominis amore, aut alia id genus ſentinâ deprehendes. Tum arbitris omnibus remotis ſola, Ioſephi inſtar, qui de re graui deliberaturus in conclaue ſe abdebat, oculis ad imaginem Chriſti pendentis de Cruce conuerſis, paratum in pluteo calamum arripies, & in charta miſeriæ huius tuæ cauſas ſummatim exarabis. His ita geſtis ſchedam in manus ſumes, eámque ita perleges, vt pronunciantis voces ad aures vſque peruadant; eodémque tenore hæc addes: En igitur vincula quæ me in peccati ergaſtulo detinent, & Dei amorem è corde meo depellunt, ſatis heu! illa ſentio, & inteſtini conſcientiæ angores qui me dies noctéſque compungunt, hæc ignorare non ſinunt: numquámne his compedibus ſoluar?

numquámne manumittar? ſempérne in ſinu meo hi vepres fruticabuntur, dumetáque ſuccreſcent? mors eſt iſta vita mea, non vita: non alia eſt, è tam aſpero vado emergendi ratio, quàm ſi aut ex eo forti animo erumpam, vt Deo me totam addicam, aut præcipiti flagitiorum alueo ita me committam, vt voluptatum vndis penitus immerſa ſecura numquam amplius in cœlum caput attollam. Experientia ſiquidem duce & magiſtra iam pridem didici, nullam quietis ſpem mihi fore, quandiu in varias diſtracta cogitationes, nunc ad virtutem, nunc ad vitium anceps impellar, nullus hic cunctationi locus, quò celeriùs rem confecero, eò cautiùs fuerit rationibus meis ſalutique proſpectum. Nunc igitur, nunc hac ipſa hora decernendum.

Hîc in conſilium adhibendæ fides, ſpes, ratio; euocãdus etiam, ne quid expoſtulet, appetitus: ſed in primis fidus ille rector, & cuſtos tuus Angelus, à quo nihil niſi ſalutare proficiſci poteſt, vt adeſſe velit, rogandus eſt. Rationes vltrò citróque iactatas excipe diligenter, vt illis expenſis, ſententiam demum

feras; vt occurrent, eas in ſchedam referes ſeparatim; in altera ſcilicet eas, quæ te ad Deum tranſire iubebunt; quæ à vitij partibus ſtare, in altera deſcribes. Tum eas à principio releges, libratis & collatis inter ſe ſingularum ponderibus & momentis, atque vt vehementiùs aut remiſſiùs in alteram partem incumbet ratio, in eam pariter voluntatis tuę inclinationem fieri patiere.

Si diuinus amor inualuerit, tibíque illa ſapientiſſimi Ioſue ſuggeſſerit verba, *Ego & domus mea ſeruiemus Domino:* ſi iam in illas fidelis populi dulciſſimas voces prorumpis: *Abſit à nobis, vt relinquamus Dominum, & ſeruiamus Diis alienis, ſeruiemus Domino, quia ipſe eſt Deus noſter.* Si inquam adeo feliciter ſapias, proſterneris illico ad Chriſti in Cruce ſuffixi pedes, & veniam demiſſiſſimè petens in hunc, aut ſimilem modum peccata tua eiurabis: *Miſerere Domine, miſerere: ô me perditam quæ tantum Numen tam turpiter offendi. Peccaui? heu! peccaui. atque vt indomiti animi cupiditatibus ſeruirem deſciui à te Deus meus, ſuprema bonitas mea, verus fons, ex quo, in quo, & per quem ſum, viuo, moueor. quibus pæ-*

nis tantum ſcelus expiabitur? quo ſupplicio tam horrenda perfidia punietur? Dulciſsime Domine, nullas pœnas deprecor, nullas defugio. Etſi enim ſingulos vitæ meæ dies, ſingulis tormentorum ſæculis vindicares, etſi totos inferorum cruciatus in me vnam exhaurires, nondum ſatis æqua ſceleri meo pœna conſtituetur. Sed benignus & miſericors es, patiens & multæ miſericordiæ, & præſtabilis ſuper malitia: hæc vt confidam facit miſerationis tuæ immenſitas, adeóque in conſpectu Angelorum grauiſsima voce conteſtor auerſari me, & deteſtari peccata mea, non tam adductam timore pœnarum, quas promerui, quàm tui amore ſuccenſam quam gratuitis inimicitiis abalienaſſe grauiter pœnitet me: vnde firmiter ſtatuo hæc primo quoque tempore pro tribunali conſcientiæ deponere, & priſtinam vitæ conſuetudinem ſanioribus conſiliis emendare. His ritè pronunciatis, vti olim Iſraëlitæ Deos alienos abiecerunt, & ſimulachra conculcarunt, ita in deteſtationis ſignũ, generoſa manu gladiolum chartæ infiges, quæ ſcelerum illecebras, & cauſas quæ te illis implicarent, exaratas habebat: imo illam in minutiſſima fruſta concerpens, ſanctè teſtaberis odium in flagitia

gitiá conceptũ & inimicitias, quas ſeuerè illis omnibus rebus indixiſti, quæ te hactenus ad iniquitatem prolectarunt, vel deinceps impulſuræ fuiſſent.

Sin contrà, te tuæ cupiditates abripiant, cùm iſta optione tua cor tuum ab opifice & creatore tuo abductum, ad eius opus & rem creatam conuerteris, obuerſetur oculis tuis ſpecies alicuius qui quod nunc conſciuiſti ſcelus admittat, quẽ ſic ſibi mente depinges. Quaſi ab imagine Chriſti de Cruce pendentis tergo verſo infelicem illam chartam, in qua ſordium quibus adhæſeras incitamenta notauiſti, inque eas ſordes tuas amet, exoſculetur, atque in haſce blaſphemas voces erumpat. Valeat Deus nulla me deinceps illius cura ſolliciter, nullum mihi cum ipſo eſſe commercium volo; omnibus eius mentis & laboribus pro me, tum in vita, tum in morte ſuſceptis lubens ac volens nuntium remitto: illum auerſari, ſanguinem eius proterere mihi certum eſt: non alios ego cœlos quàm voluptatum mearum ſolatia noui: illis cor meum do, dico, conſecro: has vnas amo, has complector, has in oculis, in ſinu vni-

cas fero. Hæc ſi perhorreſcis, vt ſanè ſunt horrenda ſupra modum, iſta tamen à te iamiam patrata eſſe ſcito, cùm in cupiditatū tuarum partes deſerto Deo tranſiuiſti. Quare diuini in te Numinis iram prouocaſti, à quo vbi vbi agas, quidquid geras inimico ſemper oculo ſpectaberis, fregiſti enim amicitiæ teſſeram, diſſoluiſti fœdus quod cœleſti gratia præeunte cum cœli ciuibus contraxeras, cum beata Virgine ſuauiſſima illa Chriſtianorum omnium parente, quæ toties filium ſuum tibi ingratiſſima placare ſtuduit: cum præſide genio, cui tua pertinacia lacrymas elicit, quique tuis rebus adeò vigili cura proſpexit, cum ſanctis patronis & defenſoribus tuis, quorum præſentiſſimam opem tam ſæpè in anguſtiis tuis experta es, quique etiamnum ad diuinæ miſericordiæ genua proiecti ſupplices ab ea contendunt, ne vindicem iuſtitiam in te commoueri, ac dæmones confeſtim irruere patiatur, qui te vt optatam prædam ſponte in illorum caſſes deuolutam, ſuppliciorum vti ſcelerum, ſociam faciant, quorum pariter ac vitiorum nefaria te ſeruitute obſtrinxiſti.

Digitized by Google

Expergiſcere nunc anima infelix, & attende quos ad ſcopulos te cæcus voluntatis æſtus appulerit : ſi qua igitur rationis ſcintillula relicta eſt in mente, illam in rationibus quas annotaſti iterum excutiendis adhibe : confido fore vt ad ſtuporem tuum ipſa vehementer obſtupeſcas, & niſi Satanica obrigueris contumacia molliaris tandem, Deo tam acri doloris ſtimulo cor tuum vrgente, vt illius ſenſus per oculos fluat, adeóque te tui ſceleris pudeat, vt ad Chriſti pedes ſupplex te abiicias, vt cum eo in gratiam redire poſſis. Atque vt rebelles animos eiuraſſe te, ingentémque tam diuturnæ cum peccato neceſſitudinis dolorem concepiſſe probes, non fruſtatim modò infamem illam ſchedam lacerabis, ſed etiam minutiſſima eius fruſtra igni ignem coniicies; adimus conſpectũ, ſuccurret illa fortaſſe vatis interrogatio : *Quis poterit de vobis habitare cum igne deuorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis?* Cui, in tuam ſtomachata viuendi licentiam, addes : ite ergo, ite in flammas fœdæ voluptates, paſcite ignem cæcæ cupiditates, quæ tam ſæpe ſalutem meam

Digitized by Google

prodidiſtis, & à Dei mei caſtris expulſum heu toties, exulare iuſſiſtis. Abite in malam rem ſcelera mea, quod huic chartæ, idem vobis precor, vt in cineres & fauillam abeatis, ne per vos in ardentiores inferorum flammas cum ſceleratiſſimis detrudar.

In virtutis via verum eſſe fontem ſinceræ voluptatis.

CAP. XIV.

HÆc ſi te permouerint, vt ad tui curam conuerſa reliquum vitæ tempus Deo ſtudiosè colendo tranſmittas; exurgent in te, præmoneo, & quaſi prehensâ laciniâ retardabunt te ſeculi huius licentioris aſſeclæ, quorum alij propoſitum iſtud tuum irridebunt; alij imprudentiæ tibi notam inurere conabuntur: illos alta quædam deſpicientia facilè vincet: neque enim alio quàm amentis alicuius voces eorum in numero habendæ. Multos Chriſtus dum mortalium conſuetudine vteretur, ægrotos priſtinæ reſtituit valetudini, nul-

lum tamen de poteſtate mentis deiectum curaſſe perhibetur: exiuerunt iſti, & quidem longiſſimè, de mentis poteſtate: illis qui medicinam facere volet, Chriſtum volet miraculis ſuperare. Abeant ergo illi per te vias ſuas; tu, quæ in maledicti loco obiiciunt, in beneficiis numerandum.

Cum aliis alio armorum genere pugnandum; tela telis, ratio rationi opponenda, imò excutienda illis arma de manibus, vt temeritatem ſuam agnoſcant. Aiunt in primis ardua eſſe, & aſpera, ad quæ vocaris, horrere ſentibus, & dumis virtutis viam, in quibus explicandis mirè diſerti ſunt: facit enim illos eloquentes inanium voluptatum amor, cui ſe totos addicunt. Sed huius teli acies ad diuinæ ſapientiæ clypeum ſtatim hebeſcit, diſertè ſiquidem teſtatur illa, *Iugum ſuum ſuaue eſſe, & onus ſuum leue.* Tametſi enim quia iugum, & quia onus eſt, graue ſit oportet; cùm tamen illi ferendo ſubſidium ipſe ſuum Deus adiungat, collatis cœlitus auxiliis, leuatur adeò huius oneris moleſtia, vt ſæpe ne ſentiatur quidem. Arca fœderis, vt quibuſdam Hebræorum

Matth. 11. 30.

Lyra. in c. 4. Ioſ.

magiſtris placitum eſt, etſi grauis admodum eſſet (vt quæ è ligno Sethin
Ex. 25. denſiſſimo conſtaret, laminis aureis intrinſecus, & extrinſecus operta, aureo præterea propitiatorio tecta, cui duo inſiderent Cherubini, intuſque tabulas legis contineret) cùm tamen illi volentes humeros ſacerdotes ſubiiciebant, tantum abeſt, vt eius onere premerentur, quin etiam expeditiores & alacriores euadebant. Sitne ita, necne, non diſputo: hoc dico, virtutis candidatos ipſo ſuſtinendæ virtutis labore recreari, illiuſque vſu ſuauiter admodum delectari. Amor enim illius cum ampliſſimi præmij ſpe coniunctus, accedente patientiæ leuamento, adeò moleſtiam omnem mitigat, atque commendat: vt in ſpeciem potiùs, quàm reapſe difficilis & aſpera virtutis via exiſtimetur: nam qui Principum gratiam aucupantur, qui ſociorum amicitiam affectant, qui honore, qui commodo aliquo, qui acceſſione quâpiam rem familiarem augere ſtudent, ſi labores, quos magnos exhauriunt, tanta ſæpe ſuauitate conditos experiuntur, quòd fortunam ſibi velificantem ſentiant;

Digitized by Google

quibus delitiis affluent aſperrima quæque opera, virtutis cauſa ſuſcepta, quibus æterna veritas, æternum certiſſimúmque præmium pollicetur. Si verò nemo non ſapientum huius ſæculi, labores ſuos bene collocatos exiſtimat, cùm peritura hæc bona, quæ tam operosè conſectabatur, eſt adeptus, quis adeò rationis expers erit, vt otianti ſibi, & dormienti diuina & immortalia nullo labore ſuo acceſſura confidet? Denique ſi virtutum, quàm vitiorum occupatio facilior eſt, ſi vitia plus incommodi & ſollicitudinis important, vt ex luctu reproborum conſtat: *Laſſati ſumus in via iniquitatis: ambulauimus vias difficiles;* cuius erit inſaniæ eò ſuas potiùs conferre contentiones, vnde in æternam ruitur infelicitatem, quàm eò vnde ad incircumſcriptam beatitatem euolatur! Ita eſt, inquiunt illi, ſed enim addunt ſi te pietati tradis informandam, continuò lætitia omnis exuenda, vt ſeueram & triſtem induas frontem, adeo vt alto quodam & tardo melancholiæ ſtupore opprimaris. Senec. 2. de Ira, c. 13. Sap. 5.

At falluntur illi ſanè vehementer; tantum enim abeſt à mœſtitia virtus, vt ni-

hil ab eâ magis poſſit eſſe diſiunctum: abſtergit triſtitiæ nubes virtus, & mentem mirificæ iucunditatis ſerenitate permulcet, vt præter quotidianum eius rei vſum, ſacræ teſtantur autoritates.
Prou. 15. 15. *Secura mens*, ait Sapiens, *quaſi iuge conuiuium*. *Iuſtitiæ Domini*, inquit Pſalmo-
Pſ. 18. 9. graphus, *rectæ, lætificantes corda*. *Lux or-*
& 117. 15. *ta eſt iuſto, & rectis corde lætitia*. ac rurſum: *Vox exultationis, & ſalutis in tabernaculis iuſtorum*. Quoties magnus ille virtutis, vt veritatis aſſertor Paulus ad lætitiam Chriſtianos hortatur? an non animos hilaritate plenos & affluentes amabat, qui Corinthios ſic admonebat:
2. Cor. 9. 7. *Hilarem datorem diligit Deus*. Quòd ſi aliquando riſum lex diuina fugiendum docet, de effuſo & immodico id accipiendum eſt, qui cœleſtium rerum memoriam obliterat, & in terreſtres cor depreſſum immergit. Hic enimuero riſus multis lacrymis proſequendus, multóque iuſtius fletum, quàm riſum voces, cùm eam ſecum labem trahat, quam ſempiternum exitium conſequatur. Oſſium compages, & commiſſuræ ſine acerbo dolore ſolui non poſſunt: ſcelere, vincula diuinæ legis abrum-

puntur, quibus homo Deo deuinctus illigatur: quo igitur fœdiùs hæc coniunctio diuellitur, eo acerbior exiſtit in hominem pœnarum ſenſus: quare multas, eáſque grauiſſimas de ſceleratis pœnas repetit Deus, *Multa ſunt*, inquit Vates, *flagella peccatoris*, vt enim alia deſint, domeſticum tortorem in ſinu alunt, qui cum culpa continuò inuadit: vix deliciarum cœpam morſu attigerunt, cùm illa oculos occupat, & amaras lacrymas vel inuitis extorquet, quod contrà probis vſuuenit; conſcientiam enim illi, vt mitem dominam obſeruant, cuius nutibus ad virtutem accenduntur, cuius imperiis vbi primùm parent, mentem incredibilis lætitia perfundit. Nemo igitur virtuti, tanquam moroſæ & tetricæ obſtrepat, agnoſcant potiùs omnes vitiorum eſſe contrahere animos, implere triſtitia, & in altam melancholiæ voraginem deturbare. Pſ. 31. 10.

Sed quis mœrore non conficiatur, inquiunt Ariſtarchi noſtri, cùm adeò periculoſum eſſe ſentiat, ne ab incepto deſiſtat; & à virtutis via pedem referre cogatur: eſt enim illa infamiæ labes tur-

Digitized by Google

piſſima, quam inconſtantes incurrunt, adeò vt in aliorum conſpectum venire non audeant. Frigidam ſanè criminationem! quæ vna ſatis oſtendat, quàm inſanè mundus deſipiat; ſi enim tetram infamiæ maculam illorum nomini inuſtam putant, qui è virtutis ſemita in vitiorum ſentinam prolabuntur, quantam illorum turpitudinem & fœditatem dicemus, qui in illa colluuie ſponte perſeuerant? è virtute in vitium ruere, leuitatis eſt, quæ leuitas eſt homini perfamiliaris, hærere in flagitiis contumaciæ eſt, quæ contumacia dæmonum propria putatur. Qui è virtutis gradu excidit, erigi poteſt, & in gradum reſtitui: demus caſum cum ignominia eſſe coniunctum, at erigi glorioſum eſt, & immortali laude pleniſſimum.

Macte igitur Anima ſuauiſſima, aduola in amplexus diuinos, coniice te in amantiſſimum ſinum, in immenſa Dei bonitate ſpem omnem colloca; illa tibi ad meliorem vitam inſtituendam faces adhibuit; promouebit item illa, & ad ſanctum te, optatúmque
Phil. 1. 6. & c. 2. 13. exitum manu compellet. *Confide hoc ipſum, quia qui cœpit in te bonum, perfi-*

Digitized by Google

ciet vſque in diem Chriſti Ieſu. Ingredere magnis animis ad nouum vitæ genus, & vſu magiſtro experieris, vana eſſe, & inania, quæ mundus obiectat, & contra quàm dicat, apud Deum non eſſe niſi delicias, nullos in Iacob labores, nullos dolores in Iſraël.

Digitized by Google

PARS SECVNDA
SEV
RATIO PARTICVLARIS

AD EXCITANDAM animam, in veterno fallacium mundi cupiditatum iacentem, & faſtidium, odiúmque peccati illi pariendum.

Fortitudinem ſalutifero virtutis deſiderio coniunctam neceſſariam eſſe ad illius adeptionem.

Cap. I.

ERGO te peccati tædium cepit, Anima Chriſtiana, ergo ſordibus abſterſis ſingulari Dei beneficio, Eccleſiæque adminiculo cœleſti gratiæ ſplendore decoraris. O te

Digitized by Google

felicem ſi conſtanter in iſto gradu perſiſtas! fortunatiſſimam ſi te in illo excubantem mors occuparit. *Qui vicerit*, ait Veritas, *ero illi Deus, & ille erit mihi filius*: contrà verò *pars* improborum *erit in ſtagno ardenti, igne, & ſulphure, quod eſt mors ſecunda.* Hanc ambis conſtantiam, & ad ſalutem æternam votis ardentibus aſpiras. Magnum eſt in hoc deſiderio præſidium: *Initium enim ſapientiæ, veriſſima eſt diſciplinæ concupiſcentia*, ait os diuinum; *Cura ſiquidem diſciplinæ dilectio eſt, & dilectio cuſtodia legum illius eſt, cuſtoditio autem legum, conſummatio incorruptionis eſt, incorruptio autem facit eſſe proximum Deo; concupiſcentia. itaque ſapientiæ deducit ad regnum perpetuum.* Apocal. 21. 7. Sap. 6. 18. 19.

Sed hoc deſiderium viuum excitatúmque ſit, ſollicitum & gnauum oportet, non tepidum, non remiſſum, non ſomnolentum, quod ab effœta inertique voluntate proficiſcatur, nec minùs bonorum operum ſterili quàm annoſa illa quercus, in qua perditus Abſalon ſuſpenſus, tribúſque à Ioab lanceis confixus interiit. Itaque cùm de perſeuerantia agatur, cùm in oculis habea- 2. Reg. 9. 14.

tur præmium non periturum illud, ſed æternum, non definitum, ſed interminatum, non lacrymis & riſu temperatum, ſed conſtanti lætitia perfuſum, quàm erecto, quàm præſenti, quàm generoſo animo eſſe conuenit, vt cunctis intrepidè laboribus occurrat, manus conſerat, victoriam referat, itaque partem illam animi quæ concupiſcit aduocet, atque ſibi adiungat, vt iraſcendi vis, cùm opus erit, præſto ſit ad manum, quo neruos ſuos contendat ad repugnantes hoſtium conatus comprimendos.

Hæc ſi deſint, nihil eſt quod eximium & robuſtum aliquid ex his virtutum ſimulacris expectemus: variis teretur vita conatibus, caſum caſus excipiet, vulneri vulnus accedet, extremus denique vitæ actus, nunquam ſatis deplorando extremæ confuſionis exitu concludetur, cùm Anima iamiam migratura, & ſupremi Iudicis ſiſtenda tribunali ſe ad vitij pedes iacentem, inque eius velut complexu, extremos ſingultus ducentem, à Deo deprehendi videbit, illámque fortaſſe iudicis ſententiam audiet in ſe intonantem:

Tu reliquiſti me , dicit Dominus , retror-ſum abiiſti , & extendam manum meam ſu-per te , & interficiam te , laboraui rogans. Ier. 15. 6.
Illud igitur in primis à te requiro , Anima dilectiſſima , vt te totam integrè Deo committas , & adminiculis fulta cœleſtibus , illud conſtantiæ & fortitudinis deſiderium confirmes , robores , & in dies promoueas , planéque tibi perſuadeas tantam te ad virtutis rationes acceſſionem eſſe facturam , quantum tibi vim ad expugnandum vitium intuleris. Eſt omnino virtus ſuauiſſima , itérque ad illam largo conſolationum rore perſperſum , quæ quidem magnum ad rectas operationes adiumentum important : ſed illi duntaxat eo perfunduntur rore , qui mundi illecebris & cupiditatibus abdicatis , vnis imbribus diuinis ſinum aperiunt , vna cœleſtium bonorum ſpe & expectatione recreantur , quod ægrè facit natura noſtra , vt præſentis auida boni , ita futuri contemptrix , nec facilè quæ ſunt in manibus auelli ſinens , vt incerta perquirat : quare ſi eximium aliquod , & illuſtre virtutis ſpecimen in debellandis vitiis dare velimus , virilem illam , & ge-

neroſam contentionem adhibeamus oportet. Moyſes Ægyptios expugnaturus portentoſâ virgâ prodit armatus, quâ Pharaonis & ſatellitum pertinaciam frangat: & tu igitur Anima Chriſtiana conſtantiæ armis inſtruere, ſi vitiorum, & cupiditatum tyrannidem aggredi & profligare conſtituis.

Duodecim effata præcipua virtutis.

Cap. II.

Sap.1. 14. Eccl.17 1. HIS ita poſitis, duodecim tibi capita propono.

1. Veniat in mentem ſæpè non ob alium finem conditum eſſe hominem, quàm vt procreatori ſuo ſeruiat, eóque pacto vitam ſibi comparet æternam.

Matth. 11. 2. 2. Cogita ſeriò, & fide tene, regnum cælorum vi rapi, virtute comparari, peccato amitti.

3. Occurrat tibi frequenter earum rerum, quæ in oculos cadunt, nullam hinc tecum ad Dei tribunal migraturam, præter opera tua, quorum, ſi recta fuerint, mercedem; ſi praua, pœnas accipias. 2. Tim. 2. 5. Apoc. 21. 8. 2. Cor. 5. 10.

4. Ex-

4. Expende ſedulò meritorum ſementem hac vna in vita fieri, qualis fuerit ſementis, erit & meſſis, qualem mors hominem occupabit, talis æternùm erit. Apoc. 14.13. Ioan. 9.4. Eccl. 11.3.

5. Excita frequenter animum tuum illa cogitatione, Deo patere omnia, videri te ab illo, ipſum abditiſſimas cordis tui receſſus latebráſque rimari. Eccl. 17.13. 16.22.

6. Prouiſas & conſideratas habe occaſiones, quæ cupiditates tuas incendunt, vt illis occurras; maximè verò ira, triſtitia, & immodicus timor eſt tibi præueniendus. Eccl. 4. 19. & 20. Prou. 25.20.

7. Erumpentibus animi motibus prauis fortiter obſiſte, vt generosè naſcentes comprimas: nec quicquam antè facias, dicas, aut ſtatuas apud te, quàm illa tempeſtate ſedata tui compos tranquillúſque conſiſtas. Iacob 4. 7. 1. Petr. 5.9.

8. Altiſſimè ſit in animo tuo defixum propoſitum millies potiùs mortem oppetendi, quàm vel vna lethali noxa, conſultò vel liberè commiſſa te obſtringendi. Beat. Ignat. in exercit. reg. 5. de diſcret. ſpir.

9. Si fortè fallente veſtigio laboris ne animum deſponde, ſed præſenti & generoſa mente exurge, & ad prómpta Eccl. 17.21. 23. Iſa 9. 3.4.

contritionis & confeſſionis ſubſidia contende.

Eccl. 4. 11. 1. Cor. 11. 31. 10. Enitere quantum in te erit, vera & robuſta pietate Deum colere; proximum ſincero amore complecti; in te ipſam ſeuerè, ſed prudenter agere.

S. Hier. ep. 87. Caſſiã. collat. 21. c. 11. 11. Vtere familiariter viro aliquo pio, docto, & ſalutis tuæ ſtudioſo, qui te, vt alter Moſes per inuias ſæculi ſolitudines ad cœleſtem promiſſionis terram manuducat, doceat, informet, effingat: omnia illi conſilia, nuda, & aperta eſſe velis, vt ea maturitatis, & prudentiæ ſuæ luce illuſtret, moderetur & regat.

Coloſſ. 3. 20. 12. Non alium ad ſcopum opera tua colliment, quàm vt Deo placeas, eius maieſtati ſeruias, hoc vnum cura, huc incumbe, hoc ſtudiis omnibus perſequere, procura, concupiſce.

Magis peculiaria monita de cuiuſlibet dicti cura ad tenendum inchoatæ virtutis inſtitutum.

CAP. III.

VIDE ne feriatos dies, & otioſos, abſumas: hebdomadam enim dies

Digitized by Google

componunt, menſem hebdomadæ, annos ipſi menſes, vitam denique noſtram anni metiuntur.

Ne anxiè nimis in præteritæ vitæ peccata oculos retorque, poſtquam ea ritè ſemel confeſſione à prima memoria repetita elueris: vſu compertum eſt eos, qui tã ſæpe ad vitę ſuperioris veſtigia recurrunt, perpetuis ferè ſcrupulorum in ſalebris progreſſus hærere, nec multùm in via virtutis progreſſus habere quippe quos ea ſollicitudinis occupatione diſtrictos tempus neceſſariũ deficiat, quo fidei, amoris, cęterarúmque virtutũ Deo acceptiſſimarum ornamenta conquirãt: quid futurum ſit deinceps ſuſpenſam te meticulosè, & ſollicitam eſſe nolo, angit enim illa cogitatio multùm, & perpa- Prou.1.
rum, aut nihil iuuat. Conſtantérne quam 27.
ingreſſa ſum viam, tenebo? (quærunt Iac.4.
14.
nonnullæ de ſeipſis) deficiámne ali- Eccl.
quando à propoſito? terrent iſta non 11.6.
Cant 7.
leuiter, infringúntque animos, & 12.
ſenſim ab erecta illa in Deum fiducia, Amos
4.4.
non ſine graui periculo mentem abducunt. Neque porro alio ex fonte quàm è *Satanæ* inſtinctu impulsúque promanant, quibus animi ad virtutis

Digitized by Google

culmen aſpirantis ardorem refrigeret atque reſtinguat. cuius vt præſtigias raudéſque viciſſim eludas, circumſcripta multorum quibus vitam ille tuam prorogatum iri confingit, annorum opinione præſentis tantùm diei ratio ducenda eſt, tecúmque pia eiuſmodi & voluntaria illuſione decepto, ita ſtatuendum fore nimirùm, vt omnia bene defluxura ſint, felicitérque ceſſura, cùm fructuosè poſitus fuerit iſte dies & vtiliter inſumptus, adeo vt nihil pręterea curandum ac deinceps laborandũ ſuperſit. hoc enim artificio iniquum illum veteratorem pudore ſuffundes, animíque tui tenuitatem obiecta diurni modò laboris expectatione ſuſtentatam corroborabis. Procedente demùm tempore cùm religioſa conſuetudo vehementiórque diuini amoris ſenſus fortitudinem tuam maiori virium acceſſione cumulatam explicarit, tum inita planè diuerſa ratione haud amplius dies ita ſingillatim diffindes atque ſeiunges, ſed integros annos ſolidóſque committes, quos fixo, & attento reſpiciens oculorum obtutu apud Deum profiteberis tibi certũ eſſe ac delibera-

tum, vt nullam illorum particulam ab eius cultu vacuam prætermittas, atque generoſo fortique propoſito munitus cum Dauide pronuntiabis, *Benedicam dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo.* At donec id tibi roboris accedat, curæ ſit imprimis, vt ſingulorum tibi dierum ratio conſtet, quos aliquo ſalutis tuæ emolumento diligenter impendas.

Primum matutini temporis munus.

Cap. IV.

CVm temporis occupatio plus alia re qualibet debeat habere cautionis, maléque poſita ſarciri non poſſit, tua plurimùm intereſt ad tuas eam vtilitates totam conferri. Plerique aut malè, aut nihil, aut nimio plus agendo tempus inſumunt. alij modum illius aliquem ſibi teneri dicunt quidem certè, at quo ſuum ludendo, dormiendo, edendo, perpotando, curando corpori, ſed nullum animæ ſtudium conſtet. quaquidem in definitione horarum non minor ſanè confuſio implicata eſt, cuius declinandæ cauſa, cuiuſ-

Digitized by Google

que diei primitiæ Deo conſecrandę ſunt, conſiliúmque ſapientis illum primo diluculo adorari præcipientis ſanctiſſimè tenendum.

Longè ab illa ſæculi praua cõſuetudine abeſto, quæ diem cum nocte, opera nocturna cum diurnis ſtolida rerum ac tempeſtatum perturbatione commutat. Id niſi cauebis vix vlla tibi remanebit colligendi animi poteſtas. ſolem orientem ſe vidiſſe numquam Epicurus gloriabatur è porcorum genere ſatus homo ille ad multam diem in cubili ſtertebat. Chriſtianus autem dominum, & doctorem ſuum benè manè precationi affixum debet imitari. quæ porro commodè precandi facultas opportunitáſque offerri poſſit, vbi quis vel neceſſitate vel importuna cęterorum inſtigatione compulſus, ſe intempeſtiua negotiorum cura ſinit occupari. quî verò induſtriè illa, & cautè procurari poſſunt, ſi antequam ſuſcipiantur lumen, & auxilium minimè fuerit orandi ſtudio ac pietate quæſitum. Anticipa igitur ſummo mane ſurgendi maturitatem, hora tamen valetudini tuæ, familięque commodis, & approbationi cõgruente, ſi te rexerit ſolers illa rerũ pru-

dentia moderatrix, ſicut liberalis erogandæ ſtipis conſuetudo te numquam ad mendicitatis, & inopiæ anguſtias adducet, ita neque orando Deo temporis facultas, neque maturè ſurgendo valetudinis firmitudo tibi integritáſque decedet.

Cùm te conſueta è ſomno excitarit hora, illico è lecto diſcede, à quo ſi ægrè auelli te ſentis, ſit illa prima diei palma quã de teipſa reportabis, illi vt per diem placeas, qui te de nocte incolumem ſeruauit. Quamprimum exiliens, Deum orabis, preces ſi ſola ſis articulata voce concipi velim, vt illo pietatis ſono admonitæ aures mentem ad ſe colligendam excitent, téque vbi ſatis honeſtè veſtita fueris, & frigoris arcendi cauſa, & decori pro loco tenendi, atque grauioribus, familiæ negotiis (niſi occupaueris ſerotino diei ſuperioris tempore) proſpectum fuerit, ad longioris habendi cum Deo ſermonis cogitationem inducant. Prou. 26.11.

De oratione mentis ſeu meditatione, déque neceſſaria ad eamdem præparatione.

CAP. V.

PROLIXIOR illa pietatis occupatio, in qua te matutino tempore verſari diebus ſingulis oportet non verboſa precum voce pronunciandarum frequentatione continetur, ſed precatione cordis, quam meditationem vel orationem mentis vocamus, in qua attentè, & ſtudioſè ſanctarum rerum veritatem inueſtigamus atque meditamur, vt iis veluti gradibus ad virtutum Chriſtianarum exercitationem feramur. Illa in occupatione ſingulis diebus manè per ſemihoram inſiſtes: in qua duo maximè tibi ſunt obſeruanda, ratio ſcilicet, & modus meditandi, & ſubiecta meditationi materia. Modus, vt plurimùm, hic erit. Priuſquam incipias orare, adhibe omnes induſtriæ neruos, vt egregiè comparata venias: *Ne ſis*, inquit Sapiens, *quaſi homo, qui tentat Deum.* Quibus paruipenditur hoc conſilium, quíque ſibi

Deut. 6. 7. Prou. 15. 17.

Eccli. 18. 23.

Digitized by Google

magnopere laborandum non putant, quemadmodum inſtructi ad meditandum accedant, ſatíſque ſibi eſſe ducunt, ſi vagari mentem non patiantur, Deum de reliquo facilè orandi argumẽtum viámque ſuppeditaturũ, ij ſanè, præterquam quòd plerumque tempus terunt, grauiter errant, & frequentibus ſe illuſionibus obiiciunt. Præparatio, quam à te exigo, in eo poſita eſt. PRIMÒ vt pridie priuſquam te ad quietem recipias, meditationis argumentum legas. SECVNDÒ, vt cùm primùm experrectus eris, illud in mentem reuoces. TERTIÒ, vt omnem aliam cogitationem, & ſollicitudinem, velut intempeſtiuam, diligenter excludas: quam ad rem iuuabit remotum ab arbitris, & domeſtico ſtrepitu locum delegiſſe. QVARTÒ, vt ſub ipſum orationis tempus obuerſetur tibi diuinus oculus in te maximè defixus, quo te quanta maxima poteris, pietate orantem ſuauiſſimè intueatur; eſt enim oratio longè nobiliſſima, operoſiſſima, vtiliſſimáque diei totius negotiatio, cęteris omnibus anteponenda.

Exercit ſpir. B. P. Igna. Hebd. 1. ad t. 2 Ib. ann. 20.

Ib. add. 3. & hebd. 2 not. 5.

HIS inſtructa præſidiis, quæ meditationi præcurrunt, ſed eam non com-

Hebd. 1 exerc. 1.

ponunt, in oratorio, aliud addes propius cum illa coniunctum, illud eſt Precatio præuia qua Deum orationi reliquæ conciliabis, eius vſus hic eſt: flexis genibus manibus iunctis, vel ſuppliciter proſtrata, magna animi corporíſque demiſſione, in Deum mentem eriges, tum delicta tua generatim, ſingulatim verò quotidianum aliquod, breuiter, ſed grauiter dolebis: deinde cœleſtem patrem per merita filij ſui, per ſubſidium beatiſſimæ Virginis, Angeli præſidis, Sanctorúmque maximè eorum, quos patronos aſciuiſti, enixè rogabis, vt ſuam lucem impertire ne grauetur, qua cuncta illius diei opera tua, maximè verò meditatio illuſtrata in eius gloriam, & animæ tũæ ſalutem feliciter ſuccedat.

Digitized by Google

De intellectus munere in meditatione.

Cap. VI.

HAc antegreſſa precatione, ſequatur illico capitis propoſiti conſideratio. Illico, inquam: hîc enim plerumque dæmon laqueos intexere conſueuit; quibus ita mentem irretiat, vt eam à propoſito meditandi argumento ſenſim auocet, aliiſque admodum alienis cogitationibus implicatam deludat. Eo igitur vigilantiori attendat cura, quo magis ſe inſidiis expoſitã ſentit, ob eas maximè difficultates quæ ab inferiore hominis parte contentionem declinante pariuntur.

Obiecto itaque menti, vel ſi non ſuccurrat, lecto breuiter primo meditationis articulo, veritatem ſtatim, aut myſterium in eo latens expende: veritatem dico vel myſterium, quoniam ad hæc duo capita facilè reuocantur quæcumque conſideranda proponuntur. Myſteria verò quæcumque à vindice & ſeruatore noſtro, ſeu viuente, ſeu moriente, ſeu triumphante geſta ſunt,

Ib. Ann. 2. & colligitur exerc. 1. p. 1.

vt puta Incarnatio, Natiuitas, Magorum adoratio, Transfiguratio, flagellatio, Coronatio, Reſurrectio, Aſcenſio, &c. Veritatis nomine reliqua omnia complector, quæ ad myſteria non pertinent, vt ſunt perfectiones diuinæ, diſciplinæ Chriſtianæ effata, virtutes, vitia, peccata, hominis nouiſſima, præmia propoſita, indictæ pœnæ, & id genus alia.

Hebd 2 exerc. 5.

MYSTERIA cùm retractabis, ſcopum finémque illis propoſitum exquires, perſonas, à quibus illa prodeunt, diligenter attendes, ex illorum verbis, geſtibus, votis, cogitationibus, & affectibus meditandi argumentum captabis; nunc illas ſuauiter compellabis, nunc loquentibus auſcultabis, poſtea velut interrogantibus reſpondebis, & vndique proficiendi occaſionem aucupaberis, vt veritatis pronuntiata expendas, naturam illorum conſiderabis, cauſas, item effecta, adiuncta, contraria, ſimilia. Quid ſacra oracula, quid Patres de illis ſenſerint reputabis, quæ cuſtodis & magiſtri tui Angeli, quæ beatæ Virginis, quę Beatorum omnium, ſi eorum exquireres mentē, de illis ſententia eſſet. Da-

bis interim operã, vt attento tecum ipſe animo cõſiſtas, non vt res alienas curioſa inueſtigatione perquiras, ſed vt exquiſito & vtili pabulo reficiaris. Certè apiculas videmus diuerſis floribus inſidere, non odoris captandi gratia, ſed vt mellis ſegetem colligant, quod tanquam commeatum, hyemiſque ſubſidium, in alueario recondant. Intellectus igitur conſiderationem oportet ad actionem referri, atque ex illa concluſiones aliquas efficientes aſſumi, vnde velut ex principiis quibuſdam colligatur, quid amare vel odio habere timore vel perſequi, fugere vel optare, magnifacere vel aſpernari opus ſit, denique quantum adipiſcendis virtutibus, vitiiſque coërcendis excolere ſe & ornare quiſque poſſit, quò diuinæ maieſtati acceptior in dies & ſanctior euadat.

Digitized by Google

De voluntatis actibus ad meditationem neceſſariis.

Cap. VII.

EVeritatis ab intellectu comprehenſæ modo, & notione pendent actus voluntatis, quæ cæca per ſe facultas eſt, ſed tam arcta coniunctione, & velut affinitate cum intellectu deuincta, vt committere non poſſit quin libera quadam inductione, & neceſſitate, in re ab illo propoſita, eodem fere quo ſibi obiicitur modo penitus acquieſcat, adeo vt amplectatur ardentius quod efficacius oblatum fuerit, quod imbecillius, lentiúſque, remiſſiorem in eo adhibeat curam obtinendi. Quapropter quos Dei benignitas à vulgari virtutis conditione ſeiunctos ad vberius fidei, & ſapientiæ ſupra naturam euectæ lumen excitauit, inflammatis, & ſingularibus quibuſdam ſtudiis ad boni atque ſanctitatis cultum & gloriam exardeſcunt. quod quidem minus experiuntur illi quibuſcum Deus non ita copiosè, ſed com-

Digitized by Google

muni ex more, & vſu ſe gerit, quorum intereſt ſanè per multum vt affectuum voluntatíſque propoſitorum cognitionem abſolutam acquirant, quibus præcipuus meditationis fructus continetur: obſeruabis quod à me hoc in genere dicetur variæ quidem illæ pro vario meditationum argumento, cui aptæ ſunt & congruentes, ſed omnes tamen vel ad Deum vel ad teipſam ſpectabunt. In Deum octo íſti motus maximè ferentur.

1. Amoris, quo teipſam Deo ex ipſiuſmet Dei amore totam deuoueas, conſecres, addicas.

2. Fiduciæ, per quam in eius miſericordia, & patrocínio, tanquam in ſinu amantiſſimi Patris conquieſcas.

3. Admirationis, & laudis, vt ſcilicet immenſæ illius potentiæ, ſapientiæ, bonitatis, cæterorúmque attributorum pulchritudine capta, illuſtria eius gloriæ, gratiæ, & naturæ opera prædices, réſque omnes ab illo creatas ad eadem extollenda inſtiges.

4. Gratiarum actionis, qua beneficia in te collata liberaliter agnoſcas, eáque in eius obſequium omnibus vitæ die-

Digitized by Google

bus ac momentis te impenſuram eſſe profitearis.

5. Perfectæ cum eius ſanctiſſima voluntate conſenſionis vt parata ſis ad excipiendum & amanter amplexandum quicquid de te, tuíſque rebus diuina prouidentia decernet.

6. Studij zelique ardentis, vt ſanctiſſimi eius nominis gloria toto orbe latiſſimè propagetur: quare conſtitues seriò nullum deinceps tibi punctum temporis vacaturum ab illius honore, quantum in te erit, promouendo; indues itaque illum affectum, vt contabeſcas cùm præuaricantes videris, vt cùm alios diuinis intentos obſequiis obſeruaris, exultes ac lætitiis omnibus incedas.

7. Commiſerationis, quæ molliat cor tuum, propoſitis cruciatibus, quos humana Chriſti natura, innumeros, tum viuens exhauſit.

8. Imitationis affectus, qui in eo poſitus eſt, vt ſtatuas apud te conſtantiſſimè veſtigiis eius inſiſtere, & ſanctiſſima virtutum eius exempla quoad eius facere poteris æmulando ſectare, atque hoc ei propoſitum offer.

In teipſam dum altiùs deſcendas, hos item

Digitized by Google

item octo motus facilè excitabis.

1. Demiſſionem, & humilitatem, quę ſubiiciet oculis inanitatem, indignitatem, & miſeriam tuam.

2. Dolorem quo tamdiu te in flagitiorum cœno iacuiſſe mœrebis.

3. Timorem grauiſſimas in peccata tua pœnas conſtitutas perhorreſcentem.

4. Pudorem, ob tam frequentes iteratóſque lapſus, & tam lentos ac remiſſos in capeſſenda virtute conatus.

5. Indignationem in teipſam, quæ ex eodem fonte orietur.

6. Lætitiam è feliciore conditione naſcentem, quòd ſcilicet è ſalebris vitiorum emerſa, viam cœleſtis patriæ nacta ſis opportunam.

7. Deſiderium; flagrabis ſcilicet comparandarum virtutum ſtudio, eritque tibi deliberatum, iis maximè adipiſcendis incumbere, quas pro ingenio, conditione, ſtatu, & vitę rationibus tuis magis conducere intelliges.

8. Emendationis propoſitum: ſtatues nimirum fœdam omnem conſuetudinem abiicere, flagitia cum fibris ſuis, hoc eſt, occaſionibus ex animo reuellere, acriter ipſi tibi imperare, ſenſus ab

Digitized by Google

hoſtium partibus abductos, ad rationis & pietatis partes adiungere, cupiditatibus fræ nos iniicere, id denique totum extinguere,& exſcindere penitus, quod cum diuina lege non perfectiſſimè concordet.

His vacua motibus meditatio arida potiùs & curioſa ſpeculatio, quàm pia & vtilis cum Deo collocutio eſt appellanda: quare illis te totam permittes illis effuſiſſiſimè indulgebis. Eadem ratione cætera meditationis capita, qua primùm iſtud excutienda ſunt, atque ſoler ter abſoluenda.

De colloquio meditationem claudente.

Cap. VIII.

COLLOQVIVM petitionem obſecrationémque earum rerum continet, quarum in decurſu orationis deſiderio incenſæes, quáſque ratio ſaluti tuæ conconducere iudicauit. Eſt igitur vera precatio, ſed quàm ardẽtiori pietate, altiori demiſſione, fiducia erectiore fieri oportet. Cum Deo vt plurimùm inſtituatur, Sancti verò nterdum compellandi, vt

faciliores nobis ad ſupremam illam maieſtatem aditus præſtent. Hæc porrò precatio tametſi hoc loco ſemper vſurpanda, frequenter tamen inter meditandum adhibita, mentem continet, & quaſi quibuſdam vinculis cum Deo arctiſſimè coniungit. Meditationem precatione vacuam inſtituere, idem eſt ac fœtum non edere vtero conceptum, contrà verò, extra meditationem precari perinde incommodum eſt, vt ſi fœtus abortione perdatur. Nullum à te velim meditationũ caput ſine colloquiis eiuſmodi concludi: miram enim efficientiam habent, ac fere animus qui iis commodè vtatur, conſolatione quadam ad ſenſus affluente, & illabente recreatur intima Dei præſentis, cuius in ſe motionem agnoſcit, atque illi omnes cordis ſui aperit affectus ea cum animi ſuauitate, quæ ſentiatur quidem, ſed nullis ſermonibus explicetur. In eo dum loco verſaris, commodam aptámque concipiendæ tum ad tuas cùm ad alienas rationes poſtulationis tuæ occaſionem captabis, cuius repulſam ne feras ea quam tum pręſtabis fiducia multum opportunitatis adiunget. Vt autẽ ad Deum

Digitized by Google

maximè adhibendæ ſint preces illæ, fru-ctuoſum erit nihilominus aliquando eaſdem ad beatiſſimam Virginem, alióſque diuorum numeros adſcriptos, religiosè transferri, quò illorum apud diuinam maieſtatem præſidium, & opem ſuppliciter implores. Vbi ex oratione ſurrexeris, ne tua in negotia ſic auidè effundaris, vt quæ de cœlo deſideria hauſiſti, illorum quaſi mole obruta, per diem emergere identidem non poſſint. Seriò igitur illa recognoſce, intimóque in animo penitus infige, vt irruentibus in te tentationibus præſto ſint, aduoléntque citiſſimè. Languentis, & infirmi ſtomachi eſt, exceptos cibos continere non poſſe.

Monita quædam meditationi vtiliter obeundæ accommodata.

Cap. IX.

Præter ſuperiora velim alia tibi ſubiicere, hoc in genere multum fructuoſa.

Primvm eſt: fieri poſſe vt ab ipſo

Digitized by Google

meditationis limine, nulla conſideratione præuia tanta cœleſtis dulcedinis ſuauitate mens compleatur, vt ſanctis incenſa deſideriis amore æſtuans, anhelans cœleſtia, tota in Deum abſorbeatur: hæc ſi contigerint, nihil eſt quod in legum iſtarum anguſtias ſe cogat, ſed liberè in ſuauiſſima illa luce, conquieſcat licet: nam cùm illa ſit meditationis meta, ad quam diſſerendo peruenire nitimur, illam vbi attigeris, reſilire velle, & inſipientis eſſet, & à ſcopo ſuo longiùs aberrantis.

SECVNDVM, ſi verò exareſcente illo diuinæ conſolationis ſucco, vt aliquando vſuuenit, algeat animus, atque langueſcat, ratióque adeò denſis implicetur tenebris, vt nulla excitatioris illius pietatis ſcintilla ex duriſſimo ſilice excuti poſſit: circumſpicies te illico, & obſeruabis, an aliqua id tua culpa contigerit, vel quòd moditandi argumentum non ſatis perceperis, vel quòd inanibus curis, & intempeſtiuis cogitationibus aditum non diligenter obſtruxeris. Namque vt vinea nullis ſepibus obtecta, omnium prædæ & rapinis patet, ita cor vigili cuſtodia, quaſi vallo, minimè muni-

tum, facilè hoſtium incurſionibus & depopulationibus fit infeſtum : vnde nihil mirũ eſt, ſi qui ſuopte nutu terrenas cogitationes admiſit, earum pondere tum deprimatur, cũ ad cœleſtia euolare contẽdit. Hic ſi caſus inciderit, tum verò coram Deo humillimè te demittes, & illam ſpiritus deceſſionem in negligentiæ pœnã volens libénſque ſuſcipies, ſtatuéſque remiſſionem illam nouo feruore delere. Hac demiſsione fortaſſe flectetur Deus, tuìque miſertus lucẽ infundet copioſã, qua illuſtrata, & incenſa ad ſolitos pietatis motus excitaberis, & dulciſsimo exitu orationem concludes. Sin aliter Deo viſum, illam animi deiectionem æqua mente feres. Interea mixtam orationem vtiliter adhibebis, cuius hæc eſt ratio : pium aliquem librum diuinis affectibus calentem in manus ſumes, aut preces aliquas recitabis memoriter, expenſis ſingulis vel verbis, vel periodis, itaut aliquid ſemper excerpas, quo mens tua, vel in Dei amorem rapiatur, vel in virtutum ſtudio inſtruatur.

Huius etiam orationis vſus magnum item habebit emolumentum, cùm frigeſcente pietatis ſenſu nullo vitio tuo

coram Deo, re diligentiùs æſtimata, tempeſtatem illam coortam eſſe pernoſces. Tunc enim animum neutiquam deſpondebis, ſed illam orbitatem iuſtiſſima cœleſtis Arbitri diſpenſatione factam agnoſces, ne quotidiano vſu dona cœleſtia minoris æſtimentur, vt inſolenter tuis illa meritis aſcribas. Cæterùm in illo tuo ſtupore, haud ingratam eſſe te, minúſque acceptam Deo, vel ex eo diſces, quòd tibi nec opinanti, & alia omnia cogitanti ſæpe diuina lux adeò expetita copioſiſſimè reddetur. Quare ab omni violenta contentione abſtinendum eſt, ſæuiente temporis illius procella, maximè ſi caput tibi ſatis firmum non ſit: officeres enim valetudini tuæ, mentē angeres & debilitares fruſtrà, ac viam tibi ad tam ſanctum piúmque opus intercluderes.

Tertivm, numquam deiecto animo ad precandum accedas, ſed orationem tuam è voto proceſſuram ſemper exiſtima: alioqui timor te ita contrahet, vt ad primam tentationis impreſſionem facilè corruas, & victa refugias. Sed etiam vide ne per temerariam mentis elationem, diuinam gratiam anteuertere velle videaris, eóque per te eniti, quò ten-

dere non vales: illam igitur ducem & moderatricem ſequere, illi omnia vota tua ſubmittes, eius impetus, & ſubitas motiones obſeruabis, & moderatori tuo aperies, vt ex eius præſcripto omnia conſilia tua regantur. Qui ſibi nimiùm præfidentes, altiora meditantur, præcipiti caſu ſæpè deiecti, & labefactati meritas inſaniæ ſuæ pœnas dedere. Idem te manet exitus, ſi ſpretis hiſce conſiliis, rerum ſacrarum commentationi ſupra vires tuas inſiſtas.

QVARTVM. Certum omninò, perſuaſúmque habeas non aliam ad precacationem cum fructu peragendam, compendioſiorem eſſe viam, quàm ſi cupiditatibus refrænandis apprimè te dedas. Lectulus Salomonis floridus quidem, ſed aſcenſus eius purpureus erat. Si in fragrantiſſimo immortalis ſponſi lectulo iucundè vis acquieſcere, appetitus comprimendis aſſueſce, his his enim gradibus ad quietem illam enitendum eſt, animi motus à ratione & honeſtate abhorrentes conſtringe, quicquid diuinæ voluntati obniti ſenties, illud conſtanter frange. Mortifi-

Mortificationis ipſius.

Digitized by Google

cationes (vt vulgò appellant) vel interiorem, vel exteriorem hominis partem excolunt , illæ dum animum domant, carnem quoque comprimunt , hæ dum carnem coërcent , ipſum quoque animum moderatum reddunt, rationique ſubiectum.

In vtraque vtenda, moderatori obſequeris , cuius erit certas tibi metas definire, quas eius iniuſſu, nec leuiter tranſilias, ne dum incautiùs voluntati obſecundas tuæ, vltra quàm par ſit progreſſa, viribus deficiaris , adeóque per ſpeciem recuperandæ valetudinis ad priſtinas vitæ mollioris illecebras reuoluaris. Vbi remiſerit ſolitum pietatis ſtudium , hos admoue ſtimulos vt excitetur. Quòd ſi effuſis habenis rapiaris ipſa vehementiùs , adducendæ erunt, & intra gyrum rationis impetus ille continendus. Cùm rebus aſperis conflictari nos diuinum Numen patitur, eas ſi æquo hilaríque animo ſuſtineamus, etſi leues per ſe videantur , Deo tamen gratiſſimæ ſunt, magnóque nobis emolumento futuræ.

QVINTVM : ita corpus in oratione compone , vt pietatis ſenſui mem-

Digitized by Google

brorum compoſitio , ſeruat non vtique compoſitioni ſenſus ipſe pietatis. Cor enim quàm corpus Deo gratius eſt: quare ſi procedente oratione, vel imbecillitas, vel fatigatio, vel alia quæuis infirmitas attentionem obturbent, eámque vel ſtando, vel ſedendo poſſis retinere, nihil eſt, quòd verearis eo te modo componere, qui ad colligendum animum erit magis commodatus. Prius tamen à Deo veniam poſces, & graue eſſe tibi teſtaberis nō poſſe te demiſſiùs cum tanto Numine agere: vnde identidem in genua prolaberis, maximè vbi cum Deo colloquendum erit, vel ſaltem te ſupplex demittes, & externo illo venerationis habitu, internum reuerentiæ ſenſum profiteberis. Quæ multa de ratione meditationis inſtituendæ afferri poſſent, ea vſus earum, quas ſubiiciemus, meditationum docebit: vſui enim quàm præceptionibus longè plus tribuendum eſt.

Digitized by Google

De meditandi argumento.

CAP. X.

PRIMI capitis illius ſic adhibita cautione, proximam alterum hoc exigit, quo precatio mentis bene ſuccedat. Meditandi verò argumentum vnum idémque ſemper eſſe non debet: vt enim corpus ciborum varietate, ſic animus pabuli ſui diuerſitate refici & recreari exoptat. Moderandum tamen eſt cupiditati, ne quemadmodum ſtomacho crebra ciborum mutatio, ita animo quoque oneri ſit, non leuamento. Certis rebus immorari, addictum eſſe oportet, ſi velis aliquid trahere ſucci, quo animi tui vires augeſcant.

Neque tamen continuò, prout aliquid magis minúſve ſapit, aut arripiendum, aut abiiciendum eſt. Qui hanc ſuauitatem ducem ſequuntur, iis ſimiles ſunt, qui vineam eandem iterum ac ſæpiùs pangunt, à qua præter folia, inanémque viriditatem nihil eſt quòd aliud expectent.

Nec audiendi omnes, niſi tu ſingulas in horas non ſine magna leuitatis nota quaſi deſultorias meditationes inſtituere velis: idem enim hîc quod articulari, aut dentium dolore laborantibus contingit, quibus innumera ſuggeruntur medicamenta, exitio potiùs, quàm ſaluti futura, ſi cuncta tententur. Ducem igitur Eccleſiam ſequere, quæ pro varia temporum ratione, varia nobis cõſideranda proponit. Certam itaque & ſtatam materiam eliges, quam è vita, miraculis & doctrina Chriſti repetes, & in accommodata tempora digeres, vt exempli gratia, Chriſtum mortalitatem noſtram induentem, ſub natalitia conſiderabis: per ſolemne ieiunium, patientem: varia ſancti Spiritus chariſmata, per ipſos Pentecoſtes dies: in perfectionibus diuinis attendendis, feſtum Trinitatis diem, & proximè ſequentes aliquot collocabis: ſanctiſſimas Euchariſtiæ epulas, ſub idem tempus retractabis: ſingulis diebus feſtis, myſteria quæ celebrantur, aut præcipua Sanctorum, qui coluntur geſta tecum reputabis.

Eſt & alia ratio ſatis opportuna; cùm

Digitized by Google

ſinguli menſes in quatuor hebdomadas diſtribuũtur, & adhuc ſuperſint aliquot dies, facilè ſingulis hebdomadis ſua poteſt materies aſſignari propria, itaut exeunte menſe ad primam recurratur; intertextis tamen aliquot aliis pro feſtorum ratione meditationibus, ad moderatoris arbitrium. Eſt in hac methodo moderata varietas, vſúque comperi eam bene multis fuiſſe perutilem; quo fit vt eamdem vehementer probem, tibíque auctor magnopere ſim, vt quantum in te erit, in ea velis ſtudioſè verſari.

Argumenta primæ hebdomadæ hæc eſſe tibi poterunt, quæ proponi ſolent perpurgandæ Animæ accommodata.

Conſiderabis itaque,

Die Lunæ, quem ad finem homo ſit conditus.

Die Martis, beneficia diuina.

Die Mercurij, peccata.

Die Iouis, mortem.

Die Veneris, iudicium.

Die Sabbati, pœnas inferorum.

Die Domiminico, gaudia Beatorum.

Argumenta ſecundæ hebdomadæ, varia vitæ Chriſti myſteria, illuſtrandæ onea complectuntur.

Digitized by Google

Expendes igitur,

Die Lunę, Verbi ęterni Incarnationē.

Die Martis, Mariam ad Elizabetham adeuntem.

Die Mercurij, Chriſti cunas.

Die Iouis, Reges Magos ad Ieſu genua prouolutos.

Die Veneris, Chriſtum Patri oblatum, & matrem eius ſolenni purgatione luſtratam.

Die Sabbati Chriſtum à Ioanne ablutum, & dæmonem in deſerto inſidias parantem.

Die Dominico, Chriſtum in monte Thabor beatitatem corpori ad tempus impertientem.

Argumenta tertiæ hebdomadæ proſunt pariter ad mentem in ea quam illuminantem appellant viæ illuſtrandam, illámque ad optatam cum Deo coniunctionem diſponunt; hîc præcipua doctrinæ Euangelicæ capita, illuſtrioréſquē parabolas, ac celeberrima Chriſti miracula complector. Quare retractabis.

Die Lunæ, octo beatitatis vias.

Die Martis, ſeptem orationis Dominicæ petitiones.

Digitized by Google

Die Mercurij, epulonis hiſtoriam, & decem Virginum parabolam.

Die Iouis, Magdalenam, & Samaritanam ad meliorem frugem conuerſas.

Die Veneris Paralyticum in Piſcina ſanatum, & lucem homini à natiuitate cœco, datam.

Die Sabbati, filij decoctoris parabolam. Viatoris item à graſſatoribus malè accepti cùm ab Ieroſolymitana vrbe in Ierichuntinam deſcenderet.

Die Dominico, Lazarum, viduæ Naimiticæ filium, Iayri item filiam ab inferis excitatos.

Argumenta quartæ hebdomadæ.

Pariunt iſta mirabilem illam animorum cum diuina voluntate conſenſionem, vnde ex illis maximè petuntur Chriſti facinoribus eximiis, quibus ſuum in nos amorem expreſſit; vt enim flamma nulla re faciliùs concipitur quàm flamma prope admota ita amoris cognitione amor ſponte generatur.

Animum itaque attendes.

Die Lunæ, ad ſanctiſſimi Sacramenti inſtitutionem.

Die Martis, ad Chriſti patientis tormenta generaliter expenſa.

Digitized by Google

Die Mercurij, ad geſta in Oliueto, anguſtias ſcilicet Chriſti morientis orationem illius, Angeli apparitionem, ſudorem cruentum, Iudæ oſculum, vincula & raptati Chriſti profectionem.

Die Iouis, ad ea quæ apud Annam, Caipham, Herodem, & Pilatum contigerunt.

Die Veneris, ad crucis geſtationem, & reliqua in Caluariæ monte patrata.

Die Sabbati, an deſcenſum è Cruce, filij ſepulturam, matris luctum.

Die Dominico, ad Chriſtum reſurgentem, aſcendentem, & Spiritum ſanctum Apoſtolis mittentem.

Vſus harum meditationum.

Cap. XI.

VItæ ſpiritualis magiſtri non vulgares hæc eadem argumenta ſuis in libris copiosè perſecuti ſunt: illis ſi legendis incumbas, vt omnino ſum auctor, non parua inde ſubſidia comparabis; alius mentem noua luce augebit, faces alter volunrati ſuggeret ardentiores,

Digitized by Google

tiores, omnes precationi tuæ aliquod afferent emolumentum. Porrò cùm meditandi viam ſentibus aſperam multis, plerique, maximè tyrones putent, vt eam prò virili quoque parte mea vepribus auulſis purgarem, atque mollirem, & hoc etiam meditationum ſpecimen eiuſdem argumenti, proponendum duxi, vſus vt faciliùs cum ſpeculandi attẽtione iungatur. Hac inſuper ratione commodis tuis conſulo; dum breui volumine, quod circumferri facilè poſſit, ea omnia complector, quæ ad virtutem, ad quam via hæc te noſtra deducit, comparandam neceſſaria videntur.

Accedit, quòd cùm omnibus adiumento eſſe ſtudeam, multos è tenuioribus eſſe videam, quibus maiores illos nanciſci libros per facultates non liceat; quos modicum & parabile pretium ab hoc libello emendo non deterrebit: plures enim, quàm par eſſet, quòd ſumptibus parcendum ſibi ſtatuant, ſpiritalium inopia ciborum laborant.

Extrema huius operis pars in meditationibus illis enarrandis poſita eſt, ſex poſtremæ, diebus iis, qui ſingulis superſunt menſibus poſt quatuor hebdoma-

das expletas, deſtinatæ ſunt, quarum prima, quæ eſt de nobilitate Animæ tunc erit retractanda, cùm in Dominicam primus dies menſis inciderit: ſin aliud fuerit eius initium, vt à die Martis, Iouis, &c. tum quoque meditationum exordium ab ea faciendum erit, quæ illi diei fuerit attributa. Reliquas porrò quæ antecedunt, in finem menſis reiicies, vt eas ordine perſequaris, diebus illis, qui quintam hebdomadam inchoabunt.

Cùm autem per ſemihoræ anguſtias non liceat expendere ſingula meditationum iſtarum capita, prout à me ſunt explicata, ſatis erit, ſi aliquot è præſcriptis deligas, ex quibus tua precatio contexatur: tuum erit pluribus paucioribúſve imm orari, prout guſtus feret, frigeſcente certè ſuauitatis ſenſu, vix eas longiores inuenies, imò aliquando ſatis erit eas attenta mente legendo decurrere.

Digitized by Google

Monita ad finem cuiuſque menſis.

Cap. XII.

QVI expletis quatuor hebdomadis ſupererunt duo tréſve dies, eos vtiliter (vltimo excepto) ſic expendes, niſi meditationes vltimo loco poſitas recolere malis.

Primò inſtar menſarij perdiligentis, lucri momenta, collybúmque ad calculos reuocabis, quæ ad ſuperioris menſis rationes facta fuerit acceſſio, vel deceſſio recognoſces. Itaque orationes, deliberationes, tentationes, lapſus tuos attendes, quàm ardentes ſint amoris tui erga Deum, proximúmque flammæ, quomodo munus officiúmque tuum impleueris, quàm domitæ ſint cupiditates tuæ, quàm acre ſentias flagitioſum odium, & id genus alia.

In his ſi progreſſus aliquos habuiſſe te videris, Deo bonorum omnium largitori gratias habe ingentes, demiſsè de teipſo ſenti coram eo, omniáque tua in eius poſita præſidiis agnoſcens, maiores animos

ſume,& indies ardentiùs in virtute procedas.

Sin autem adeò remiſſa fueris, vt nihil acceſſerit tibi, ſocordiam tuam ex animo deteſtaberis, Deúmque ſuſcepto ſtudioſioris animi propoſito placare contendes.

Quòd ſi vſque eò fueris infelix, vt aliquid decedere tibi ſis paſſa, lugebis ſanè, & meritò, non tamen animum abiicies, ſed teipſam ſtimulabis ad ſaniora conſilia capeſſenda, nec antè ab oratione exurges, quàm melioris vitæ iniectam tibi mentem ſentias.

SECVNDÒ obſeruabis, quid maximè ad ſpiritalem viam tenendam tibi deſit, ídque breuiter, ſi memoriæ non ſatis fidas, in tabulas referes, vt cum moderatore tuo agas, eiúſque ſuper ea re conſilium exquiras, cui tunc dicto audiens eſſe propones, etſi minimè alienos ab ea demiſſione ſenſus experiaris.

TERTIÒ circumſpicies an ſatis conſtans æquabilíſque ſit exterioris hominis modeſtia, an ea ſit vultus, corporis, actionúmque grauitas, & compoſitio, quæ hominem virtutis ſtudioſum; orationi deditum, Sacramenta frequenter obeũtem

decet. Excuties opera, verba, veſtes, conſuetudinem familiarem, an hæc omnia condiantur ſuauitate, modeſtia temperentur.

QVARTÒ iuuerit etiam illorum cogitatione reuocare qui tibi noti, fortè per eum menſem è vita diſceſſerunt: his vbi fueris bene precata, ſummo Numini gratias ages, habebíſque multas, quòd vitam tuam protraxerit: rogabíſque illud enixè, vt ſi poſtremus iſte, quem inchoas, mortalis huius vitæ tuæ menſis eſt futurus, ita te comparare poſſis, vt inter eius manus cœleſti gratia exornatum ſpiritum exhalare poſſis.

QVINTÒ replicabis animo effata illa generalia, quæ initio huius ſecundæ partis attulimus pag. 115. atque vt altiùs ea in mentem demittas, quò prompta ſint faciliùs cùm vſus erit, iis conſiderandis aliquid temporis dabis.

SEXTÒ grati animi ſignificatione ſanctum illum Patronum proſequeris, in cuius tutela eo menſe fueris, eius gratia opus aliquod pietatis ſuſcipies, tum è cuiuſque menſis ephemeride, quod Kalendarium vocant, alium deliges, vel à moderatore accipies.

Digitized by Google

Poſtremum diem menſis excipi, quod eum ſaltem ad hæc recolenda ſeponi à te velim: quare abſtinebis eo die ſeueriùs à colloquiis, & congreſſibus minùs neceſſariis ſalutationis officio apud alios ipſa non fungeris, ad te verò adeuntes modeſtè declinabis, meditationis tempus ad horam integram protrahes, in templo conſiſtes paulo diutiùs, pomeridianis horis, maximè ſub veſperam, traditis hiſce pietatis operibus ſtudebis; denique ſincerè colliges animum viréſque, vt fauſtis auſpiciis nouum menſem inchoes. Tantum porrò in hac exercitatione præſidij eſſe duco, vt vehementer obſecrem te, Anima Chriſtiana, illam vt pro ratione tui ſtatus nunquam omittas.

Digitized by Google

Cauenda ad poſtremos dies Octobris.

Cap. XIII.

EXERCITATIONIS huius ſcopus eſt, vt de ſuprema vitæ hora perattentè recogites, itaque rebus tuis proſpicias quaſi ſi tibi continuò ex hac mortali ſtatione decedendum eſſet. Hoc mihi ad eam rem tempus peridoneum atque opportunum videtur: vt enim ea tempeſtate dilapſa ramis folia exareſcunt, ita mortalium plurimi ex hac vita deiiciuntur, qui acriorem mortis imaginem oculis noſtris inculcant. Ad hæc feſtus ſtatim occurrit omnibus Sanctis dies, quem excipit ſolemnis mortuorum expiatio, per quos dies nonnulla huic exercitationi commoda facere licebit. Baſiliſcum in oculis venenum adeò præſens continere ferunt, vt ſi priùs hominem conſpexerit, confeſtim eum interimat, interimendus ipſe viciſſim, ſi prior in hominis oculos incurrat. Quot homines mors occupat incautos, & improuiſos, quòd ab ea ſibi

Digitized by Google

cauere negligant? quos res leuiſſimæ & minutiſſima negotia totos ſibi vindicant, ſi vel exigua pecuniola periclitetur, quàm ſollicitè ad iter ſe comparant, quàm operosè, quàm diligenter, ſtipulationes, acceptilationes, tabulas, auctoritates perſcriptas, cæteráque fori arma excutiunt, id cogitant, id agunt, id noctes diéſque moliuntur, vt ſecundùm eos iudicetur: hoc verò vitæ feliciter concludendę tam arduum negotium, in quo iter ad æternitatem ſuſcipiendum eſt, morte tanquam viatore diem dicente, & ad diuinum tribunal nos vocante, vt coram ſeuero quæſitore omnia vitæ noſtræ momenta examinentur, & ſingula crimina ab acerrimis accuſatoribus conquiſita proponantur, tandémque ſententiam bonorum, vel malorum arbitram audiamus, hoc, inquam, negotium quanta incuria, quam oſcitanter à pleriſque tractatur, quos vel ipſa illius cogitatio angit, adeo vt ne illud quidem obuerſari ſibi patiantur, niſi cùm animus in primoribus, vt ita dicam, labris hæret iamiam euolaturus. Atque vt olim Sibaritæ adeo ſuis voluptatibus immergebantur, vt ne

Gallum quidem in vrbe paterentur, ne à ſomno, cui ſolutiſſimis animis indulgebant, illius cantu excitarentur, ita iſtis nouiſſimorum ſuorum quaſi ſomno ſepultis, nihil æquè moleſtum eſt, ac mortis recordatio, quæ quibuſdam eos velut aculeis compungit, & torporem excutit. Abſit à te, Anima dilectiſſima, abſit hæc lethalis incuria. Faxit diuinum Numen, vt ingentia quæ ſecum trahit pericula perſpecta habere poſſis, & explorata: & contrà ſentias, quàm è re tua ſit hæc exercitatio, ſi ſtudiosè ſuſcipiatur. Iob.7.6.

IN PRIMIS ergo in ſecretum conclaue ſeducta procul ab omni ſtrepitu, vti ſuprà dicebamus, Deum impensè rogabis, vt viuam quandam, & præſentem mortis ſpeciem menti tuæ imprimat, tum præteritæ vitæ annos tecum ipſa reputabis, attendéſque quàm celeri fuga ex oculis auolarint, quàm citò voluptates omnes euanuerint, quarum nullũ aliud veſtigium extat, præter anxium timorem, qui te percellit, quoties meminiſti rationẽ illarum eſſe reddendã: hîc tibi æternitas occurret, immẽſo te ſinu ſuo exceptura. ad eius conſpectũ Sap.2.5 Iob.27.5.

ingenti terrore concuſſa exclamabis: O æternitas! ô æternitas, quàm longè ſæculorum tuorum inexplicabiles curſus à breuibus dierum meorum gyris abſunt! effluxit & exhauſta eſt vita mea, ſicut aquæ guttula, quam puluis abſorbet; apud te interminatum *ſemper*, *&*
2Reg. 14.14. *ſemper*, vel gloria, vel ſupplicio aſſiduo
Eccl. 11.3. comite ſociatum voluetur. quod tamen ab vnico illo pendet momento, quo ſoluto corporis vinculo hinc emigrabo. O momentum, vtinam in cordis mei lance non leue momentum, ſed grauiſſimum pondus eſſes! vtinam altè animo depreſſum oculis meis perpetuò obuerſarere.

SECVNDÒ, hoc æternitatis horrore perculſa, quanta poteris maxima diligentia ad illud momentum te præparabis & *recogitabis annos tuos in amaritudine*
Iſa. 38. 15. *animæ tuæ*, & velut vaſa collectura, numerum peccatorum inibis, eorum maximè, quæ poſt generalem expiationem admiſeris, vt illa ſummatim deſcripta ad aures Sacerdotis, ea demiſſione, ſedulitate & doloris ſenſu deferas, quam vltima confeſſio exigit, non ſecus ac ſi tibi tribunal diuinũ iamiam eſſet adeũdum, vt de te in æternum ſtatueretur.

Digitized by Google

Tertiò, expiata, continuò pœnas à iudice tuo impoſitas implebis; quas, ſi me audis, ſolito grauiores ipſa poſtulabis, quibus ſordes tuæ faciliùs abluantur. tum identidem ad Deum conuerſa in hæc amantiſſima ſuſpiria dolore & amore ſaucia erumpes. *Probà me Deus, & ſcito cor meum, interroga me, & cognoſce ſemitas meas, & vide ſi via iniquitatis in me eſt, & deduc me in via æterna.* Pſ. 138. 23. 2.

Qvartò, ſic affecta illuceſcente feſto Sanctorum omnium die ad ſacram Synaxim accedes, iis in vſum reuocatis, quæ de ſanctiſſimis epulis participandis ſub huius Artis finem tradentur; maximè verò cœleſtis Beatorum gloriæ conſideratione quaſi pabulo mentem reficies, vt eo delectata à terrenarum voluptatum lacte depellaris, dicáſque cum Dauide, *Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei. Quid enim mihi eſt in cælo, aut à te quid volui ſuper terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Pſ. 41. 3. Pſ. 72. 5

Qvintò, ſub veſperam illius diei cùm mortuis iuſta perſoluere Eccleſia ſtudet, cúmque lugubri ſono æra campana cunctos officij ſui admoneant, vbi tuas ipſa partes præſtiteris, hæc eadem

(inquies) me manent, his me officiis neceſſarij perſequentur, ſuas Eccleſia fundet pro me preces, campanæ mea cauſa ſonabunt, ſtabit anima coram Deo rea, actore dæmone, at heu! quo propugnatore? ſi quod à me bonum opus profectum eſt, meum illud patrocinium
Apo. 14. 13. ſuſcipiet. Cùm hæc à te dicenda ſignificaui, ſeria hæc à te contentione reputanda intellexi.

Sexto, poſtridie templum ingreſſa, vt ſacra obeuntibus adſis, vbi pullis intenta velis altaria, atratóſque miniſtros Eccleſiæ videris, ille (inquies) color eſt, quem breui ob mortem meam liberi, familiáque tota induet: miſelli nati! Deus vobis tunc præſtò ſit: ô domus! ô familia! quãto in ſitu & ſquallore iacebis! cùm frigida rigidáque mẽbra eluentur, cùm pannis inuoluẽtur (quos, vnicum fortunarum mearum ſpolium, vnos mecum auferam) cùm corpus in feretro componetur, pompa funebris curabitur, iuſta ſoluentur, &c.

Septimò, vbi ſacris operam dederit ſacerdos cum luſtrali aqua parentum & maiorum tumulum aſperges:
Iob. 17. 1. quid aliud (ſubiicies tacita) mihi præter

Digitized by Google

hoc ſepulchrum ſupereſt expectandum? hoc me tantùm non æternum hoſpitium excipiet: eodem ex luto conflata, eadem qua maiores mei argilla ficta ſum, in puluerem illi, & cineres abierunt, abibo ego quoque non multo pòſt. O inſana hominum gaudia! ſiccine euaneſcitis? hoc exitu mortalibus illuditis? hodie deceſſoribus meis fato per functis ſuperſtes parento, cras mihi mei parentabunt.

Miſſa facio reliqua, quæ pietas & tempus ſuggerent; vt huic exercitationi vtiliùs incumbas, quod ſenſus fortaſſe refugient, magno tamen præſidio tibi erit ad ſalutem comparandam, & mortem iuſtorum obeundam. Quin & ſuauitate mira operoſas alioqui, & naturæ corruptæ graues virtutis actiones condiet: vt enim cùm acidiora ſunt mala punica, radici pineus ramus, qui mortis eſt ſymbolum, inſeritur, qui illi immortuus acòrem omnem facilè depellit, & magna ſuauitate fructus condit: ad eum planè modum cùm aſpera acidulaque nobis virtutum opera (quæ ſanè opera fructus noſtri ſunt, & poma meritorum corona redimita) videntur, non alio quàm mortis meditatione, potẽtiori

condimento dulceſcent: nam vbi liquidò nobis conſtabit caſtra ſublatis vitæ ſignis mouenda, &in alias regiones concedendum, ad alterius vitæ littora ſtatim oculos conuertemus, ad quæ præter virtutum opera nihil nobiſcum appelli poſſe, ſed ea tanquam merces exquiſitiſſimas magno compenſari pretio videbimus; quare quantam poterimus maximam illorum copiam magna cum voluptate comparabimus, vt illam in cœleſtibus nundinis explicemus. Itaque triſtis iſta cogitatio ſcelerum ſitim haud paulo faciliùs extinguit, quàm cinis iniectus, hirudinis ingluuiem corruptum ſanguinem auidiſſimè depaſcentem. Hæc ſi cui malè affecto duriora videbuntur, audiat ſapientem huius ſæculi dicentem, multa beneficia triſtiorem vultum præferre, quæ non tam ex accipientis ingenio, quàm ex dantis prudentia ſint metienda. Certè ea eſt, vt plurimùm exercitiorum ſpiritalium indoles, quæ qui refugit aſperitate deterritus, multis ſanè animam ſuam commodis defraudat; vt in vitæ exitu clarè, ſed ſeriùs intelliget. Porrò cùm hac exercitatione animum per-

Digitized by Google

polices, vide ne qua illius aura ad reliquos permanet, ſed ita tibi ipſi tempera, vt ſolita vultus oríſque ſuauitas, tranquillitas, & modeſta hilaritas conſtet.

De auguſtiſſimo Miſſæ ſacrificio.

Cap. XIV.

PRÆTER quotidianam meditationem nullo die, quo ad eius fieri poterit, omittere te velim auguſtiſſimum Miſſæ ſacrificium, in quo eam mentis attentionem adhibebis, quæ neque contentior, neque remiſſior ſit: certè ſi myſterij ratio habenda eſſet, non attentionem tantùm, ſed altiſſimum ſtuporem & ecſtaſim poſtularet: at hęc Angelis circumſtantibus permittes; tuum erit ita corpus mentémque componere, ne illorum ſocietatis indigna videaris, vti Chriſtianorum plurimos videmus, qui tanti myſterij dignitatem nihil veriti, multo minorem, quàm ſi Principi accumbenti adeſſent, reuerentiam exhibent: aut ſi paulo religioſiores ſint, confuſam quandam pre-

Dion. de cœleſti hierarchia. S. Amb l. 1. in Luc.

cationum vocalium multitudinem balbutium; nihil minùs, quàm de Deo altari inſidente cogitantes.

Aliam tibi viam ars hæc noſtra, demonſtrat quam ſequere, Anima Chriſtiana, ſi expendas. Miſſæ vtilitates, & commoda, quæ multa ritè audientibus parit; quorum hæc ſunt præcipua.

1. Nominatim pro illis Sacerdos preces fundit, quare ſubſidiorum Eccleſiæ nominatim participes fiunt.

S. Tho. in 4. diſt. 12. q. 2. art 2. q. 2. ad 3.

2. Prouocat illos ſanctiſſimum ſacrificium ad amorem Dei, & flagitiorum, deteſtationem; quæ velut quibuſdam radiis lethalis noxæ tenebras omnes diſpellant.

3. Non parum ad obducendas venialium noxarum cicatrices confert. Qui enim inter ſolennem peccatorum confeſſionem recitandam, vel ſub ſalutaris hoſtiæ oſtenſionem pectus tundunt, qui orationem Dominicam piè repetunt, qui ad auguſtiſſimum ſacramentum, reipſa, vel voto accedunt, qui denique benedictionem ſacerdotalem, religioſè demiſſéque excipiunt: veniales illorum maculæ facilè condonantur atque delentur: nam cùm actiones iſtæ cum peccati odio

odio coniunctæ ſint, accedente efficientiâ ſacrificij, peccatum vt hoſtem ſuum profligant.

4. De pœna peccatis iam expiatis debita ſemper aliquid remittitur: auxilia cœleſtia à iuſtis impetrantur, quibus erectis virtutum opera edunt, quæ gratiam gloriámque ipſorum adaugent.

5. Iuſtorum item preces tanto ſunt acceptiores, quanto arctiùs Chriſto totius meriti auctore per hoc ſacrificium nituntur.

6. Si eorum mens & voluntas vnà cum ſacerdotis inſtituto ac mente iungantur, maior perfectiórque cultus Deo adhiberi nequit; humani ſiquidem generis vindicem offerunt, qui cùm ſit infinitæ perfectionis, neque ad eorum munus quicquam accedere, neque cumulatiore Deus religione coli poteſt.

7. Excitantur vehementer ad memoriam vulnerum & mortis Chriſti recolendam, quæ memoria miros in rebus aduerſis animos addet, atque ad laborum perpeſſionem accendet.

8. Multi denique multa & magna in hoc ſacrificio communis vitæ præſidia inuenerunt.

Digitized by Google

Præparatio ad ſacrum benè audiendum.

Cap. XV.

TV me auctore hæc tecum volues, cùm ſola ad Miſſam perges audiendam; ſi verò comites habeas, harum ipſarum rerum miſcere colloquia ſuauiter niteris. Quod enim frigidæ veſti vſuuenit, quæ dum corpus calefacit, calefit ipſa, idem fortaſſe tibi continget, vt quæ alios incendis, ipſa incendaris ad pietatem.

Templi in ingreſſu tibi ſit in oculis Eſtheris modeſtia, Regis Aſſueri conclaue ſubeuntis, vt ſi qua fortè ſollicitet animum leuitas, contineat te pudor ille, ne compoſita minùs in religioſa baſilica, & in ore Dei, quàm illa in oculis Principis in throno conſidentis appareas.

Sacerdote è ſacrario pedem efferente, veniat tibi in mentem ſummus ille, & verus Pontifex Chriſtus Ieſus, cuius acerbiſſimos cruciatus ſacræ veſtes menti obiicient. In amictu, velum agnoſces, quo benigniſſimos eius oculos milites

obtexerunt, cùm explicatas palmas infligentes, quis percuſſiſſet, velut de coniectore quærebant: in Podere, ſeu Alba, togam candidam, qua illum Herodiani ad ludibrium veſtierunt. Cingulum, manipulus, ſtola, vincula referunt, & funes, quibus patibularij in morem vinctus, ad ſupplicium raptus eſt: Caſula, purpuream veſtem exprimit. Crux in ea contexta, crucem, ſub cuius onere in via ad Caluariam gemuit; Corona ſacerdotis, ſpineam eius coronam; altare Caluariæ collem; linea vela ſeu mappæ, & corporalia, vt vocant, ſudaria, & lintea, quibus pretioſiſſimum corpus eius eſt obuolutum, cùm ſepulchro mandaretur.

Quid ab initio ſacri vſque ad hoſtiæ ſublationem faciendum.

CAP. XVI.

SVB initium pronunciata ſolemni Confeſſionis formula, vt delicta condonet, Deum exorabis, & ſacerdotem ſibi tibíque illis verbis, *Indulgentiam, & abſolutionem*, &c. bene precantem demiſsè audies. Tum de precatorio libello hymnos, & orationes aliquas pias, non tantùm ore tenus, ad illam vſque ſacri partem recitabis, qua ſacerdos aſtantes vt ſui commonefaciat officij, illis verbis compellat, *Surſum corda.*

Omiſſis tunc aliis precationibus cœlum erecta cogitatione penetrabis, vt ſanctiſſimam Trinitatem cum veneratione adores: Patri æterno gratias habebis immenſas, quòd tanto noſtri amore flagrarit, vt filium ſuum ſalutis noſtræ cauſa miſiſſe ſemel non ſatis habuerit, ſed eam præterea viam excogitarit, qua ad nos ſingulis diebus ita commearet, vt à ſua tamen dextera non recederet.

Digitized by Google

Filij bonitatem exoſculare, quæ cùm beatas illas mentes immenſis in cœlo gaudiis ad conſpectum ſuum compleat, mortalibus idem, quamquam diuerſa ratione, donum impertiat exhibito nobis miſericordiæ ſuæ pignore, quo ſapientiam Salomonis longè prætergreditur, ille enim vt vtrique matri diſceptãti faceret ſatis diuidendum filium pronunciauit. At quæ Chriſti nunquam ſatis æſtimanda bonitas eſt, & ſapientia, totum ſe triumphanti, totum militanti Eccleſiæ permittit; illam inexplicabili lætitia perfundit, tum ei ſe clarè videndum obiicit; hanc ſuiipſius communione, quamuis oculis non vſurpanda locupletat, ſic enim fides, cuius regitur auſpiciis requirit.

Sanctiſſimum Spiritũ vt auguſtiſſimis hiſce ſacris operã daturo ſacerdoti propitius adeſſe velit obſecra, mentẽ eius regat, vt in diuinam gloriam, in omnium fidelium vtilitatem, animarũ, quæ expiatoriis ignibus purgantur, leuamentum, flagitioſorum conuerſionem, & in tuam neceſſariorum, & amicorum, &c. ſalutem & commodum feratur, & admirabilem rerum creatarum in creatorem

perficiat permutationem. Hic cum Angelis demiſſiſſimè proſtrata magno animi ardore ſanctum illud triſagion canes: Sanctus, ſanctus, ſanctus, Dominus exercituum, &c.

Quid obſeruandum ſit dum extollitur SS. Sacramentum.

Cap. XVII.

CVM ſpectandum extollitur ſanctiſſimum Chriſti corpus contende omnes voluntatis neruos, vt perquam attentè & religiosè venereris atque adores Deum tuum, quem in ſacerdotis manibus rerum creatarum figura obtentum ſpectas, cœlo nihilo minus præſentem, & immenſa maieſtate venerandum.

Gratias age, quòd olim propter te in Crucem ſublatus, nunc altari ſe ſiſtat, vt ſanguinis te ſui participem faciat.

Offer illi ſacrificium hoc in gratiarum actionem pro beneficiis in te collatis, in culparum tuarum expiationem, ad cœleſtia beneficia impetranda, illámque vulgi precatiunculam cõcipe, *Aue ſalus*

Digitized by Google

mundi, Verbum Patris, &c. vel dic cum ſancto Thoma, *Dominus meus*, *& Deus meus*, vel cum beato Anſelmo, *Adoramus te Chriſte rex Iſraël, lux gentium, & Princeps regum terræ:* vel cum beato Franciſco: *Protector noſter aſpice Deus reſpice in faciem filij tui, in quo beneplacitum eſt tibi*, aut cum Angelico Doctore, *Tu rex gloriæ Chriſte, tu Patris ſempiternus es filius*, &c. vſque ad finem hymni, quem vulgo, *Te Deum*, appellamus: vel cum Ludouico duodecimo Rege noſtrò illam eiuſdem doctoris precationem vſurpa: *O ſalutaris hoſtia*, &c. quam piiſſimus Rex toto regno in templis cani optauit.

Expletis hiſce votis, & precationibus, ad inſtitutas preces, ſi quid temporis vacat, redire poteris, vſque eò vt de ſacerdotis ore audias. Agnus Dei, quo tempore ſi re ipſa ſacra myſteria non es obitura, ad illa de animi deſiderio participanda te parabis, hac ratione.

1. Retorquebis oculos in teipſam, quam cùm perpetuum ſordium fontem eſſe videris, ſeruatorem liberatorémque tuum rogabis, quandoquidem Agnus ille eſt, qui mundi peccata abſtergit, tua vt etiam deleat, nec vllas in te ma-

culas hærere patiatur, quæ illum à congreſſu tuo arceant, téque à ſuauiſſimis eius epulis excludant.

2. Excitabis, quàm poteris maximè, auidam ſuauiſſimarum epularum famem; tum renouata fide, qua eum venerando altari præſentem adeſſe profitearis, ſperabis illum, qui ſuam gratiam ſacramento minimè adſtrictam & illigatam habet, eam deſideriis & pietati tuæ conceſſurum: hac fiducia erecta, in hoſtiam oculos defiges, & cum ſacerdote dices, *Domine non ſum dignus*, &c.

3. Continuò amore incenſa cordis ſinus omnes explicabis, Dominúmque tuum impendio obſecrabis, vt ad te licèt immeritò, diuertere ne grauetur, iiſdem tibi donis communicatis, quæ ſacerdoti re ipſa corpus & ſanguinem eius pretioſum excipienti liberaliter impertit: ea eſt eius indulgentia, tam propenſa in homines voluntas, vt repulſam minimè ſis paſſura.

4. Quare velut cœleſti theſauro locupletata, exulta, gratias age, laudes eius tacita prædica, & dum poſtremæ orationes, quas Collectas vocant, recitantur, exhibe teipſam munus acceptiſſi-

mum Deo tuo, ſanctéque profitere nihil tibi deinceps antiquius futurum, quàm vt diuinis eius legibus obtemperes, & in omnibus eius voluntati penitus acquieſcas; denique vt piè feliciterque hanc actionem claudas, ſacerdotis benedictionem excipies, non ſecus ac ſi Deus ipſe impertiret, à quo ſtudioſiſſimè poſtulabis, vt factis, dictis, cogitatiſque tuis omnibus per diem præire velit; vt ad eius honorem omnia illa referantur.

Ad extremum gratia ſalutandorum Chriſti vulnerum quinquies, *Pater noſter*, & *Aue Maria*, piè recitabis, & ſine mora domum te recipies.

Monitum matribusfamilias quibuſdam.

Cap. XVIII.

MVLIERES illæ à pietate longiſſimè abſunt, errántque vehementer, quæ prætexta pietatis ſpecie, rei familiaris, quam procurare debent ſollicitudinem abiiciunt, vt plures horas in templo terant, inutiliter ſæpe, aſſeclis

ſuis graues, domeſticis odioſæ.

Pietatem ſuam quemque metiri decet pro ratione muneris, & officij ſui. Chriſtianæ mulieri quatuor in oculis eſſe perpetuò debent; coniux, liberi, domeſtici, & res familiares: coniugi amorem, obſeruantiam & obſequium deferri par eſt, liberis amor, inſtitutio, & educatio debetur: domeſticis amorem, mercedem, & correctionem præſtare neceſſe eſt: res familiaris prudentiam, diligentiam, & patientiam exigit: denique in omnibus exemplo ſuo aliis præire materfamilias debet: hæc omnia ritè obire, quî poterit, ſi tam diu domo abeſſe aſſueſcat.

Id peccant nõnullæ, quòd definitarum certarum quotidie precum recitandarum ſibi præſtituerint legem, cui facere ſatis per matutini temporis ſpatium vix queant: iis illæ adeo pertinaciter adſtrictæ ſunt, vt ſi non percurrerint vniuerſas, in earum moroſitate ſuſtinenda, incredibili quadam patientia opus ſit. eiuſmodi pietas laudabilis eſſe non poteſt, vnde tanta fructuum acerbitas efflореſcit: neque porro id precationi quæ voce concipitur, Deóque admodum accepta multorum: ſegetem meritorum

parit, ſed illarum imprudentię, ad maiora quàm animi; & occupationum tenuitas ferre poſsit aggredienda, inuitanti adſcribendum eſt. *Rationabile debet eſſe obſequium noſtrum* (inquit Apoſtolus) Seruator qui iubet *nos ſine intermiſsione orare*, verboſitatem in precibus vetat, non quò precationum illarum aſſiduitatem prohibeat, cùm certa lege modóque celebrantur, ſed vt moneat inanem loquendi profluentiam verborúmque labris, tantummodo, non ex animo prolatorum copiam diſplicere. quocirca infructuoſum eſſe huiuſmodi laborem, atque id mulierum genus quæ in eo, verſantur, quia facilem, mentis ſua meditatione colligendæ, & ad ſe redeundi aditū ſibi præcludunt, iiſdem in vitiis ad mortis vſque tempus deliteſcere videmus. aliæ ſimilem planè culpam admittunt, dum in templo diutius quàm neceſſe ſit, non precandi quidem, ſed garriendi, & colloquendi cauſa commorantur. Ita enim nugatoriis ſermonibus aſſuefactæ ſunt, vt quem in vitio non ponunt, nulla loci quantumlibet ſancti & cuiuſmodi templa noſtra ſunt, auguſti habita ratione in illo duas tréſve horas ponere

religioni non ducant. Immoderatæ
colloquiorum licentiæ ineptus non-
numquam riſus, immodeſtíque geſtus
accedunt , quibus ſpectantium pietas
attentióque interpellatur, eodẽ exem-
plo deprauantur imbecilliores , vniuer-
ſi grauiter offenduntur, adeo vt ſi diu-
tiùs ab domo abſentes aliquid pec-
cant, grauiori etiam culpa in Dei ædi-
bus aſtantes implicentur : neque porro
animaduertunt , ſe dum ſacrum hunc
locum omittenda reuerentia dedeco-
rant, in magnum oraculi illius Apoſto-
lici, ſuo damno ſanciendi periculum
vocari : nam ſi eiuſmodi minarum cau-
ſa ſilentium iubebat, tantúmque vene-
rationis eo in templo adhiberi, vbi ſa-
crificium ex brutis animantibus, aliiſ-
que eiuſmodi rebus conſtabat , qua
tandem animaduerſione , pœnáque in
eos vtetur, quorum reuerẽtia pietáſque
deſideratur in ſacris ędibus noſtris, qua-
rum typus & adnumeratio fuit vetus
illud delubrum, in iiſque per ſingulos
dies, pretioſiſſima acceptiſſimáque cor-
poris & ſanguinis Chriſti victima, ad
omnium totius orbis peccatorum ex-
piationem, & compenſationem offer-

Digitized by Google

tur. Profana hæc ratio agendi nihil ab Ethnicorum fauis abhorreret, cùm teſte Dauide, id muneris illic præſtabunt, quæ eo quem deſcripſi modo, matutini temporis partem in templo collocabunt, quam ab iiſdem velim rationem teneri, vt familiæ totius, & coniugum placabilitas atque concordia ſeruetur.

Præceptio in matrimonio tenenda, & monita quædam de habendo vitæ inſtituendæ delectu.

Cap. XIX.

MVLIERES matrimonij vinculo adſtrictæ fouete coniugum amicitiam, tranquillitatis pacique domeſticæ ſtudete, videte ne vllum à vobis officium deſiderari meritò poſſit. Vos autem mariti intimam vxoribus veſtris beneuolentiam nauate, ſuauiter eas regite, infirmitate lapſas clementer, & benignè ſuſtinete. Eſtis quidem illarum capita, ſed pars veſtri ſunt, ſociæ veſtræ ſunt, ſacroſancta illa vobis con-

Digitized by Google

iunctione deuinctæ, quæ numquam dirimendam Chriſti cum Eccleſia ſua neceſſitudinem adumbrat. Amoris huius conciliator, & parens erit timor Dei, qui ſua vi totam familiam fortunabit, à qua ſi abſit, tædia vtique, moroſitates, diffidentia, ſimultas, zelotypia, calamitates, aliæque peſtes affluenter exiſtent. Hauriant maturè, & imbibant hoc ingenium liberi, ſinceróque Dei timore imbuantur: intelligant ſerui, vos nihil æquo animo laturos, quod ab eo deflectat. ſi Deo fideliter ſeruient; illorum erga vos obſequium fidelitáſque conſtabit. Vt verò cõiugium probetur, felicitérque ſuccedat, inchoari priùs in cœlo debet quàm in terris abſolui. quod item vniuersè de omnibus vitæ muneribus inſtitutiſque viuendi ſtatuendum eſt, quorum in nullo quẽquam verſari oportet, quin illud crediderit ſibi fuiſſe ex Dei arbitrio & voluntate ſuſceptum. Eo ſi quis ſecus vtatur, ſui ipſius moderationem arroganter aſſumit, quæ Deo creatori noſtro relinquẽda eſt, & integrè committenda: à quo in lucem editi ſumus, & aptas rerum omnium ſuſpenſáſque ra-

Digitized by Google

tiones habere debemus. Ego quidem verè non minùs quàm aſſeueranter affirmem, ideò maximam hominum partem ſuæ conditionis, & muneris pœnitere, quod excluſo Dei arbitrio illius ipſi authores, & architecti fuerunt, quâ in re parentes grauiſſimam liberis ſuis perniciem damnúmque conſciſcunt, quos omiſſo Dei conſilio eiuſmodi plerumque illigant modo & genere viuendi, quod ab illius ſit maximè ſenſu & voluntate diſiunctum. Iſaï Dauidis pater, eum capris præfecerat ad paſtum deducendis, cui Deus Iſraëliticum regnum deſtinabat. Multi quidem (inquit D. Gregorius Imperatori Mauricio ſcribens) in ſeculo, victúque communi ſaluti ſuæ conſulere poſſunt, ſed alij ſunt, & ij multo plures infeliciter certóque perituri, niſi rebus planè omnibus nuncium remittant: non quin ſingulæ munerum conditiones varietatéſque in republica Chriſtianæ conſtitutæ ad beatum finem aſſequendum vſui, & adiumento eſſe poſſint, ſed quòd earum quælibet non conueniat hominibus vniuerſis vel cuiuis illorum, vt nec omne calceorum genus ad cuiuſlibet pedem

habile, & aptum eſſe conſueuit. Status ipſe religioſus, vt omnium perfectiſſimus ſit, multorum vtilitati minimè conducit, atque religioſorum pleriſque in ſæculo manſiſſe præſtitiſſet, quàm ſeſe clauſtrorum cancellis anguſtiiſque ſepſiſſe. Cùm in Chriſti ſocietatem adſciſci quiſpiam poſtularet apud Lucam, eum haud admiſit, ſed dimittẽs, *redi,* ait, *in domũ tuam, & narra quanta tibi fecit Deus.* Alter petita ſepeliẽdorũ antè parentũ facultate repulſam, tulit, audiuitque, *ſine mortuos ſepelire mortuos ſuos.* Quemadmodum igitur plantas, vt radices agant, atque firmentur, cœlorum efficientia ſuſtentari, & corroborari neceſſe eſt: ita vt Chriſtianus homo certum ſibi muneris ac vitæ genus inſtitutúmq; deſcribat ad ſalutis ſuæ rationes expeditum, inſtinctu diuino afflatúque regi hoc in negotio illũ oportet, neque ſuopte vel humani ſenſus impulſu moueri, neque pernicioſam mundi conſuetudinem, & viam tenere è corporis inductione, rerúmque ſenſibus ſubiectarum lenocinio petitam, ſed rationis, ac principiorum maximè ſuperiorum conſiliis è ſapientia diuina deriuatis obtem-

obtemperare. quam quidem ille ſi cautionem omittat, mille ſe ærumnis, & ſalutis ſuæ periculis committit: qui nulla huiuſmodi præmunitione adhibita ad matrimonium, aut ad cœlibis vitæ ſtatum conuolarunt, omni poteſtate reſiliendi præcluſa, minimè tamen animus iis deſpondendus, ſed culpa quam admiſerunt corrigenda eſt, atque illius in quo verſantur ſtatus perfectio conquirenda.

Obſeruatio ante & poſt adhibitas epulas tenenda.

CAP. XX.

CVM menſæ accumbitur, neque ſolutiore, neque contento nimis animo eſſe te velim; riſus effuſi, leuitatem; contentio rigida ſubaſperam & moleſtam ſeueritatem parit: omnibus ſatisfacies, ſi grauitatem comitas leniat. Cæterùm ſedulitas in miniſtrando, in componendis motibus corporis modeſtia elucebit; prudentia verò, ſi ſine tumul-

tu, ne quid deſideretur, proſpicias, ſi opportunè & ſenſim pium colloquium ingeras, quod conuiuas ab iis ſermonibus abducat, quibus plerumque fœdius, quàm appoſitæ carnes, hominum fama laceratur.

Eadem prudentia moderabitur cibis, vt attendas qui idonei, qui alieni ſint, quęque in illis ſumendis menſura ſit adhibenda; ne per cauſam neceſſitatis iuſto plus indulgeas tibi, aut per ſpeciem pietatis ea ſubducas, quæ viribus conſeruandis ſunt neceſſaria. Multis dæmon impoſuit, imponitque in dies, quos calente pietatis æſtu, acribus incitamentis ad immoderatam inediam vrget, craſſioribus & infirmioris materiæ cibis vtendum, aridum panem, frigidámque ſatis ſupérque eſſe ſuadet, id autem eo conſilio, vt paucis menſibus defecti viribus languente ſtomacho iaceant ipſi, nullam ad rem vtiles, niſi vt cæterorum patientiam exerceant.

Iam verò menſæ accumbere, nec bene precari, aut ſub finem gratias Deo non agere, adeò ſordidum eſſe, vel me tacente, ſatis vides, vt ferinum potiùs quàm humanum ſit: ferarum ſiquidem

eſt ſolos ſenſus, hominis rationem adhibere ducem, atque moderatricem. à menſa, conuiuis è cubiculo digreſſis, tu quoque in conclaue te recipe, & luſtratis breuiter matutinis actionibus, flexis genibus, Pſalmum *Miſerere*, decurres, vt lapſus tuos Deus condonet. Tum cætera diei negotia mente præcipies, quæ vt ritè peragas, flexis item genibus hymnum, *Veni creator*, ſuppliciter fundes.

Contra otium & immoderatas occupationes.

Cap. XXI.

HIs ita compoſitis, in negotia tua incumbe, quæ ſi per ſeruos tuos adminiſtrantur, ne te propterea inertię dede, ſed alicui operi animum intende. Vitetur otium & deſidia, parens, & alumna omnium vitiorum.

Audias non rarò, è Chriſtianorum ore has voces, *fallamus tempus*, aut quod inſaniæ eſt turpioris, & magis ſtupen-

Digitized by Google

pendæ, *mactemus hunc diem vel hoc pomeridianum tempus*. Miſeri! adeóne paruipenduntur vobis horæ, quibus nundinari cœlum licet? peribit heu! prætervolabitque ocyùs, quàm expetatis tẽpus: veniet aliquando, & fortè breui, hora illa, in qua vnum, aut alterum momentum enixè flagitabitis, nec impetrabitis. Quod Ezechiæ datum eſt, vulgò non datur, vulgò tamen migrant ex hac vita multi haud feliciore exitu quàm is, cuius meminit Gregorius ille magnus, quem cum morte luctantem exclamaſſe refert, *Induciæ vſque ad mane, induciæ vſque ad mane*: & in hæc verba raptam eius animam à dæmonibus. Anima, cui hac arte facem præfero, vt hunc ſcopulum deuitet, illud ſapientis oraculum, in auribus frequenter habebit: *Fili conſerua tempus, & deuita à malo*. Necnon Apoſtoli, *Videte itaque fratres, quomodo cautè ambuletis, non quaſi inſipientes, ſed vt ſapientes redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt*. Qui vitalem gratiæ auram ducit, nec otio languet, is ſanè meritorum theſaurum ampliſſimum moriens collectum habebit. Vnum virtutis opus aliud excipit, ſuccedit tertium,

Digitized by Google

huic quartum, & ita deinceps, quæ ſi exeunte hebdomada numeroſa ſunt, quid exeunte menſe? quid anno? quid denique vita? quot, & quàm illuſtria Deo pergrata opera exhibebit. O iuſte, ab otio aliene, *labores manuum tuarum, quia manducabis, beatus es & bene tibi erit.* In cœlo nimirùm bene erit, quia ibi pro meritis ſtudioſè comparatis, immenſa quadam gloria donaberis. Nec eſt quod dubites aut diffidas.

Alia enim ratione Theologi, alia Aſtronomi futura proſpiciũt: iſti enim ex compoſitione, & aſtrorũ aſpectu mutuo, motúque diuerſo quid in terris futurum ſit inaniſſimè ſæpenumero prædicunt: Theologi contrà dum actionum humanarum altitudinem, latitudinémque metiuntur, quid in cœlis conſtituendum ſit certiſſimè definiunt, & varios ſitus, poſitionéſque beatorum minimè fallaci radio deſignant, ex hac diſciplina eſt illud Apoſtoli pronunciatum: *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis, prout geſſit.* Quare quis iuſti animus eſſe debet, vt conſtanter inſiſtat præclaris facinoribus exercendis, cùm ſciat his vnis nummis

Digitized by Google

immenſa illa beatorum gaudia comparari, per totam æternitatem fruenda? At cùm negotioſam eſſe vitam tuam volo, non eo hæc conſilio dico; vt grauioribus, quàm par ſit, oneribus humeros ſupponas.

Occupationes immodicæ menti tenebras offundunt, atque illam varias in partes diſtractam obturbant, pietatis neruos elidunt; deuotionis fontem exſiccant, oppreſſas animæ vires infringunt, cuius tamen commodis cætera omnia ſeruire oportet. Iuſſus Vrias à militia vacare aliquantiſper, & quieti indulgere, neglexit, nec vllam ſibi voluit à caſtrenſi munere miſſionem dari. Hinc eius clades, & interitus. Non diſſimile te manet exitium, Anima Chriſtiana, ſi nullam tibi à negotiorum ſtrepitu feriationem, & quietem indicas, obruet te graue illud onus, niſi illud interdum, reficiendi, & recreandi tui gratia remittas. Non eadem eſt Chriſtiani, quæ Senatoris illius Romani vitæ ratio, qui poſt annum nonageſimum, ait Seneca, cùm vacationem procurationis à C. Cæſare vltro accepiſſet, componi ſe in lecto, & velut exanimem à circunſtante familia defleri

Digitized by Google

iuſſit. adeò mortem iſte ſibi, quàm otium, gratiorem eſſe ducebat, vt hoc in ethnico venia dignum ſit, in homine certè Chriſtiano non eſt ferendum; ſubducat enim ſe iſte oportet, & furetur quodammodo negotiis, vt Deo, vt ſibi vacet; in freto qui diu iactatus eſt, in portu aliquando quieſcat: certè qui ſecedere neſcit, ethnici animam in Chriſtiano corpore circunfert, adeò vitæ ſollicitudinibus irretitam, vt de ſua ſalute minimè omnium laboret.

De congreſſibus; quid in illis obſeruandum.

Cap. XXII.

IN congreſſu ſermones turpes, & ſcurrilem dicacitatem, tanquam præſentiſſimum animæ venenum oderis: oleam ſi capra lambendo attrectet, abortum è veſtigio patitur. Et tu pariter quicquid boni in precatione matutina conceperis, extingui ſenties illico, ſi extrema lingua mollem illam verborum li-

Digitized by Google

centiam attigeris. Fugies præterea ſtudioſſimè obtrectationes, vt luem exitialem, impunè tamen hodie in vulgus ſerpentem. Quot linguæ, tot propè nouaculæ, quæ famam alienam crudeliter proſcindāt: eſt verò mira quædam in nobis ad ſceleris credulitatem procliuitas, quo fit vt aliena ſæpe apud nos exiſtimatio, non ſine graui peccato minuatur, cuius peccati reus eſt, qui aliquem flagitij inſimulat, aut verum quidem, ſed arcanum eius crimen patefacit; qui niſi palinodiam canat, & inconſultè prolata retexat, veniam à Deo non conſequetur; qui verò ſpontaneas cum voluptate aures illis verbis accommodauit, eiuſdem cum detrahente criminis inuidia laborat. Si publici ſceleris infamia notatos, dicteriis perſtringere eſt inclemētis, quanto cautiùs de iis, qui bene audiunt, ſermones ſunt inſtituendi? Abſit igitur ab ore tuo contumelia, & detractio, imò verò auſtera & triſti fronte, ſi cuius ab ore geſtierint erumpere, comprime illas, aut ſi in te authoritatis ſatis eſt, amanda prorſus, & faceſſere iube.

Etenim licèt exploratum eſſet tibi proximi crimen, ſi tamen nondum in

vulgus prodiit, tum erit tegere illud, & diſſimulare: quod facilè perficies, ſi memineris multorum innocentiam conuitiis turpiter eſſe deformatam. Ioſeph, Suſanna, Chriſtus ipſe integritatis typus, an nō calumniam paſſi ſunt? Quòd ſi eam ob rem homines nequam à tua conſuetudine recedant, gratulare ipſi tibi. Pampinos ſerpentes odere, quòd eorum odore necentur. Mirum non eſt, ſi Chriſtum in ore Chriſtiani ſæpè non habeant, quem à corde ſuo ablegant. Qui obtrectationibus parcit, in nugas fertur, quas qui liberius effundit, (ea eſt huius ætatis infelicitas) elegantior habetur, qui verò diuinarum rerum ſermones inſtituit, ſtupidus, & inſulſus. Si quæ ſæculi inſania eſt, in hac æſtimationis temeritate verſatur: illa ergo deſpecta ſtudebis in congreſſibus, vtilia miſcere colloquia, veluti, ſi diſſeras

De ſingulari Dei in nos prouidentia.

De infinita eius miſericordia.

De admirandis eius operibus.

De argumento meditationum tuarum.

De iis, quæ in concionibus audiſti.

De infelicitate huius vitæ.

Digitized by Google

De deplorãdo ſceleratæ animæ ſtatu.
De cruciatibus inferorum.
De gloria Beatorum.
De Sanctorum rebus geſtis.
De felici iuſtorum exitu.
De triſti perditorum exitio.
De pulchritudine Virtutis.
De deliciis, quas parit Virtus.
De Angelorum tutela, & præſidio.
De inſidiis Satanæ.
De turpitudine vitij.
De calamitatibus hæreſeos.
De remediis peccatorum.

De miraculis, tum antiquis, tum recentibus. In his & aliis id genus ponitur tempus, Dei honor procuratur, proximi commodis conſulitur, honeſtè animus remittitur, & laxatur. Id ſatis liquere dices, at cupies iam audire quæ ſint rationes, & viæ, in ſalutaribus hiſce ſermonibus habendis tenendæ, cùm in cœtibus & circulis frequentibus verſaris, ne per imprudentiam aliquid minùs cautè excidat tibi, quod vtilitatis quàm offenſionis habeat minus. Quinque igitur de pluribus, quæ ad manum facilè eſſe poſſunt, quo tibi morem geram offero, quæ à te peruelim familiariter adhiberi.

Digitized by Google

Rationes boni ſermonis inducendi.

Cap. XXIIII.

PRIMAM *Occaſionis* voco, quæ in eo poſita eſt, vt è re nata, non accerſitis longè, ſed ſub ſenſum poſitis è rebus, diſſertationis alicuius ſalutaris cauſam aucuperis, & arripias.

SECVNDAM *Quæſtionis* commodè appellarim, non eo tamen animo, vt inquirendi, contendendi, aut rixandi nullum in hominum corona & congreſſu finem facias, quod & à decoro longiſſimè abeſſet, & à tuo meóque propoſito eſſet alieniſſimum: verùm vt indicem haud alia ſæpe via compendioſiore aditum ad pia colloquia texenda, vel praua coërcenda muniri, quàm ſi cum ea, qua par eſt modeſtia aliquid ſciſciteris, quod doceri velle præ te feras. Sic enim fiet vt pro ſe quiſque vires ingenij contendat, quo tibi faciat ſatis, itaque natura comparatum eſt, vt qui bene ſe excogitaſſe, & (vt dicitur vulgo) rem acu tetigiſſe ſe putat, quod animo conceperit, cum voluptate

proferat, quo fit vt ſuauiter tempus traducatur. Videndum hîc tamen erit tibi diligenter, ne moleſtè quenquam interpelles, néue quidpiam quæras reſponſione non ſatis dignum.

TERTIAM *Illationis* dixerim, cuius illa eſt ars, vt ex iis quæ videris, quæque iam venerint in diſceptationem, aliquid cõmodè conficias. Iudicio in primis maturo hîc opus eſſe memineris, ne per te, non in honeſtum ſermonem, ſed in riſus, cachinnos cæteri compellantur.

QVARTÆ *Narrationis* nomen tribuo, quam inſtitues ſi cum iis qui adſunt aliquid non ita pridem geſtum, animíſque conducibile communices, aut aliquid è veteri accerſas hiſtoria, id tamen ſemper agens, vt inde ſaporem aliquem quæras condiendis honeſta ſuauitate congreſſibus opportunum.

QVINTA *Propoſitio* iure nuncupabitur; huius eſt prudenter & ſuauiter ſuam de re propoſita ſententiam, ſiue in confirmanda veritate, ſiue in reiicienda quam illi aduerſari putes opinione, aperire. Hic priùs tamen quàm quicquam damnes animum diligenter attendas velim, videáſque num vel communi ſa-

Digitized by Google

pientiſſimorum ſenſu, vel firmo rationis validę propugnaculo nitaris, quo te continuò ſi res poſcat recipere queas. Harũ vobis rationum exempla quædam attexam, quo expeditior faciliórque vſus accedat, ſimul & notionem ac intelligentiam certorum capitum habeatis, quorum ſcientia huius in ſæculi miſeri tempeſtate tam neceſſaria eſt quàm ignoratio nocitura. primo Ieſu Chriſti diuinitas, tertiò aduerſus atheos animi immortalitas probatur. quartum Dei omnium, primi ſupremique authoris naturam, & veritatem confirmat. quintum communem ſubleuat egeſtatem, dum pecuniæ in quæſtum ſaluis Dei legibus conferendæ modum explanat.

Exemplum occaſionis ſeu primæ rationis inſtituendi ſalutaris in congreſſibus ſermonis.

Cap. XXIV.

Ergo ſublata menſa ventum eſt ad opportuna in re tamen minimè iocis opportuna omnibus hęc ratio cõuiuis nõ

Digitized by Google

æque placebat, quorum vnus modeſtia inſignis, vt ab iis animum abduceret, intentos defigebat oculos in imaginem S. Gregorij, cuius circum caput volitans mundiſſimi candoris columba, roſtrum in aures inferebat: nulla non interim hic momenta captabat, vt nugas illas ineptas ad ſalubriorem ſermonem traduceret: viam illi conuiuarum petulantiſſimus muniuit, cùm ex eo ſubridens ſciſcitatus eſt, ecquid ſomniaret. nihil enim cunctandum ſibi ratus, vidéſne ait columbam illam in S. Gregorij tabella pereleganter expreſſam, hæc argumentum eſt oblectationis meæ, reuocat illa quippe in mentem iucundiſſimam hiſtoriam, quam ſuis coloribus adumbrat. Quam illam? ſubdit alius, rectíſque omnium auribus: Nempe ait ſanctiſſimo Pontifice corporeis vinculis ſoluto, id egerunt nonnulli priuatis in illum odiis incenſi, vt publicè ſtatueretur omnia vt eius ſcripta diligenter conquiſita, & vndique corrogata flammis adiudicarentur, perfecerúntque illi magnam partem quod erant meditati, & ea tantùm funeſto ex incendio monumenta ſuperfuerunt, quæ Petri eius diaconi (quo perſa-

miliariter ſanctus erat vſus) induſtriæ & ſapienti conſilio debemus accepta. Hic enim vt flammas Chriſti Eccleſiæ adeò exitioſas reſtingueret, palàm denuntiauit, conteſtatúſque eſt non ſemel à ſe Spiritum ſanctum in columbæ ſpecie ſanctiſſimi Pontificis vertici, tum cùm exarandis libris operam daret, inſidentem eſſe conſpectum, quare grauiſſimam ipſi ſancto Spiritui iniuriam inferri, ſi ea flammis abſumi pergerent, quæ ipſius afflatu concepta, atque edita fuiſſent. Quibus vt verbis autoritatem conciliaret, paratum ſe edixit interpoſito ſolemni ſacramento fidem ſuam liberare, quo adhibito, ſi ſtatim è viuis excederet, vera à ſe quæ narrabat penitus perſuaderent, ſtatuerèntque ſanctiſſima diuini viri monumenta perhonorificè deinceps conſeruanda: ſin ſecus contigiſſet, animúmque ſtatim non efflâſſet, mendacem & fraudis architectum ſe haberi velle, nec recuſare quin ſua ipſe manu faces libris illis ſubiiceret. Non fuit ex omnibus, qui conditionem detrectaret, ſacramento ſeſe in ea verba Petrus obſtringit, ſtatimque ſponſione ſua perfunctum vita defecit. Perculit adeò mors hæc om-

Digitized by Google

nium animos, vt magna deinceps in obſeruantia & honore ſanctus Gregorius eſſe cœperit, eiúſque imago efficta diuulgatáque cum columbæ imagine ad aurem expicta, vt intelligeremus ſcripta eius Spiritu ſancto in verba præeunte concepta.

Viſa eſt hæc narratio conuiuarum auribus grata, ſed eam in primis probatam ſibi eorum vnus ſignificauit, cùm ſermonem excipiens alto ſatis edito ſuſpirio ſic exorſus eſt: Ludimus, ait, non raró, imò illudimus illis rebus, quas non niſi lotis, vt aiunt, manibus tractare par eſſet. non eadem eſt Chriſtianorum dogmatum, quæ philoſophicarum diſciplinarum ratio: non aliis ſæpe iſtæ è fontibus dimanant, quàm è turbidis imaginationis humanæ lacunis, illa limpidiſſimis æternæ perennitatis è fontibus arceſſuntur; cuius rei ex hac hiſtoria coniecturam, ex fidei verò noſtræ capitibus certum omnino teſtimonium capere poſſumus, quod vberrimæ conſolationis ſegetem nobis præbet copioſam. Ego ſanè etſi alia omnia mihi deeſſent argumenta, vel hoc vno adducerer, vt de Chriſtianæ religionis veritate minimè

ambige-

ambigerem, ratus dogmata ab omni mendacio aliena, nequaquam à mendacij parente profecta, neque ab hominibus, quorum nullus non mendax eſt, ſed à ſolo Deo, qui vna ſupremáque veritas eſt, excogitata, & promulgata.

Chriſtianæ religionis veritas authoris ſui paupertate comprobata.

§. 1.

DIGNAM ſanè adiecit is qui retulerat hiſtoriam eximia ingenij tui ſagacitate concluſionem! alia tamen, eáque admodum illuſtria ſuppetunt nobis argumenta, in quibus neſcio an vllũ efficacius eo eſſe poſſit, quod ab ipſa Vindicis, & Seruatoris noſtri perſona, ab Apoſtolorũ ſtatu, & doctrinæ conditione repetitur: vóſque omnes ad meã ſententiam acceſſuros opinor, ſi iubetis illud pro captu meo explicare. Annuẽtibus cunctis, amabo igitur, ait, quæ fuit Chriſti ſpecies in ore & oculis mortalium? quis ignorat illũ pauperrimum, obſcuris ſatum parentibus, obſcuro in Iudææ pago natum, deſpicatiſſimam, commodiſque omnibus deſtitutam, imò neceſſariis orbatam

præſidiis egiſſe vitam; nunquam vel glebam vnam poſſediſſe, aurum, argentum, ſupellectilem, domum propriam habuiſſe nullam; non aliam totis triginta annis artem quàm velle tenuiſſimi fabri munus exercuiſſe? quis neſcit eum vbi primùm in lucem prodiit, Principes, optimates, & doctiſſimos quoſque ſuis aduerſantes dictis habuiſſe? doctrinam eius in vulgi contemptum vocatam inſidias ipſius vitæ inſtructas, incuriis eum ſæpius lapidibus nonnumquam appetitum, in vincula coniectum, tandémque quà calumniis, quà minis apud iudicem egiſſe Iudæos vt eum flagris concidi, & immani Crucis ſupplicio per ſummam ignominiam duos inter latrones addici iuberet? Iam verò diſcipuli eius infimæ ſortis, tenuiſſimarum fortunarum piſcatores, genus hominum alioqui agreſte, rude, barbarum, ingenio durum, quorum vix erat vllus, qui vnum, aut alterum aptè concinnaret verbum, denique abiectiſſimæ, ſi quis alius, in populo conditionis: neminem autem fugit vix dum initio dicendi, & Euangelicæ doctrinæ promulgandæ facto, continuò eos compedibus oppreſſos, loris cæſos, exulare

iuſſos, lapidationem paſſos, exuſtos, cruci ſuffixos, toto denique orbe, quocumque pergerent, potentiſſimos quoſque hoſtes, & aduerſarios habuiſſe, qui eorum patientiam exercerent.

Quid doctrina eius? cùm interpretes, & magiſtros non alios à deſpicatiſſimis piſcatoribus adhiberet, diſſuadendis certè quàm perſuadendis, auertendis quàm conuertendis hominibus longè opportunior videbatur. Proponebat humanæ menti multorum deorum cultum, tam longo ſæculorum vſu confirmatum, & corroboratum, inſanam eſſe ſuperſtitionem, infamémque idololatriam: profana eorum templa, euertenda illorum altaria, ſimulachra conculcanda, & flammis tradenda, ſacrificia illorum ſacrilegia eſſe proclamabat, vnum Deum colendum, & adorandum, qui humanam naturam induerat, atque inter mortales, iiſdem quibus illi incommodis ſubiectus, verſatus erat: declinaſſe illum inimicorum inſidias, tandémque ab illis comprehenſum, extrema omnia paſſum, mortem duriſſimam obiiſſe, eum tamen vt cœli terræque conditorem vnicum venerandum eſſe

Digitized by Google

profitebatur. Hæc & alia adeò arcana, & recondita fidei noſtræ myſteria nonne cæcas & pertinaces hominum mentes abductura potiùs à Chriſto quàm ad illum pellectura, videbantur; voluntatem verò quæ ſolis capitur illecebris, ſola vitæ acerbioris, & incommodorum voluntariæque corporum afflictationis commemoratione inuitabat: *Qui vult venire poſt me, tollat crucem ſuam. Qui non odit animam ſuam, perdet eam. Iniicient vobis manus ſuas, & perſequentur, tradentes in ſynagogas, & cuſtodias. Beati pauperes, beati qui lugent, beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiã.* Hæc populos terrere debuerant, atque ad deficiendum incitare.

Chriſti diuinitas humanæ ipſius naturæ imbecillitate confirmatur.

§. 2.

CVM igitur ea, quæ iſthæc conſequuta ſunt attendimus, & rectè diſſerendo ponderamus. quanta fides noſtra conſolatione augetur? Quî enim fieri potuit, vt id Hominis, tam ineptis in ſpeciem ad tantum opus moliendum præſi-

diis inſtructus & artibus, apud mortales efficeret, vt ei tanquam vero Domino colla ſubmitterent, diuinóſque ipſi honores deferrent, niſi verè & reapſe Deus extitiſſet? Tentarunt olim non ſemel Imperatores potentiſſimi Nabuchodonoſor, Alexander Magnus, Caligula, Domitianns, Heliogabalus, aliíque nonnulli deorum vt in numerum relati ab hominibus Numinis inſtar colerentur, id vt aſſequerentur omnes potentiæ induſtriæque ſuæ neruos contenderunt, id effuſis ærariis, armorum terrore, ducum fortitudine, militum robore, oratorum eloquentia, Philoſophorum rationibus, omnibus denique viis & artibus aggreſſi nihil exploratum reliquerunt: aliud tamen nihil ab iis perfectum eſſe comperimus, quàm vt in vulgi voculas incurrerent, omnibúſque turpiſſimæ vitæ temeritas & ſuperbia pateret. quo factum eſt, vt cùm vita, omnis etiam illorum diuinitas euaneſceret, nonnullorúmque cadauera vnco ad Gemonias, & cloacas raperentur: quippe quos impotens dementia vel exiguo tumulo indignos præſtitiſſet, ſi tamen humanę ſapientiæ conſiliis ſtandum erat, nihil ad hæc efficien-

da opportunius, nihil conuenientius eſſe pronuntiaſſet, cùm fini aſſequendo inſtrumenta ſubſidiáque debeant reſpondere. verùm Chriſtus oppoſitam ex aduerſo viam iniit: in ſumma rerũ egeſtate & inopia eſſe voluit, facultatibus & armis orbatus, ſceptro & diademate deſtitutus, infra omnes demiſſus, omnium prope hominum ludibrium, mortem denique turpiſſimam, capital factus, obiuit in cruce. Quare igitur ille potiùs perpetuæ dementiæ nota non eſt inuſtus? at contra totus illum orbis vt Deum ſuum agnouit, ſuſpexit, & adorauit. Si propinato, vt quondam Epicurus voluptatis philtro hominibus ad doctrinæ ſuæ menſam condixiſſet, ſi licentioris vitæ repagulis omnibus in huiuſce vitę curriculo reuulſis, æternitatis metam ſuæ factionis hominibus certò conſequendam vt infamis Mahometes obieciſſet, nulli, ſi modò hominis naturam in hac corruptionis fæce volutatam noſſet, nulli vnquam mirum videretur aſſeclas illum & fautores inuenire potuiſſe. At in eius itum eſſe partes, qui tam aſperis horridam vepribus viam, ſenſibus calcandam proponeret, neque vnum dumtaxat aut alterum extitiſſe

qui veſtigiis eius inſiſteret, ſed totum orbem tam duris legibus acquieuiſſe, ſeſéque volentem ſubmiſiſſe, tantum, tam admirandum, tam omnem naturæ vim prætergreſſum prodigium eſt, vt cùm illi nullatenus adſcribi queat eminentiori cauſæ, ſupremo videlicet Numini tanti operis laus & gloria vniuerſa, tamquam vero eius molitori debeatur.

Si magnus aliquis Rex ad hunc modum agere cum ſubditis ſuis ſtatueret, nónne omnes illum Roboami viam ingredi prædicarent, foréque affirmarent, vt è magno Principe in regulum deſciſceret, eúmque niſi reſipiſceret de regulo, exiguum dynaſtam, è dynaſta opilionem, ex opilione lixam, è lixa nullius planè nominis futurum. Ita iactaretur, & ita res haberet: at eam triuit orbitam Chriſtus, & ab extrema humillimæ demiſſionis linea, ad ſupremum gloriæ faſtigium euectus eſt, nec ſolùm magni Regis adeptus eſt nomen, ſed Rex regum, totiúſque naturæ Deus vt agnoſceretur effecit: neque id in aliquot dumtaxat dies, menſes, aut annos; ſed iam ſexcenteſimus ſupra milleſimum, & eo ampliùs a-

Digitized by Google

gitur annus, cùm ea perſuaſio mundum peruaſit vniuerſum: nec verò in vulgus vnum manauit, inſidet mentibus ſubtiliſſimorum Philoſophorum, diſertiſſimi oratores, Imperatores potentiſſimi non diffitentur, ſed adeò altas in omnium animis radices egit hæc cognitio, vt abdicatis ſuis, maiorúmque ſuorum Diis, eorum ſimulachra confregerint; parentibus liberi, liberis parentes nuntium remiſerint, facultatibus ſe & poſſeſſionibus ſuis ſpoliarint, quódque amplius eſt, eadem face præeunte, aliam vitæ rationem inſtituerint, voluptatem abiecerint, vt Chriſti legem adeò ardenter amplecterentur, adeò conſtanter retinerent, vt nulla tyrannorum immanitate nullis tortorum cruciatibus, nullis ſæuientium equuleis, nulla lanienæ cuiuſpiam, aut carnificinæ feritate, nullis inferorum denique machinis de ſententia poſſent dimoueri, quam ad extremum vſque ſpiritum magna cum alacritate prædicarunt. Quæ cùm nobis perſpectiſſima ſint, quis adeò peruicax inueniatur, qui neget in tanta infirmitate quam præferebat Chriſtus diuinę cuiuſdam potentiæ vim abditam fuiſſe? imò verò quem non tangat,

Digitized by Google

quem non delectet, quem non incredibili quodam lætitiæ ſenſu, & voluptate perfundat huius profeſſio fidei, quam vel inuitis tam conteſtatæ veritatis euidentia extorquere poſſit? quare cùm vnius Dei ſit, exiguis è rebus ingentia procreare, cùm ex alta ſui deſpicientia, ex cruce, morte, & in nihilum, vt ita loquar, reditione ſua, quæ ſumma ſui demiſſio eſt, ingentem tamen illam ſui nominis gloriam excitarit, diuinitatis ſuæ cognitionem, vitam, ſalutem, liberationem & conuerſionem orbis hauſerit, quæ res cumulatiſſimæ potentiæ faſtigium eſt, cùm res non minori inter ſe diſſitas interuallo, quàm ſint orbis & nihil, tam potenter coniunxerit, & in vnũ illigarit, omnino is eſt, qui hunc mundum architectatus eſt, qui ſi Deus non eſt, aliũ certè Deũ nequaquam aſciſcere aut exiſtimare debemus.

Hunc ſermonem cuncti auidiſſimis auribus excipiebant, cùm è conuiuis vnus exurgens pulſata manu menſa, ita eſt inquit, aut Chriſtus Deus eſt, aut nullus eſt Deus, cuius adeò perfecta ſapientia eluxit, vt quemadmodum diuinitatem ſuam integumentis humanæ infirmitatis obtectam exhibuit adorandam, ita pro

ſumma diuinæ illius naturę autoritate perfecit vt ipſas humanitatis ſuę pœnas, & cruciamenta ſupplices veneraremur, itaut etiamnum hodie vt & olim honoratiſsimus quiſque, & pręcellentiſsimus crucem in pretioſiſsimis ponat ornamentis, honoríque ſibi ducat ante illam demiſſiſſimè proſterni. Quam ad rem magno fuerunt adiumento miracula, quorum illud vel maximum eſt, tot támque varias nationes iis modis ad fidem adductas, vt ſi vel hoc vnum haberemus, animum quantumlibet obſiſtentem & refractarium ad veritatis ſenſum, ſi aduerteret modò, reuocare poſſet.

Hîc de miraculis agi cœptũ, quę noſtris temporibus frequentiſſima in Lauretana æde, & Monte-vico, in Aſpricolle, & Viennæ contigerunt, & ſingulis diebus edi frequenter audimus: quæ cùm ſingula ſinguli commemoraſſent, nox aduentans cœtum diſſoluit, omnibus ei gratias habentibus, qui occaſione è columba ſancti Gregorij commodè petita tam accepto ſermoni viam aditúmque feciſſet.

Paradigma quæſtionis, ſeu ſecundæ rationis fructuoſæ in congreſſibus ſermonis inducendi.

Cap. XXV.

EXEMPLA Chriſtus ipſe ſuggeret, cui adeò fuit familiaris in cœtibus & coronis hęc ſermocinandi ratio, vt eam præ cęteris vnam potiſſimùm tenuiſſe, & frequētaſſe videatur. Quæſtione propoſita maleuolorum, & inuidioſorum ſermones abrumpebat, conatus infringebat: eadem arte vtebatur, vt eos inſtitueret ſermones, quibus ſuos doceret, eorúmque innocentiam ab inimicorum calumniis impetúque vindicaret.

Venerant aliquando ad eum Phariſæi, & Scribæ diſcipulos criminaturi; quòd dum menſæ accumberent, manus non lauarent: *Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditiones ſeniorum.* Callido id conſilio fingebant: id enim moliebantur, vt Chriſtum, & diſcipulos eius apud vulgum in legis violatæ inuidiam vocarent:

ſed ille, tum vt ipſorum conatus eluderet, eóſque redderet elingues, tum vt diſſerendi locum haberet, vnde qui tum aderant ſalutare caperent documentum, non alia arte vſus eſt, quàm interrogationis in hunc inſtitutæ modum: *Quare & vos transgredimini mandatum Dei, propter traditionem veſtram?* Hinc enim patefactis corruptelis, quibus diuinam legem id genus homines adulterabant, multa mentientes circa honorem quem parentibus liberi debent, docuit demum iis animum hominis non coinquinari, quę manuum illotarum opera in ſtomachum immittuntur, ſed iis maximè fœdari, quæ è putida cordis ſentina profluunt, & ore proferuntur, quales ſunt obtrectationes & periuria; aut, quæ corde tantùm fouentur, quales ſunt iniquæ cogitationes; aut quæ corde concepta in manus, aut cætera membra deriuantur, vt ſunt homicidia, furta, adulteria, fornicationes, ex quibus ad extremum conficit. *Hæc ſunt quæ coinquinant hominem, non lotis autem manibus manducare non coinquinat hominem.*

Aliàs cùm ſubtriſtes & tacita cogitatione defixos videret diſcipulos ſuos, vt

eorum tædium leuaret, ſimúlque piæ collocutionis argumentū offerret, hanc eandem rationem tenuit eos hac interrogatione compellans: *Quem dicunt homines eſſe filium hominis?* iterúmque, *Vos autem quem me eſſe dicitis?* Atque hîc ſanctus Petrus ſuo & ſociorum nomine reſpondens in ſublimem illam, & glorioſiſſimam fidei confeſſionem erupit, *Tu es Chriſtus filius Dei viui.* Cui præmium illud Chriſtus rependit, vt ei claues regni cœlorum promitteret, & perpetuam Eccleſiæ ſupra ipsū ædificatæ ſtabilitatem, quam inferorum portæ, hoc eſt, dęmonum artes & impreſſiones conuellere aut commouere non poſſent.

Chriſto ab inferis excitato miſelli duo diſcipuli deſertis Ieroſolymis Emauntem deuio errore prolapſi contendebant: qui licèt bonos ſermones inſtituiſſent, nō tamen vti par erat eos bene pertexebant. Spem enim abijciebant redemptionis ſuæ, quæ illorum animos antea ſuſtentabat: miſertus eſt errantium ouium piiſſimus Paſtor, quare forma peregrini ſuſcepta, eas proſequitur ad ouile reuocaturus: ſpeique flammam in eorum pectoribus prope ſopitam ex-

citare aggreſſus, hanc ſermonis rationem init; ſic enim eos ad colloquium ſciſcitatus inſtigati. *Qui ſunt hi ſermones, quos confertis ad inuicem ambulantes, & eſtis triſtes?* quibus reſpondentibus egiſſe inter ſe de iis, quæ Ieſu Nazareno contigerunt, quem virum opere & ſermone potentem fuiſſe prædicabant, eúmque inſuper morti & Cruci adiudicatum teſtabantur. hinc apertum ſibi campum exiſtimauit, in quo diſſerendo ſpatiaretur, ſacri fœderis promiſſiones enarrãs, quibus oſtendebat nihil Ieſu contigiſſe, quod iam pridem in Meſſię perſona implendum Prophetæ non prædixiſſent.

Prophetiæ in Chriſto comprobatur.

§. 2.

O Anima dilectiſſima, quàm locuples & illuſtris fuit tanti magiſtri oratio quanta ſuauitate condita? cuius pectus ad illas voces ſuauiſſimo pietatis ſenſu non colliquefieret? ſic eum interdum mihi videor loquentem audire.

O ſtulti & tardi corde, ad credendum in omnibus quæ loquuti ſunt Prophetæ de vncto Domini, & rege Meſſia: quid? an vſque cò deſipitis, vt neſciatis in eum vnum

tamquam in ſcopum totam legem collineaſſe? numquámne inaudiſtis, quorſum tot ſacramenta & ſacrificia à Moſe inſtituta pertinerent? quid ſanguis Agni paſchalis, quid rufa vacca, quid hircus in ſolitudinē emiſſus, quid alia tam multa portenderent? num accepiſtis eorum ſanguine populi ſordes elutas? hanccine in animantiū cruore vim & efficientiam fuiſſe exiſtimatis? Si ita res habebat, quorſum tam ſæpe Deus declarauit, *nolle ſe multitudinem victimarum, holocauſtum arietum, adipem pinguium, & ſanguinem vitulorum, & agnorum*, quippe qui illo faſtidio & odio haberet. Quod igitur ſceleribus expiandis Patres noſtri per captiuitatis Babylonicæ tempora remedium adhibebant, cùm per legem ſacrificia illic offerre non liceret? ergóne tunc in flagitiorum ſuorum cœno ita volutabantur, vt emergere non poſſent. Agnoſcite igitur in illis veſtigia & ſigna futuri ſacrificij, veríque Meſſiæ, cuius morte ſcelus omne delendum eſſet, & Eſaiæ vaticinatio impleretur, *Sicut ouis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum.*

Digitized by Google

Quòd ſi aliquam habent in animis veſtris offenſionem ea quæ magno illi Ieſu his diebus in vrbe Ieroſolymitana contigerunt, cogitate num quid obſeruatum fuerit, quod in Meſſia implendum Prophetæ non prænunciarint?

Quid enim? an triginta denariis væniit, id conceptiſsimis verbis Zacharias prædixerat, *Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos, & dixit Dominus ad me: Proiice illud ad ſtatuarium, decorum pretium, quo appretiatus ſum ab eis.*

An vinculis oppreſſus, pugnis oneratus à lictoribus, atque à ſuis deſertus? num tacuerat idem Vates, cuius hæc ſunt verba: *Framea ſuſcitare ſuper Paſtorem, & ſuper virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum: percute paſtorem, & diſpergentur oues.*

An à familiari & conuictore ſuo proditus eſt? hoc animo præceperat Dauid cùm diceret, *Homo pacis meæ: in quo ſperaui: qui edebat panes meos, magnificauit ſuper me ſupplantationem.*

Maledictis ne confixus, laceratus conuitiis, plagis contuſus, alapis cæſus, ſputo conſperſus, reuocate in mentem

ipſas

ipſas Iſaiæ voces, *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus, faciem meam non auerti ab increpantibus, & conſpuentibus in me.*

Cùm Pilatus eum ſummis è ſcalis conſpiciendum dedit, lacera amictum purpura, arundinem manu præferentem; deformis, ſquallidus, ſpecie, & maieſtate exutus, elephantiaco ſimillimus prodiit, adeóque à populo deſpectus vt ei Barrabam voluerit anteferri: iſta minimè ignota eidem Vati fuiſſe, hæc eius verba teſtantur: *Vidimus eum, & non erat aſpectus, & deſiderauimus eum: deſpectum, & nouiſsimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem*, &c. *Et nos putauimus eum quaſi leproſum.*

Quid igitur mors illius animos veſtros offendit, quam perſpicuis verbis Daniel depinxit, ne omiſſo quidem temporis articulo, quo eam erat obiturus, audite loquentem: *Et poſt hebdomadas ſexaginta duas occidetur Chriſtus, & non erit eius populus qui eum negaturus eſt.* Iſaiæ iterum auſcultate, *In ſcientia ſua iuſtificabit ipſe iuſtus ſeruus meus multos, & iniquitates eorum ipſe portabit, ideo diſpertiam ei plurimos, & fortium diuidet ſpolia, pro eo quòd*

N

Digitized by Google

tradidit in mortem animam ſuam, & cum ſceleratis reputatus eſt, & ipſe peccata multorum tulit, & pro tranſgreſſoribus rogauit: quæ tam aperta eſt vaticinatio, vt rerum potiùs in oculis veſtris geſtarum ingenua narratio, quàm prædictio tanto antè facta videatur.

Ergo vt fides illis verbis conſtaret, mortem oppetere debuit Meſſias, ergo in facinoroſis numerari, ergo pro iis ſupplex eſſe qui toties à diuinis legibus diſceſſiſſent? & Ieſus mortem obiuit, & Diſmum inter & Geſmam graſſatores medius de cruce pendens conſpectus eſt, & cruci ſuffixus, nihil priùs habuit, quàm vt Patrem precibus ſuis illis ipſis placaret, qui eum trabalibus clauis tranſuerberarant. Hanc verò mortis ſpeciem adeò probroſam & infamem Prophetis haud incognitam fuiſſe, vel illa Dauidis verba facilè confirmant: *Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumerauerunt omnia oſſa mea.*

Vero admodum ſimile eſt his ſimilibúſque aliis verbis Chriſtum recreauiſſe mentes diſcipulorum ſuorum, eóſque incredibili lætitia compleuiſſe: hinc factum eſt, vt renuenti ferè manus iniice-

Digitized by Google

rent, quo illo apud ſe noctem illam totam fruerentur, cuius ſuauiſſimis ſermonibus velut exquiſitiſſimis epulis ſaturari numquam ſatis aures eorum poſſe videretur: ſi enim iucundiſſima eſt eorum quæ pauca commemorauimus recordatio, quanta putas largitate ſeſe cœleſtis gaudij vbertas eorũ pectoribus infudit, cùm hæc atque alia ex eius ore perciperent, in quo omnis benè dicendi lepos venuſtáſque conſederat, vt verè regius Vates, diffuſam eſſe gratiam eius in labiis prædicarit. Sed hîc quod ad propoſitum meum facit expende, quæſtiunculam initio poſitam eos peperiſſe ſermones, vt cùm vſus erit, eadem vtaris arte, & ad diuina hæc exempla te totam effingas, atque conformes.

Paradigma illationis, ſeu tertiæ rationis honeſti in congreſſibus ſermonis adhibendi.

CAP. XXVI.

SPECTACVLVM heu! lacrymis proſequendum triſtiſſimam illius viri ſpecie conſpicari! nihil illo valentius, nihil erectius ante duos annos erat: verùm poſtquam inter agitandum equum diſrupta ex nimia contentione vena, magnam ſanguinis excreatione copiam profudit, ſanguis ille ab vlcere in pulmones dimanans, inflammatúſque ac putreſcens, ita eos labefactauit, vt contabeſcente, & ſenſim quaſi liqueſcente toto corpore, omnis eius virtus exhauriretur, itáque peſtis graſſaretur, vt alimenti penuria fluentibus capillis, liuentibus malis, coſtarum extremis partibus ſiccitate ſurſum conuulſis, membris omnibus macie confectis nuda oſsium compages potiùs quàm humanum corpus eſſe videretur: conuenerant eum amici, vt dolores eius alleuarent. Eadem cauſa Theologum

doctum in primis & prudentem virum acciuerat: at tantum aberat vt alleuatione opus haberet, vt ipſe aliorum triſtitiam adhibenda conſolatione leniret: tametſi enim corpus ſummis in anguſtiis verſaretur, numquam tamen aut ſaniorem, aut liberiorem, aut robuſtiorem mentem prætulerat, cuius magnitudo conſtantiáque ſic in verbis elucebat ſingulari vrbanitate, prudentia, & pietate conditis, vt omnium admirationem haberet.

Caſu aliquo poſcente, ab omnibus in proximum conclaue ſeceſſione facta, non paſſus eſt Theologus tam opportunam è manibus ſuis effluere bene de illis optimatibus merendi occaſionem: tertiam igitur hāc artem adhibuit, hac conſecutione percommodè allata: Quando tam diſsimilis eſſet in ægrotante corporis animíque ſtatus, vti oculis ipſi conſpexerant, omnino conficiendum eſſe, non eandem animæ quæ corporis eſſe legem, cuius functiones cùm ab eo minimè penderent, nec ab eodem aptam haberet illa, ſuſpensámque naturam, ideóque corpore in cineres abeunte, hac immortalitate donata ſupereſſet.

Digitized by Google

Periucunda fuit, vtpote pro tempore & loco opportunè argumētatio concluſa, iámque Theologus illam euoluere, & explicare ſtatuebat, cùm adfuit ex Ephœbis vnus, qui reuiſendi ægroti poteſtatem faceret: ingreſsis omnibus, vbi conſeſſum eſt, cæteri Theologum inuitant ſuæ vt orationis filum pertexat: paret ille, & decumbenti aperit, quid dicere exorſus eſſet, quem blando oculorum coniectu probans ægrotus, ſubridénſque leuiter, ſignificauit pergratum ſibi fore illum de animorum immortalitate ſermonem, quem Theologus hunc in modum abſoluit.

Animæ immortalitas probatur ex communi populorum conſenſu &c.

§. 1.

ADEò inualuit apud doctiſsimos quoſque, qui ſuperiori ſeculorum memoriæ floruerunt, hæc de immortalitate ſententia, vt nullus aliqua ſapientiæ aut ſcientię laude fuerit illuſtris, quin eam retinuerit conſtanter, & apertiſſimè prædicarit. Eadem omnium popu-

Digitized by Google

lorum vox, idem ſenſus fuit, nullúſque inuentus eſt, qui ei non conſentiret, ſi perpaucos excipias priuatos homunciones, quos impotens voluptatis ſtudium è mentis poteſtate deiecerat. In iis Epicurus fuiſſe perhibetur, qui corporeas voluptates cum animi deliciis cohærere dictitans, omnia ſenſibus, abdomini, libidinique tribuebat, quibus non ſecus ac pabulo equus, eſcarum illecebra accipiter, ita ſimiles belluis turpiſsimè ducuntur. Ad extremum tamen illum ad ſe aliquantiſper, & velut ex interuallo rediiſſe ferunt, ſuámque publica confeſſione dementiam eiuraſſe, vt naturæ vniuerſali pareret, quæ (ſicut ſingularis aſſolet, cupiditatibus, vitiiſque priuatorum non ſatis ſubactis, atque compreſſis) nihil vnquam hominum vniuerſitati conſectandum proponit, quod non ſit cum veritate & ratione coniunctum.

Ego ſanè hactenus idem cæteris vſuuenire meum in animum induxi: neque enim mihi perſuaderi poteſt, vel pertinaciſsimos iuratóſque immortalitatis oppugnatores, ita ſuos conſumere dies poſſe, quin aliquo ſaltem aliquando ſigno huic ſit veritati concedere, vel inuiti

repugnantéſque teſtentur : nam vel aliqua futurorum poſt hanc vitam ſollicitudine eorum animus interdum pertentatur, quę tacita quædam eſt confeſsio veritatis : vel prorogandæ in æternum vitę ſtimulis (quos admouet natura) acriter vrgentur : hoc verò deſiderium cùm à natura inſitum ſit atque inuſtum, haud vanum eſſe omnino animaduertunt, quare dent manus neceſſe eſt, & locupletiſsima veritatis huius argumenta non facilè delenda, in mentibus ſuis hærere fateantur.

Et verò quis mortalium, ad ſolam æternitatis vel gloriæ vel ſuppliciorum commemorationem omnino non commoueatur ? vnde autem hæc commotio, niſi ex illo ſenſu ? quiquidem nihil aliud quàm huius notio virtutis in animis inſculpta.

Videmus ſingulis diebus nonnullos, feciſſétque vtinam Deus, vir clariſſime (ægrotum compellabat) ita integris viribus vt eſſes, meis vt verbis fidē exemplo tuo non faceres, ſed aliquos non rarò videmus, quorum quo infirmius eſt corpus, eo robuſtior animus exiſtit, quo magis illi corporis viribus deficiuntur, eo animi vis

celſior exurgit; quo lõgiore ſenio hebeſcunt, eo acriore mentis acie & ſagaciore conſiſtunt: imò verò ad extremũ vitæ tempus prouecti adeò præſenti conſilio & ratione vtuntur, vt valentes nunquam tam eximia dederint iuſtitiæ pietatiſque documenta. Quis igitur illorum quamuis pertinacium, ſi hæc in oculis haberet, ab ea quam aſſumpſi concluſione cogenda ſibi temperaret?

Experientia itidem duce & magiſtra in eandem poſſumus cognitionem deuenire: ſæpè enim probauimus ſenſus noſtros illuſtriori rerum iis obiectarum incurſione turbari: perſtringuntur nimia luce oculi, vehementiorem ſonum aures nõ ferunt; mens verò noſtra oblatis eiuſmodi rebus excolitur, ſibiq; gratulatur: quo enim præſtantiora ſunt, & à mortali concretione ſeiunctiora, quæ illi proponuntur, clariori luce, & maiori voluptate cumulatur. Etenim vnde tam diſpar in vtriſque ratio? niſi quòd ſenſus corpori illigati eaſdem quas ipſum induunt affectiones, eadem lege corruptionis tenentur. At cùm mens ſit quædam animæ facultas, cùm ea proximè apta & connexa, eodem quo illa iure,

iiſdem immunitatibus fruatur neceſſe eſt, atque vt illa nullos habet vulnerum caſus, nulla poteſt corruptione tentari. ſic ea nullo euentu labefactatur, nulla rerum quæ ipſi obiiciuntur veritate deprauatur. quod fieri nullo modo poſſet, niſi planè à corpore diuulſa eſſet, atque diſiuncta, aut, quod eodem pertinet, ſi velut ſenſus, è corporis concretione conſtaret.

Animam cùm ſit materiæ expers immortalem eſſe oportet.

§. 2.

SED quod magni in hac re momenti eſſe duco, obſeruate obſecro diligenter, quid agere conſueuerimus, cùm ad meditandum, vel orandum, vel ſtudendum, vel aliud quippiam cogitandum, animum applicamus. Defigimus certum in locum corpus noſtrum, quàm longiſſimè poſſumus ab omni ſtrepitu & tumultu auocamus oculos, auribus cæteríſque ſenſibus otium altiſſimúmque ſilentium imperamus, denique quoad eius fieri poteſt, à nobis ipſis ſeiuncti ab

Digitized by Google

omni negotio vocamus, idque non aliam ob cauſam, quàm quòd perſuaſiſſimum habeamus, fruſtrà nos alia conaturos, niſi hæc ſubſidia adhiberemus: ſi mens noſtra aliquam cum corpore cognationem haberet, ad ea quæ ſenſibus ſubiecta & concreta ſunt, facultatum corporearum inſtar, conuolaret, quo liberius munere ſuo fungeretur: ſic coloribus oculi, lingua ſaporibus ad obeunda ſua munia prolectantur: mens verò ab illis recedit, ſatíſque habet quando percipiēda ſunt, ſi fingendi vis, princépſque ſenſus eorum ſibi ſpecies & ſimulacra depingat, quæ quia materiæ adhuc germanum atque coniunctum aliquid habent, in ipſam penetrare intelligentiam non poſſunt, donec omnis expertes concretionis euadant, quamobrem agens intelligentia, velut quidam architectus, & fabricator illas vi ſua ab omni materia ſeponit, patientique intelligentiæ ita perpurgatas, ſeu potiùs alias quaſdam ſimiles ex his profectas, conceptáſque delegat, atque tranſcribit: quàm igitur ſpiritalem, & à ſenſibus longè diuulſam hanc eſſe facultatem oportet?

Ferè vſuuenit, ferè inquam, vt quo quis mole carnis minùs oneratur, eo expeditiore & liberiore intelligendi vi vtatur; quo verò quis ſe altius voluptatum earum quæ ſenſus mouent cœno immergat, eo obtuſiorem mentis aciem experiri, tantóque minus ad ſublimia contemplanda & capienda paratam, quo humilioribus atque concretis pertinacius adhæreſcit. Ab eodem fonte ratio ducenda, indidémque repetenda notio illa defectuum Solis & Lunæ, incrementorúmque huius & deceſſionum, quæ tanto antè Aſtrologus certo certiſſimè prædicit, ſedet ille cum libris affixus, cœlóſque quos oculis non videt, contemplatur, ſyderúmque multiplices flexus, circuitus, incurſúſque perluſtrans, præſenſionem ſuam in tabulis conſignat, ipſo anni, menſis, diei, horæque articulo certiſſimè deſignato, quo ſubiecta Soli Luna, noſtríſque oculis oppoſita lumē eius obſcurabit. Cùm ad eam rem corporeis oculis non vtatur (quippe qui ea tantùm attingant, quæ præſentia ſunt, Eclipſes autem illa centeſimum poſt annum futura, nondum in illos incurrit) quos alios ita lynceos ad-

hibebit,qui res nondum exiſtentes ſubiicere poſſint intuẽdas? non alios opinor quàm mentem ſuam, quæ cùm materia careat, eò pertinere poteſt, & in cauſa cognita, effectus veritatem veſtigare; quam ad cognitionem ſenſus eniti non poteſt, vt qui in humilioribus iaceat, præſentium dumtaxat ſpeculator futura percipere non poſsit.

Verumenimuero quæuis animi facultas, habitúſque quantumlibet à concretione diſiunctus, accidentis (vt Philoſophi vocant) naturam habet ſubſtantiam aliquam velut baſim qua fulciatur, & ſolum, in quo inædificetur; poſtulantis. Huius ergo generis mens noſtra ſuum habeat adminiculum neceſſe eſt, eiuſdem cum ea naturæ, ab omni ſcilicet materia liberum atque ſecretum: eiuſmodi animus noſter eſt, qui intelligentię mentiſque vi ac facultate velut oculis inſtructus, non in ſingulis tantùm percipiendis hæret, ſed in notionum quandam quaſi ſyluam ingreſſus vniuerſales naturas ſingularium formis exutas colligit, atque diſcernit, ex antecedentibus conſequentia cogit, in ſeſe redit, inque ſuas actiones inquirit, cau-

ſas rerum occultas ſagaciter odoratur, iiſque veſtigatis expromit abditiſſima quæque,& in lucem aſpectúmque producit. His enim intenta cognitionibus, quæ & ipſæ in materiam non cadunt, & in res obiectas ab ea liberas feruntur, ſe quoque materiæ expertem, animus eſſe perſuadet. Nam cùm dubitare nobis integrum nō ſit, quin veriſſimum ſit illud Ariſtotelis effatum, operationes naturam conſequi,hoc eſt functiones eiuſdem eſſe cũ autore ſuo naturæ, cùm actiones illæ ſint materiæ expertes, & ab eiuſdemmodi facultatibus emanent,animum quoque ipſum, à quo vtræque oriuntur à corpore, & materia ſegregatum, proindéque immortalem eſſe oportet.

Immortalem,inquam,nam quod corpore non continetur, ſine materia vtique eſt, quod autem à materia vindicatum eſt,de eiuſdem authoris ſententia in illud corruptio non cadit, nullam enim habet cum materia communionem, quæ ſola fons eſt & officina corruptionis, è qua illæ quatuor qualitates, calor, frigus, ſiccitas, & humor, velut totidem interitus cauſæ inſtru-

Digitized by Google

mentáque petuntur, quorum impreſſionem non pertimeſcit.

Erraret verò ille vehementer, qui hac ratione conuictus, animum quidem corruptionis expertem eſſe fateretur, at potentis alicuius hoſtis impetu perfringi, & labefactari poſſe pugnaret. Nam quis obſecro, tam robuſtus ſit, cuius conatus & impugnationem animus ſuſtinere non poſſit? Corporeúſne futurus eſt, an corpore carebit? non corporeus, nam corpori non eſt ea à natura vis data, vt in ſpiritum moliri aliquid poſſit: neque etiam à corpore ſemotus, ſpiritus quippe eſſet, at ſpiritus in ſpiritum, quæ alia exacuet tela, quàm ſi voluntas in voluntatem, in rationem ratio contendat atque decertet? at tantum abeſt vt in hac animorum dimicatione aliquid alteri decedat, vt potiùs alter alterum acuat, erudiat, informet. Fateor equidem in Deo poſitum eſſe vt illum ſi ita videatur interimat, & penitus extinguat, ſed optimus ille rerum artifex ſua non euertit, & qui ex nihilo condidit vniuerſa, non ea quę aliquid eſſe voluit in nihilum abire patietur.

Digitized by Google

Noſtræ & Belluarum animæ diſcrimen immortalem nobis, iis mortalem animam eſſe confirmat.

§. 3.

HIc Theologus pro ea qua inſigni prudẽtique comitate pollebat, ad medicum lectulo aſſidẽtem conuerſus, Tuum eſt, inquit, Domine mi noſtris hiſce ſermonibus moderari, ac videre num iſta quæ à nobis diſſeruntur ægroto damni aliquid vel moleſtiæ faceſſant.

Nihil eſt, refert ille, quod vereare, hæc enim de animorum immortalitate diſputatio; vt tu quidem eam inſtituiſti, id habet venuſtatis & leporis, vt iis non modò non contrahi illius mentem, ſed remitti putem, & ſuauiſſimè relaxari.

Ita eſt, inquit ægrotus, atque haud ſcio an vnquã adeo lautis iucundorum ſermonum epulis animus meus fuerit ſaturatus: feciſſet vtinam Deus, vt harum rationum pondus in multorum animis grauiſſimum fuiſſet quibuſcum olim agere me familiariter memini, frequen-

quentiores enim quàm par eſſet, noſtris hiſce temporis occurrunt, qui inuerecundè ſatis iactent ab equorum ſuorum morte, ſuam quantum quidem exiſtimant, nihil aut non certè multum differre.

Ad hæc Theologus, ſi qui veterum noſtrorum Druidarum viui etiamnum manerent, illi media licet in ſuperſtitione educati non damnarent modò iſtorum ſententiam, ſed eos omnibus diris execrarentur, ſuis cœtibus ſeuerè illis eſſe interdictum iuberent.

Nobis nihilominus pergratum pérque iucundum erit optimatum vnus, adiecit qui propter illum ſedebat, de te audire qua ratione veritati partes contra hominum illorum impietatem, & propugnare valeamus. Magno itaque nos beneficio tibi deuinctos habebis, ſi nos apertè docueris, quid inter ipſum hominis animum, & brutorum animos diſcriminis intercedat.

Tum ille ſubridens, huius inquit(medicum denotabat) partes iſtæ eſſent, faceretque vobis cumulatiſſimè ſatis, cùm hæc naturæ, cuius indagationem profitetur, finibus circumſcribantur:

ſed quando ita iubetis, idémque ille, vti video à me contendit, obſequar ſtudiis veſtris, & impoſitum mihi munus pro viriũ mearum tenuitate ſuſtinebo. Magna quidem res iſtas differentia ſeiungit, multum tamen intereſſe puto, vt promptam illis & apertè explicatam proferamus: ac cùm multæ huiuſmodi diſſimilitudines adduci poſſint, ſex tamen eſſe præcipuas affirmare conſueui.

Prima igitur hæc eſſe poteſt. Quidquid cæteræ norunt animantes, homini pariter notum eſt, at quidquid perſpectum habemus, non eæ ſimiliter aſſequuntur: quæ noſtris ſenſibus ſubiecta, illarum itidem ſenſibus patent, at cauſas eorum non attingunt. auis caminum volando prætergreſſa, fumum erumpentem videt, ſenſúque percipit calorem: neque tamen propterea intelligit, in foco ignem eſſe qui fumum excitarit, neque illum vel alio igne accendi. vel è vicini domo corrogari potuiſſe, vel lapidum conflictu atque tritu elici, vel illitis ſulphure fomentis ſuſceptum lignea materia contineri.

Secunda ſingularia tantùm, & indiuidua, quæ in natura rerum exiſtant, à

belluis percipiuntur : in ſingularibus homo non conſiſtit, ſed vniuerſales habet notiones, aſſiduáque rerum inter ſe comparatione generales rectè agendi diſſerendíque rationes informat, quibus opportuno tempore deinceps vtatur.

Tertia hæret in corporeis qualitatibus brutorum ſenſus, nec aliis vllis moueri poteſt : externa dumtaxat illorum viſum, ſeu phantaſiam impellunt : percellitur illorum oculus lumine, impletur colore : ſonos & ſtrepitum auribus percipiunt : odorationibus res bene olentes: quæ iucundi ſaporis, guſtatu : tactionibus calidas frigidáſque & cæteras id genus diſcernunt. Longius mentis acies profertur. res corporis expertes diuinitatémque agnoſcit, diſputat de geniorum natura; virtutem, ſapientiam, honorem aliáque eiuſmodi ſibi contemplāda proponit. Quapropter in cæteras animantes religio non cadit, quam homines colunt, & magna cum laude profitentur.

Quarta belluæ ea tantum percipiunt quæ in ſenſus incurrunt, cùm homo ſæpiſſimè in alia omnia diſcedat: equus ad rectæ ſed anguſtioris & longio-

ris viæ ingreſſionem admiſſus reſiſtit, nec facilè ad progrediendum concitatur, quòd ſenſus moueat nullum iſtinc exitum patere: eadem equiti eſſet formido, ſi oculos duces ſequeretur quos habet cum equo communes: at quia rationem audit, admotis calcaribus eum inſtigans iter inchoatum abſoluit. Nobis idem vſuuenit teretem bacillum in aqua ſpectantibus, quem infractum eſſe ſenſus nobis perſuaderet, niſi cauſa è medij diuerſitate petita integrum eſſe illum probaret, quod vt belluæ ſibi fingant, adduci non poſſunt.

QVINTA vbi cæterarum animantium corpus morbo aliquo tenetur, itidem anima laborat, illo afflicto deprimitur, eodem languente flaccefcit: hominis vti diximus longè alia ratio eſt, imo verò niſi organa copioſior humoris affluentia inũdet atq; peruectat, ſæpe fit vt animus eo ſe vegetiorem præſtet, quo propius ad mortem corpus accedit, quam ego illis Apoſtoli verbis ſubiectã eſſe ſententiam putarim: *Cùm infirmor tunc potens ſum.*

SEXTA eáque omnium princeps iſta eſt, non alium in ſcopum cæterarum collineant animantium nationes & cupidi-

tares, quàm vt corporis ſui commodis ſtudeant, ac ſeruiliter obſequantur; non ad eam natura demiſſionem hominis animum & conditionem adiecit: canis ſenſibus vtendis adhibendiſque corpus vnicum ſpectat, quietem, eſcam, commoda venatur, omnémque rerum cæterarum curam omittit. Domino ſi paret ſuis tantùm commodis ſeruit, nec quidquam aliud præter corporis vtilitatem in oculis habet! pro vt viſorum imagines occurrunt. Domini quidem ille ſui veſtigiis inſiſtit, ſed paſtórne ſit an nobilis ignorat: diues an pauper, ſenex an adoleſcens, valens an æger, fortiſne an timidus, Gallus an Germanus nihil laborat. Idem de cæteris belluis omnibus cenſendum, nulla quippe illarum eſt, quin ad agendum ob corporis lenocinium accedat. Illius cauſa inſiſtat actioni, ob illud ipſum ab omnia gendi occupatione diſcedat. Quare cùm hæ actiones corporeæ ſint, cauſam etiam vnde oriuntur totam è corpore concretam, eodémque cum illo interitu delendam eſſe oportet: nõ aliter quàm qualitates è materiæ ſinu procreatas, calorem dico & frigus, acorem & dulcedinem, nigredinem & albe-

dinem, quæ ſolo corporum adminiculo nituntur, eodem cum iis facto defungi neceſſe eſt illis manentibus ſtare, iiſdem pereuntibus interire.

Pari omnino animus noſter lege teneretur, ſi ex hac corporum colluuione emerſus, cogitãdo appetendóque ad altiora euolare nõ poſſet, actionéſque ſuas omnes iis quæ ſenſum mouent voluptatibus metiretur: cùm enim rei naturam è functionibus, eas verò de rebus obiectis quibus tenentur æſtimemus, dubitare non poſſemus illum qui non aliam à corpore metam ſpectaret, planè corporeum eſſe, quocirca eodem quo ipſum corpus interitu eſſe periturum: at ex ſuperiore ſermone efficimus non animorum noſtrorum eſſe conditionem, quippe cùm nobiliſſima quæque hominis opera vix vllo cum eius corpore commercio ſocientur, quódque longè maius eſt ſæpe contrariæ ſint ac repugnent illi tuendæ propagandæque vitæ cupiditati quàm à natura inſitam, & impreſſam habemus: quod & per ſe eſt euidentiſſimum, locupletiſſimóſque teſtes inter ethnicos habet. Iuriſconſultum Papinium, qui de vita quam de rationis ſtatu deiici maluit,

Digitized by Google

cùm ab Imperatore Caracalla fratricidium ſubſcribendo approbare cogeretur. Damoclem, quem Demetrius vita priùs quàm pudicitia vidit exutum: Scæuolam denique de quo omnes audierũt: inter Chriſtianos verò quot generoſiſſimorum nobiliſſimorúmque Martyrum habemus exempla, quibus cum ad honores & diuitias, ampliſſimáſque facultates aditus pateret, ſi modò fidei veritatem eiurare vellent, conſtantiſſimè tamen illis omnibus abiectis, corpus ſuum exquiſitiſſimis obiicere ſuppliciis maluerunt. Cùm igitur in nobis animorum à belluarum appetitionibus adeo alienas experiamur, cùm earum functiones adeo viles & abiectæ, támque longo à dignitate noſtra interuallo diſiunctæ videantur, cùm noſtræ ad Deum ferantur, ſapientiam diligant, veritatis flagrent ſtudio, veritatis & veri honoris amore capiantur, tantúmque à terreſtri contagione abſint, quantum ornamenti mentibus noſtris & nobilitatis adiungunt: Cùm hæc denique functionum differentia teſtatiſſimum ſit animarum diuerſitatis argumentum, planum ſatis apertúmque videri poteſt, quantum ſit nos inter bel-

Digitized by Google

ſuáſque diſcrimen, vndéque fiat illarum vi animæ vna cum corpore extinguantur, noſtræ verò ex hac cuſtodia liberatæ ſuperſtites, immortaléſque perſiſtant. Ex hac tanta differentia puto venerationem illam planè mirabilem proficiſci, qua humanum genus cæteræ animantes proſequuntur, ita vt puerulus armentorum greges facilè regat, moderetur, quò voluerit inflectat, quantumuis ſenſus in partem aliam prolectet: ſed quid hæc amplificando pluribus pertracto, nónne fortè iam longiorem quàm par fuerit in re tam manifeſta ſermonem collocaui.

Modum quidem, retulit æger, dicendo prætergredi non potes: numquam enim nimius in dicendo eſſe poteſt, à quo ſemper aliquid boni verique profertur: ſed quia te muneris tui partes aliò vocant, ego in publica commoda peccarem ſi te diutius morarer: fateor me tibi ante non vno nomine deuinctum fuiſſe, ſed ad priſtinas rationes magna hodie acceſſio facta eſt, beaſti enim me ingenti conſolatione, tuóque ſermone longè plus erga me promouiſti quàm aduerſus Theombrotum Platonis Phædo, non

quòd vitam mihi quoad eius fieri poterit vti Chriſtianum decèt, prorogari nolim, ſed quoniam magnum ægritudini meæ leuamentum attuliſti, tantáque animum meum fortitudine ſermonibus tuis auxiſti, vt mortem vbi Deo viſum fuerit ſponte ſim alacritérque ſubiturus. Diſiunctus eſt ab eo ſermone congreſſus ſalutationum munere perſoluto.neque vllus in eo cœtu fuit,qui non effuſas Theologos gratias haberet. Intelligis nunc opinor ſatis, anima Chriſtiana quantam vim habeat tertia hac bonæ aſſumptionis cogendæ ratio ad ſementem frugiferi colloquij in congreſſu faciendam, nec minùs credo vtilitatis quarta pariet, cuius exemplum adfero quodquidem vt longiuſculum ſit tibi niſi me animus fallit, ſolatio futurum eſt; prolixitas enim ex argumenti ſpecie atque excellentia placebit.

Digitized by Google

Exemplum narrationis. Quarta ratio praui ſermonis in congreſſu cum meliore commutandi.

Cap. XXVII.

E Mvltis qui negotiorum cauſa Rhodano ſe commiſerāt nauigationem ſuſcepturi, extitit religioſus Sacerdos, qui cùm aures ſuas inhoneſtis quibuſdam ſermonibus verberari, diuinúmque numen offendi videret, eos vt melioribus ſubſtitutis coërceret, feliciter quartum hocce artificij genus induxit oratione ad medicum prope diſtantem conuerſa, ex quo ſciſcitatus eſt elatiori voce vt ad cæterorum aures pertineret, an Vienna tranſiens ſermonem qui tunc multis erat in re inaudiiſſet de homine quodam cui mortuus alter locutus eſſe ferebatur. Cùm enim interrogatio illa omnium animos excitaſſet, Melitenſis eques, qui proximè ab Regio comitatu redibat, ſibi ea de re quidpiam ſignificatum reſpondiſſet, medicus rei ad

veritatem pernoſcendæ deſiderio incenſus ab Religioſo contendit, totam vt hiſtoriæ ſummam explicaret. Ille verò cùm id etiam atque etiam peroptaret, cæteróſque ad audiendum bene paratos intueretur, Viennæ enim ab eo cui res accidit, non modò curiosè minutiſſima quæque adiuncta ſigillatim exquiſiui, verùm & integram hiſtoriam ſcripto conſignatam ab eiuſdem manu expreſſi quam alieno cuiuſdam interpoſito nomine ita pertexebat.

Hiſtoria duplex mirabilis, quarum recens vna, vetus altera qui poſt obitum extiterunt.

§. I.

ANNO milleſimo ſexceteſimo decimo nono, die Sabbathi, Octobri menſe, nobilis quidam de Heluiorum gente adoleſcens, ad decimum quartum ætatis annum accedens, cùm in parentis ſui vineam centum circiter paſſibus ab æde ſeiunctam animi relaxandi cauſa abiiſſet, continuo ingens cadauer carne omni exutum, ſolíſque oſſibus conſtans

Digitized by Google

luce clara ad ſe recta contendere animaduertit; quo ille aſpectu perterritus in fugam ſe dedit, domum reuerſurus. at metu examinatus húcque atque illuc concurſans cùm vineæ exitum reperire non poſſet, omni linguæ ac vocis vſu præcluſo fratres tuos, & alium neſcio quem itineris ſocium, nutu & ſignis vt ad ſe redirent admonebat. Illi autem qui nihil planè cernerent rei totius ignari, monitiones adoleſcentis negligere, nullóque loco habere pergebant, dum cum è pariete nouem pedes alto exiliiſſe animaduertunt: qua quidem illi re commoti, veritíque ne quid ei grauius, & deterius accidiſſet, ad eum ſubitò conuolarunt. Corpore integer & ſanus, animo perterritus & obſtupefactus reperitur: cauſam exquirunt, nec vllam ab eo vocem elicere poſſunt, cuius facultatem tunc omnem tremor præcluſiſſet continuo exurgit, rectáque ad domus hortum contendit, ſequuntur & illi, eúmque introducere, & totis viribus contrudere nituntur, ſed irrito conatu: quippe à tergo retractum vltra progredi ſpectrum prohibebat. Cùm nihil ſe proficere viderent, adoleſcentem di-

Digitized by Google

mittunt,qui ſe ad primum quod antè ſuſceperat iter conuertit; perpauculis paſſibus confertis, importuna mortui eiuſdem facies occurrit, cuius vt congreſſum declinet, currendi celeritatem adauget ignarus omnino quo tendat. Iam in locum præruptum præcipitémque incumbebat, niſi peregrinator quippiam tranſiens inhibuiſſet, cùm interim è conſanguineis vnus magna illum celeritate perſequebatur. Spectrũ ea res ad tempus repreſſit, ſimûlq; magno cum gemitu ter in hæc doloris ſigna ah ah ah erumpens, ex contuentium aſpectu ſubduxit. Reducitur in domum paternam adoleſcens terrore perculſus, ad ignem propius admoto diuerſa adhibentur fomenta, quibus animus illi reuocaretur. parentes cæteríque ad vocem mittendam inſtigant, ſed nullo planè euentu, tandem viribus collectis, redditóque vſu loquendi rem vti ceciderat exponit, Eccleſiaſtici quidam hoc ſuper negotio in conſilium vocati, docent quid facto ſit opus vbi rurſus in mortuum illum incurret. monitio profuit octauo pòſt die, cùm enim piſcatus ſpectandi cauſa ad fluuium paterno prædio continentem egreſſus fuiſſet, nec

illic piſcatores longiùs abductos inueniſſet, domum rediens ſpectrum animaduertit concitatis ad ſe greſſibus aduolare, eóque tandem loci deuenit, vnde nullum quin illi obuius fiat effugium relinquatur. Qua ille neceſſitate ad loquendum impulſus, vbi ſacro crucis ſigno ſe premuniiſſet, mortuum iubet ſiquidem à Deo eſt, proferre quid velit, ſin minus abſcedere quamprimum, nec ſibi vllam amplius moleſtiam inferre. A Deo ſum, ait ille, & auus quondam tuus: quid e numero (ſubiicit adoleſcens) à me requiris. tuarum (inquit) precum opem & ſubſidium expoſco, quibus earum quas ſuſtineo pœnarum alleuationem procures. Sacroſanctum Miſſæ ſacrificium ſemel hoc ipſo quoad fieri poterit die mea cauſa celebrari velim, tum enim demum beatus fuero, omnéſque gentiles tuos, téque adeo inprimis meis apud Deum precibus adiuuabo: quærit ille nonnihil animo confirmatus, cur ad ſe potiùs quàm ad alium quemlibet id opis conquiſiturus adiiſſet: reſpondet, ſic Deo optimo maximo viſum fuiſſe, ſi porro ipſi octauo antea die loqui potuiſſet, ſe iam ab illo tempore libe-

Digitized by Google

randum fuiſſe, qui verò tunc eum inſequebantur feciſſe, quominus id commodè præſtaret. Verbis quibuſdam inter ſe habitis, euanuit demortui ſpecies, alter magnam lacrymarum vim profundēs domum reuertitur, parentibúſque totius rei ſeriem exponit. Illico pater omni cunctatione abiecta cōſcenſo equo in oppidum non longè diſtans feſtinat, vt ſacrum haberi curaret: at quoniam in pomeridianum tempus defluxerat iam dies, rem in craſtinum oportuit differri. Interea domi multum ſtrepitus tota nocte auditur, vnúſq; eadem ex familia puer è cubiculo ſuperiori quo aſcenderat per graduum ſcalam præceps deiectus nihil eo caſu offenſionis accepit. Die ſequenti vbi diluxit maturè ſacrum prouidetur, neque quidquam in poſterum amplius viſum eſt, aut à quopiam auditum. Hiſtoria illa perattentè fuit, nec ſine omnium admiratione excepta. Quam vt confirmaret religioſus Sacerdos, id etiam ſingulare adiunxit, ex adoleſcentis ſermone viſum fuiſſe parentibus Chirurgum aduocari, à quo perquiri poſſet num ea ſpecies oſſiúmque conformatio, quam

ille depingebat cum anatomica artis veritate conſentiret: nihil eſſe conuenientius aptiúſque Chirurgus affirmat. Cùm aliunde nihil ſimile vnquam ab adoleſcente illo conſpectum fuiſſe conſtaret: mirum ſanè (inquit Medicus) atque eiuſmodi quo comprobari poſſint, quæ ab Rectore Boetio in Scotiæ annalibus narrantur. Cùm nimirum Alexander hoc nomine tertius, qui tum inſulam illam tenebat, tertiam ſibi vxorem cæteris duabus mortuis filiam comitis Drocenſis deſponderet, ſub chorearum finem cadauer nudis ex oſſibus compactum in mediam aulam ſpectantibus vniuerſis prodiuiſſe, quod quidem terribilem in modum ſaltans omnibus ſtupore defixis è conſpectu receſſit, tantámque formidinem aulicorum animus iniecit, vt nullus longo pòſt temporis interuallo ad ſaltandum aggredi auſus ſit, réxque præ cæteris ita perculſus abiit, vt antequam defluxiſſet annus mortem obierit. Haud equidem ſcio quî vel vnus illorum qui præſentes fuerant, ſuperſtes & viuus remanſit. Quid enim ad terrorem grauius accidere poteſt quàm mortuum ita viuentem,

&

& cadauer exangue velut animatum intueri.

Hiſtoriæ prodigiis ſimiles de lamiis quibuſdam.

§. 2.

ALIVD Lugduni commemorabatur quod nihilo minorem admirationem haberet (inquit Melitenſis Eques) de genio qui res multas in Delphinatis cuiuſdam dynaſtæ ædibus non longè ab Valentia edidiſſe ferebatur.

Exempli cauſa. Cùm lagunculam aqua roſacea plenam coniectu lapidis effregiſſet, etſi ad heræ pedes iaceret, nihilo tamen minùs aqua omnis ſurſum euecta in illius caput effluxit. Ita eſt profectò (inquit Iuriſconſultus) cùm eò veniſſem re à pleriſque veſtigata ; & diligenter excuſſa de illa certior factus ſum. Genius ille è dæmonum genere vnus erat, qui anno milleſimo ſexcenteſimo decimo quinto ineunte primum animaduerſus tantùm Dominicis & feſtis diebus reuerentiæ adhibebat nihil

Digitized by Google

vt illis temporibus moleſtiæ ſtrepitúſque cuipiam afferret. Res nonnullas aliquando tanta vi contorquebat, vt obuium quemque impetu ſuo facilè proſtraturæ vel oppreſſuræ viderentur, nullus tamen vulneratus vnquam fuit, niſi leuiter admodum ſi qua in parte illi repugnarent. Serta quędam ad ſolemnem baptiſmi pompam, die proximè conſecutura celebrandam adornata fuerant, ſua itidem ille componit, nocte enim ſuperiori, menſam inibi poſitam braſſicarum foliis, ex horto decerptis oppleuit, atque ad inſigniorem rei ſpeciem vaſa ſuper abacum collocata iiſdem oleribus cumulauit. Cùm vir quiſpiam cuius ego nomen conſultò, & conditionem omitto, barba admodum prolixa ſpectabilis illuc veniſſet, ſermonéſque vna cum cæteris in cubiculo haberet è domus angulo, vbi figulus vaſa expoliebat, ſtannea quædam ramenta congeſſit, quibus hominis faciem ſic copiosè aſperſit, vt multum ſanè fuerit operæ laboríſque ponendum in iis ab luculenta illa cui adhæſerant, barba detergendis: mirum videbitur quod addo: Eccleſiaſtici quidam ad ædes aduenta-

rant, vt preces cæteráque aduerſus dæmonem pro ſuo munere obirent. Cùm hora prandij ad menſam vocaret ſupra illi accubuerunt, infrà cæteri prout vſus erat. tum ille, velut aliquid gratiæ illis daturus, cibis quibus veſcebantur pepercit aliorum catinis tritico, piſorum & aliarum eiuſmodi rerum granis referſit, ita vt vix cibi capeſcendi libera fuerit cuiquam poteſtas. Iiſdem vel ſimilibus in locis identidem riſum, & cachinnos edebat, triduóque priuſquam percitus abiret, Heluetica fiſtula tympanóque ſuauiter quidem, non tamen articulatè voce cantabat: cùm hæreticus ex quolibet omnium quæ domi ſuppetebant rerum genere partem aliquam petiiſſet, abſtuliſsétque, ab eodem nummos Hiſpanicos poſtulauerat, pro nummis & auro vehementem eius animo formidinem obiecit, illúmque terrore defixum ab ædibus exegit.

Admirationis autem plus habet, quod feneſtris ac foribus occluſis, ſæpe in conclaue multa importabat nullo quò tranſiiſſent aditus veſtigio vel nota quę ſenſibus paterent. Rimam nihilominus aliquam fieri oportebat (inquit Religio-

ſus)nam penetrandi vis ita Dei propria eſt, vt nulli rerum creatarum conuenire poſſit. At quæ dæmonum ſubtilitas eſt, ſubita loci mutatione ſpectantium oculis longè ſolertiùs quàm præſtigiarum artifices illudunt, id enimuero genius ille præſtabat. Credo ego, ait Iuriſperitus, ſermonémque interruptum pertexens ita concludit. Illuſtriſſimus Valentiæ Antiſtes Lebeconius, cùm eò ſe cõtuliſſet, vt incommodo illi mederetur, ſex vel ſeptem Sacerdotibus ſibi comitibus adiunctis bene ædibus & familiæ precatus, thure & ſuffimentis quaquauerſus incenſis ſolemnem exorciſmorum formulam concepit, nec quidquam poſtea eo in loco fuit amplius auditum.

Simile quidpiam, anno ſuprà milleſimo ſexcenteſimo octauo (inquit religioſus) in vrbe Poloniæ Kaliſzo euenit, præterquam quod tuus ille Genius eorum de genere fuit, quos ludicros vel ioculares appellant, hic verò quem modò ſermone depingo, furioſus erat admodum; adeò vt lapidibus vi maxima coniectis domeſticos omnes proiiceret foras, aduentatibus minas iactaret, ia-

nuas feneſtráſque perfringeret, nullum quietis ibi capiendæ locum imperti-ret.

Quem ad expellendum præter exorciſmos adhibendæ etiam Sanctorum reliquiæ fuerunt, omniúmque præſtantiſſima & princeps, ſacrum Chriſti Dei filij corpus ſancto Miſſæ ſacrificio admotum, cuius ille vi præſentiáque perculſus eſt, fugatúſque diſceſſit.

Rationes aduerſus atheos è natura petitæ.

§. 3.

EVENTVS illi omnes prodigiáque (inquit Iuriſconſultus Medico arridens) validiſſimè atheos confutant, qui genios eſſe, & diuinitatem negant. Hunc loquendi modum coarguens Eques Melitenſis ait, Putáſne (amabo) atheos hodie reperiri, atque in ſuauiſſimo Galliæ noſtræ cœlo poſſe eiuſmodi portenta educari. In communi congreſſu, nonnulli aliquando licentioris vitæ homines exiſtunt, quorum ſi fidem moréſque eo-

rundem verbis ac ſermone metiri velimus, Diagoræ ſimiles iudicari poſſint: ſed multos eius farinæ cognoui, quos certiſſimè ſcio, vbi aliquid hoc in genere liberiùs inſolentiúſque effutiiſſent, cùm ad ſe intra priuatas ædes rediiſſent ſibi pectus tundere, & mordere linguam conſueuiſſe, eiúſque generis actionibus factam Deo iniuriam expiare, debitúmque illi obſequiũ, cultúſque religionem præſtare cuius antea fidem penitus omnem, & cognitionem abiudicaſſe viderentur, tum ſeſe ad proferendam dictorum rationem componens liberè addit. Oportet (inquit) hominem omni humanitate naturáque humana carere, vel inſtar Nabuchodonoſoris diſſerendi facultate & ratione exuta cor & ſenſum belluæ alicuius induiſſe, qui Deum non eſſe ex animo negarit: Baſilicam & luculentas ædes è terra magnificè erectas conſtructáſque nemo conſpicatur, quin aliquem illarum putet inuentorem, & architectum fuiſſe. Nullus nauim in mari bene & inſtrumentis omnibus & commeatu munitam videt plenis aduerſus ventorum flatus, vimque tempeſtatis nauigantem velis, quin illi peritum ſtre-

nuúmque nauarchum moderari putet, quicunque ad inſignis horti aream accedit, primúmque variis frugum generibus non prunis modò, ſed & ceraſis pomíſque armeniacis ſuccum & vitam è trunco eodem trahentibus onuſtam intuetur. Illos ſecum ipſe rideret qui arborem tanta vbertate florentem caſu aliquo nulla induſtrij olitoris opera vel arte ſed fortuito è terra prodiiſſe & adultam fuiſſe narrarent. quod quidem cùm ita perſpicuum ſit, fierine poſſet vt homo quiſpiam iudicio præditus cœlum ſtellis conſperſum, planetis diſtinctum & ornatum videret, aſtrorum interualla, aſpectum, diſparéſque curſus notaret, in aëre, terra, igne, & aqua mirificam tam diſcrepantium naturarum conſenſionem, in corporibus ex elementorum concretione & admiſtione conflatis ſpectabilem naturæ, figurarum, coloris, facultatum munerúmque varietatem obſeruaret. Denique congruentē ſingularum inter ſe totius vniuerſi partium collocationem & ſitum, omniáque ratis ordinibus moderata conſideraret, fierine (inquam) poſſet vt eiuſmodi cognitione inſtructus ſibi perſuadeat, vel ſupremam

aliquam intelligentémque naturam eorum omnium non eſſe moderatricem, vel eadem temerè & fortuito caſu procreata conſtare.

Puerulus quamuis mediocriter rationis vſu excultus, ſi ab ima turri viderit in ſuprema illius parte hominis ſimulacrum quod noctu interdiúque horas indicans tempus commodè opportunéque dimetiatur, (quoniam omnibus innatum eſt, & in animo quaſi inſculptum, quidquid motu aliquo cietur, à quopiam ſpiritu moueri) ille nulla diſſerendi adhibita ratione non dubitanter credit hominem eſſe viuum ac ſpirantem, cuius induſtria motus ille conuerſióque torquetur. At vbi ſuperiorem in locum aſcendit, propiúſque & acriori ſenſu in rei contemplationem incumbens ſe deluſum eſſe, corpúſque animo vacuum hæc omnia moliri animaduertit, tum ille admiratione affectus cauſam indagat, neque niſi cognito motus illius authore conquieſcit. Cùm autem è ſubiectarum, & inter ſe aptarum rotarum artificio, libratíſque ponderibus machinam conſtare intellexit, necdum ſibi tamen ſatis eſſe factum putat, quoad acceperit; ſolertis

alicuius opificis horologiorúmque effectoris arte &manu totum hoc opus compactum, & adornatum fuiſſe, eiuſdémque opera moueri, licet ille domi ſuæ conſiſtat. Atqui notabilē motionum diuerſitatem in mundo videmus, aſtra quotidie ab Oriente ad Occidentem commeare, planetas contrariis omnes curſibus, ſingulos propriis verſari, Lunæ orbem qualibet menſe, Solis verò conuerſionem anno integro abſolui. Alias inerrantes ſtellas aliis temporum ſpatiis longioribus vel breuioribus moueri, atque velut horologij rotas, ita vniuerſas inter ſe implicatas eſſe, alias inferioribus in locis, alias in ſuperioribus conſtitutas, vt numquam tamen concurrant vel mutuo ſibi ſint impedimento. Hîc compertum habemus aërem ſemper agitari mare æſtibus ſuis accedentibus, & recedentibus ad certas horas definitáſque iactari, terræ motus fieri nonnumquam videmus. Adde tempeſtatum viciſſitudines, conuerſionéſque diuerſas: æſtas veri, autumnus æſtati, hyems autumno ſuccedit: ordinem illum admirabilem adiunge, ſingularémque moderationem quæ ſine erratione vlla eodem omnia reuol-

uit. Si enim Sol & Luna, cæterorúmque aſtrorum multitudo ſuum infirmis hiſce regionibus calorem impertiunt, hic per aërem dimanat, in quo nubes coguntur, imbres è nubibus profluunt, ventorúmque flatibus per orbem vniuerſum peruehuntur, tandémque in terram tepefactam delapſi efficiũt vt plantas procreet, quibus aluntur animantes, ea porro ſeruiunt homini, omniáque tum demum id loci tamquam in vltimo fine conſiſtunt. num igitur infantium quorumuis infantiſſimus eſſet ille, qui in corporibus hiſce omnibus ſupremam aliquam mentem non agnoſceret, qui ex motuum illorum contemplatione ad primi motoris cognitionem non veniret, qui ex tanta tãque conſtanti æquabilíque diuerſitate ad principiũ aliquod ſibi ſemper cõſentiens, non aſcenderet, qui denique ex ordine tam abſoluto támque certa, & rata moderatione ad perfectam infinitámque ſapientiam non vocaretur? quæ porro illa præterquam Deus eſſe poſſit, quàm enim ſtolidus eſſet atque inſulſus, qui ad caſum neſcio quem fortuitum hæc omnia referret: fortuna perturbationem habet adiunctam, rerúmque om-

nium confuſionem, réſque iam factas potiùs euertit quàm nouas moliatur, nihil autem plus habet conſtantiæ, minúſque confuſionis quàm gubernatio huiuſce rerum vniuerſitatis. Tantum adhibet artis, vt ad eam animo percipiendam non mediocri ſolertia opus ſit; quique in perfecta illius voluerit cognitione verſari, eum oporteat multa prius ſcientia locupletatum, & quaſi præcultum fuiſſe. Huius igitur mundi adminiſtratio non conuenit fortunæ, eiùſque vires ad rem tam arduam ſtabilémque aſpirare non poſſunt, quî enim ex illa tam egregius ordo efflore ſceret, qualem in ſingulis immenſæ huiuſce molis partibus reperiri diximus; vnde ita conſtantem ſtabilémque in totius orbis gubernatione firmitatem accerſeret? quo ex fonte tantum prudentiæ hauriret ad res tam varias atque diſcrepantes eumdem in finem conſtantiſſimè dirigendas, ſi operam illa ſuam tam operoſo negotio admiſceret, an perpetua eſſet cœlorum conuerſio, nec vnquam inſiſtens, an circuitus ſuos tam dimenſos Sol haberet, tàmque deſcriptos, an Mathematicus diſciplinæ ſuæ peritus, ſtylo facilè vni-

Digitized by Google

brarum longitudinem, & progreſſiones notaret, certóſque & fixos temporum articulos ac momenta definiret, quibus centeſimo pòſt anno Solis vel Lunæ defectiones contingent? an ignis continenter arderet vel ſublime ferretur, an aqua & terra ſemper ad medium mundi locum deorſum abirent, num aliquando ficus racemos, vitiſque poma procrearet? Cùm igitur numquam eiuſmodi caſus occurrant, tantáque res omnes in naturæ conſtantia, & actionum ſimilitudine verſentur, aſſeueranter dicamus, orbem caſu, fortunáque temeritate, nec conditum eſſe nec gubernari, ſed ab vna eadémque ſuprema cauſa quæ Deus ipſe ſit, immutabili diuináque prouidentia temperari.

Rationes politicæ aduerſus atheos.

§. 4.

SI regnorum principatus, exiguus veluti mundus maioris illius ſimilitudinem adumbrant, quis in hocce noſtrum Galliæ regnum oculos defigere queat,

Digitized by Google

qui non planè cogatur Deum eſſe aliquem profiteri? è Romani imperij diminutione, & quaſi ruinis ad dignitatis & amplitudinis ſuæ faſtigium excitatum eſt, perinde vt Burgundiorum, Lombardorum, VViſgothorum, Oſtrogothorum, & VVandalorum dominationes, quæ tamen conciderunt penitus, nec earum vlla trecenteſimum annum prætervecta eſt, cùm Gallia iam ad ducentos ſupra mille annos florens, incolumiſque perſiſtat, nullis vnquam regibus admiſſis, niſi qui ſuum in ipſa domicilium ſplendorémque collocarunt: quo tamen beneficij & gratiæ cumulo quatuor illæ vt vocant Monarchiæ caruerunt, quæ cunctas nationes in ſua poteſtate ac ditione tenuerunt. Id porro iuris ipſi tributum fuiſſe dici non poteſt, quòd vires ſuas arctius collectas habuerit, & firmiori populorum conſpiratione deuinctas, crebra enim diſſentione factionibúſque diuerſis, ad extremum prope interitus, & ruinæ periculum deuenit. Neque illud aſcribendum eſt, moderatorum fortitudini vel authoritati erga ſubditos, vel bellicæ virtuti. Nam tametſi nulli vnquam genti reges præfuerint, noſtris,

vel armorum ſcientia in bello, vel in otio ſapientia, vel ad conſilium prudentia, vel animi magnitudine ad res aduerſas, vel ad iniurias, quarum obliuio neceſſaria fuit condonandas ſingulari clementia, vel alia virtute ſuperiores: nihilo tamen minus fatendum eſt in tanta illuſtriſſimorum principum turba nonnullos ab ab egregiis hiſce dotibus, & laudum ornamentis abfuiſſe, qui quidem inertiâ ſua nonnumquam regiæ dignitatis ſtatum propemodum labefactarunt, exteris nationibus ad regni huius limites attentandos, atque ad præſtantiſſimas vrbium noſtrarum armis inuadendas excitatis, nec minus aberret, qui rationum gallicarum diuturnitatem conſilio prudentiæque voluerit acceptam referre, cùm manifeſtò conſtet hac in republica peruerſorum aliquando conſiliorum authores fuiſſe, qui priuatis vt commodis ſeruirent, publicas ad ſummum prope exitium perniciémque vocauerunt. Quo in numero ponendi ſunt illi qui ſuam edicto aduerſus Carolum ſeptimum priuſquam corona regia potiretur ſancito approbationem operámque nauarunt, externi principis fautores quem ad Gallici

regni gubernationem, contra ius fáſque prouectum Franciæ regem pronunciarunt. neque huius felicitatis cauſa hoſtium vel paucitati vel imbecillitati tribuenda, quod enim imperium acriores vnquam expertum eſt maioribúſque viribus inſtructos. Reuocentur modò in memoriam Germanorum, & VViſigothorum conatus Clodouæi & Clotarij tempore compreſſi: Sarracenorúmque, & Maurorum vires à Carolo Martello profligatæ, quos ille primo conflictu (incredibile videri poſſit, niſi ex hiſtoriis omnibus conſtaret) ad ſexaginta quinque ſupra trecenta capitum millia interemit cum Africa egreſſi, Hiſpania iam in ditionem ſuam redacta, Europam vniuerſam inuaſuri ac velut abſorturi videbantur, exercitu iam prope Turonenſium vrbem cum incredibili omnium terrore producto. Cùm igitur felix illa huiuſce regni diuturnitas longo temporum interuallo cæterorum ætates prætervectas eiuſmodi rationibus, aliiſque, vel melioribus è naturæ ſinu petitis adſcribi non poſſit, efficitur neceſſariò ſuperiorem aliquam eſſe cauſam, Deum ſcilicet rerum om-

nium authorem, quod quidem ſingularibus quibuſdã euentis manifeſtius adhuc cõprobatur. Qui enim Clodouæum cernit eas in anguſtias ab Alemannis adductum, & ab omni ſpe humana deſtitutum, voto noſtræ religionis profitendæ concepto inſignem ab hoſtibus victoriam reportare. Vbi ſeſe ad Chriſtianorum fidem & inſtitutum recepit, columbæ è cœlo immiſſæ roſtro ſanctam ampullam adferri, eô liquore plenam quo & ille & cæteri deinceps, Galliæ reges vncti & conſecrati fuerunt, vnde veluti nouo robore & fortitudinis acceſſione auctus VViſigothos deuicit, Alaricum Arianum manu ſua peremit, ad vrbem Engoliſmam aduentãs ipſi aduerſari auſam, cùm pars murorum præter ſpem, & omnium expectationem corruiſſet, non illius modò ciues, ſed finitimas regiones in deditionem accepit: qui obſeruabit exortã inter Clodouæi liberos ſimultate, cùm Childeberti & Theodorici copiæ ferro inſtructæ in acie iã ſtarent ad manus cum Clotario fratre conſerendas, vnde certa reipublicæ pernicies imminebat, repente ex ſumma ſerenitate ac trãquillitate tanta

cum

Digitized by Google

cum horrendo fragore fulgurúmque vi deiecta eſt cœlo tempeſtas, vt ea in religionem verſa, milites arma depoſuerint; mutuáque partis vtriuſque ſalutatione conſecuta inter ſe amplexati ſint fratres, furioſáſque diſſenſiones ſincera fraternáque concordia armorum ſocietate commutarint, qui hæc inquam omnia nouerit, ſerióque perpendet, potéſtne in ea cogitatione verſari quin Deum authorem prodigiorum, in exercitibus dominantem, ſupremum totius orbis moderatorem, quo voluerit modo elementa & hominum voluntates pro arbitrio ſuo conuertentem agnoſcat, prædicet, debito cultus officio proſequatur: verùm enimuerò vnius Caroli ſeptimi res geſtæ vel pertinaciſſimum quemque conuincent, & ab illius ore huius confeſſionem veritatis extorquebunt. Iam penè Carolus ad omnium rerum deſperationem vocatus, magnam vrbium partem à ſe defeciſſe, multa prælia infelici exitu confecta, principes regio ſanguini affines externo regi adiunctos, hoſtem ſuum regem renunciatum videbat; vniuerſi copiarum ſuarum Duces vel labore fracti, vel miſero rerum ſtatu perculſi, territi

Digitized by Google

milites, ærarium penè exhauſtum, Aurelia quæ fidem præſtiterat in extremum exciſionis diſcrimen adducta, atque adeò rex ipſe iam cum re gallica propemodum perditus, & miſerabiliter afflictus ſupremam rationibus noſtris perniciem minitari videbantur. Tum enimuerò Deus præter omnem mortalium opinionem, mirabili quadam ratione patefecit, mutatis miſeri illius principis rebus, regiáque dignitate in priſtinum ſplendorem reſtituta.

Puellam excitauit duodeuiginti circiter annos natam, humili genere oriundam, & in grege paſcēdo educatam. Ad regem ducitur, prædicans ſe mente diuinitus afflatā venire, quò regē in rebus aduerſis ſuſtentet, Anglos Francia expellat, Carolum ad ſacrum Chriſma regnique inſignia Remis ſuſcipienda ſuis viribus iuuet, tranquillámque ipſi paternæ hæreditatis poſſeſſionem procuret. Verba conſequitur effectus, poſteaquam regem quem antea nunquam vidiſſet, ruſtici veſte conſultò ad ementiendam oris ſpeciem indutum in media ſuorum turba dignouit, ſalutato impoſitam ſibi à Deo prouinciam viriliter expoſuit,

Digitized by Google

Theologis in conſultationem accitis, à quibus multiplici percontatione verſata, inſtar Iudithę ad Gallorum opem immiſſa fuiſſe pronunciatur. Ei rex omnes dicto eſſe audientes iubet, obſequiúmque prȩſtare Armis inſtruitur apparatúque militari, enſe quem è diuæ Catharinæ oppido Turonenſis prouinciæ ſito quæſitum poſtulauerat, armatur, explicato vexillo à rege diſcedit, vbi priùs illum ad fiduciam in Deo collocandam erexit, equúmque non muliebri ſed planè virili generoſíque Ducis ſpeciem prȩferente habitu conſcendit: militum aliquot ſtipata copiis Aureliam venit, ſecundùm hoſtium munitiones tranſiens exercitu ſpectante, Ducibus pacis conditionem antequam gladium diſtringat proponit, ſi regiæ maieſtati facere ſatis abnuerēt, minatur experturos breui quid puella valeat Dei exercituum præſidio munita. ab Anglis ridetur: venit ad manus, exoratis ante militibus ſuæ vt conſcientiæ confeſſionis ſacramento purgandæ operam darent, omnéſque impudicitiæ vitio notati ex acie pellerentur. Rebus ita præſtitis copiæ procedunt. acuitur miles nouæ illius bellatricis aſ-

Digitized by Google

ſpectu, quæ ſtricto gladio in prima exercitus fonte conſiſtens, in medium ſeſe diſcrimen certóſque caſus demittit, rebúſque fortiter gerendis ſpem omnium ſuáque promiſſa facilè vincit, ferit, occidit, quicquid aduerſatur euertit, tamquam vehementer obſeſſores perſequitur, vt octo illorum millibus internecione deletis, ceteríſque munitionum propugnaculo deiectis, intra quartum diem, ſoluere illos obſidionem cogat, quorum armis, & commeatu bellicáque ſuppellectili vrbs locupletata recreatur: Regi victoriæ nuncium defert, in admirationem traducto. Monet hactenùs operi modo proluſum eſſe, extremámque manum adhibendam. res voto reſpondet, neque enim priùs à rege receſſit quàm illo cœleſti liquore vnctum Remis conſecratúmque vidiſſet: illuſtris ea ſanè fuit & admirabilis puella: non per ſe quidem, vis enim tanta in pecuariæ virginis tenuitatem non cadit, vt duces fortiſſimos regat, moderetur exercitus, milites excitet, obſideat vrbes, deſcendat in aciem, hoſtes profliget, vincat, extinguat, adeo vt imperium hocce reſtituerit, cùm maximè oppreſſum ac propè

deſperatum videbatur. eóque modo reſtitutum ſuſtentarit quo ipſa prædixiſſet, nulláque fuerit eorum quæ futura præſenſiſſet in parte mentita. Hæc igitur mirabilia præſtitit Deus, ſéque remedij huius tam inuſitati authorem probauit, cuius ratio ſingularis planéque diuina humanæ ſapientiæ conſiliis præcipi vel cogitari non poſſit, cuius vi cùm cædes, iniuriæ, latrocinia, defectiones, aliáque ſcelera cõpreſſa fuerint atque reſtincta; fidéſque, religio, æquitas & omne virtutũ genus reſpirarint, ſalutares illi euentus nulli cauſæ attribui poſſunt præterquam ſupremæ ſanctiſſimæque, omnia pro arbitrio ſuo ad infinitam penitus poteſtatem molienti. Cuius vis pluribus aliis etiam modis apud Annales noſtros elucet, præcipuéque in ſceleribus impiorum vlciſcendis, cæteriſque rebus cùm miraculi ſpecie patratis tùm ad innocentes ab impiorum calumnia inſidiiſque vindicandos, cùm ad crimina in lucem, & hominum cognitionem proferenda, legúmque ſeueritati ſubiicienda, quæ tamen ego tacitus prætereo ne longior ſim, atque vt ad cætera quæ nobis ex ipſis ducuntur argumenta, feſtinem.

Rationes aduerſus atheos ex homine ipſo petitæ.

§. 5.

VIx ſtatuæ cuiuſpiam aut imaginis eleganter effictæ formam ſpeciem, & abſolutionem oculorum ſenſu homo approbauit, cùm ſtatim illius artificem oris præconio & laude commendat, atque ex opere illo vita carente viuum opificem ſibi cogitatione depingit. An non igitur æquius eſt, vt ex opere viuo cuiuſmodi ſe ipſum agnoſcit, artificem alium magis perfectiúſque ſeipſomet viuentem animo informet, ac credat eum vitam agere, tanto ſuâ præſtantem interuallo, quanto viuus opifex operi mortuo, hoc eſt, vita negationi vitæ, rerum exiſtentium ſtatus earum quæ non ſunt inanitati antecellit: an non diſtantia illa nullis limitibus finita eum ad vitæ fontem, naturarúmque omnium procreatorem Deum excitare debet?

Iure ipſi minoris mundi nomen attributum eſt, cùm ſit veluti quædam epitome & figura maioris.

Digitized by Google

Eſt enim cum lapidibus, cum plantis viuit, ſentit cum belluis, ad hæc rationis facultas accedit, quem ille gradum ex animo trahit admodum nobili, & excellente natura, quæ præſentia cognoſcit, præterita loquendo perſequitur, coniiciendo futura repræſentat; malum à bono, à virtute vitiũ, turpitudinem ab honeſtate diſcernit; de cœlo tanquam ſi iam in eo præſens habitaret ſermonem inſtituit, mentis aciem ad mediam vſque terram defigit; nec eius concretio illius ſubtilitatem retardat, ſed ad intima denſiſſimæ molis viſcera peruadens quæcumque illic fiunt intuetur. ſua vi animatum corpus ad omnia motuum genera, rectum, inflexum, quaſi circulo concluſum, ingreſſione productum fingit, atque conformat. Quæcumque pars corporis tangatur, pes, auris, ſtomachus, vel alia quæuis, adeſt animus eodem & tempore & loco, nec ab aliis tamen functionibus auocatur. ſi ab illo corpus diſiungatur, fœtidum cadauer euadit, ſed illius præſentia integrum viuúmque conſiſtit. Neque porro cernit ſeipſum, nec facilè poteſt ab eo quem animat homine comprehendi: qui hæc igitur nouit, & ſentit,

an non hoc immenſo in mundo certiùs agnoſcere aliquem ſpiritum debet à quo ſit in rerum natura, conſeruetur, & viuat, à quo fiant, moueantur, atque regantur vniuerſa, à quo quæcumque vſpiam accidant, videantur & audiantur. Vnde colligendũ ſit certóque credendum, ſicut corporibus noſtris magnæ illius molis oculorum obtutu perceptæ ſpeciem, & figuram adumbramus, ita certam diuinitatis quæ ſub oculos non cadit imaginem in animis noſtris inſculptam, & velut inuſtam contineri. Eò accedit quòd innata ſit animo cuiuſlibet hominis continua cupiditas felicitatis tam altis radicibus infixa, vt nullis viribus poſſit euelli. Iam verò nec opibus ſuis homo poteſt nec vlla rerum creatarum explere, neque tamen proficiſcitur ex ſingulari cuiuſcumque natura, quæ ſæpenumero poteſt corrumpi, vitióque deprauatur; ſed ex vniuerſali quæ recta ſemper numquam aberrat, nec fruſtra quidquam molitur. Aliunde igitur oportet beatitatis largitorẽ conquiri, qui quidem cùm alius à ſummo bono eſſe non poſſit, id verò ſit Deus, is agnoſcendus eſt propterea & neceſſariò colendus.

Digitized by Google

Illud itidem cuiuſque conſcientia confirmat. nullus enim peccat quin interiori aliquo mentis angore, ſtimulóque pungatur, adeo vt vel potentiſſimi quique maximîſque facultatibus inſtructi, qui præter voluntatis arbitrium, nullam ſibi plerumque legem præſcribunt, eóque facti à natura videntur, vt timeantur ab omnibus, neminem pertimeſcant; ſi grauem aliquam culpam admitttunt, ſtatim timor ex conſcientia peccati exoritur, perturbantur animo, pacatique & tranquilli conſiſtere non poſſunt. Quod euidenti argumento eſſe debet iudicem ſupremum eſſe viribus potentiáque hominibus præſtantem cui nihil tectum ſit, nihil abſtruſum, cuius oculos nulla res fugiat vbicumque locorum agatur, cui ſiſtendus ſit improbus, vt ab eo vitæ ratio exactiſſima reddatur. Ille ipſe eſt cuius opem & auxilium rogamus ante omnem argumentationis vſum, vbi primùm repentinæ calamitatis ictu pulſamur, cuius inſtinctu oculos cõiicimus in cœlum, cùm in terris falsò accuſamur, vel cùm iniuria vexamur: vox enim ea eſt, atque teſtimonium eiuſdem naturæ, cuius inſtitutis monemur numen aliquod eſſe di-

uinum, quod omnia videat, proſpiciat omnibus, noſtriſque poſſit incommodis, & anguſtiis leuamentum ac medicinam afferre.

Rationes à medicis acceptæ aduerſus peruicaciam impiorum.

§. 6.

DVM ſapiens ille Melitenſis Eques, ita ſolerter cum incredibili omnium attentione diſſerebat. Religioſus Deum in ſinu laudabat cui conſilium ſuum adeò proſperè proceſſiſſet: atque vt ne ſe quiſquam ad ſermones inhoneſtos vel inutiles referret, medicum aggreſſus ait, Domine mi eamdémne ſententiam ac Eques ille nobiliſſimus tenes: credisne nullos in mortalium numero atheos reperiri? Eò (inquit) libentiùs meã ipſius opinioni conſenſionem ſubſcribo, quò manifeſtiùs communem plurimorum errorem cognoſco, qui quidem credunt, & liberè affirmant eorum qui artem noſtram profitentur pleroſque tantum tribuere naturæ, vt nihil ſupra eiuſdem vires eſſe arbitrentur: errant illi

quidem & longiſſimè aberrant, par enim eſſet exiſtimare, nomine illo naturæ quod identidem ore frequētamus, à nobis intelligi & ſignificari authorem naturæ ad venerandi Hippocratis noſtri exemplum, quem commemorat Gallienus hanc eidem vocabulo ſubieciſſe notionem, quam ipſe paſſim etiam vſurpat. Illum porro ad diuinitatis notitiam, & confeſſionem veniſſe, quæ monumenta conſcripſit nimiopere declarant. *Certè* (inquit) *eſt quod corporum noſtrorum effectorem ac molitorem admiremur, ſi enim quod è nobis minimè cernatur, eumdem idcirco negaremus, idem peccaremus ac ille qui nauem contuens fabricatorem non videret, ideóque cogere vellet eam ſine arte compactam, & inſtructam fuiſſe.* Tum alio in loco: *Naturaliter Deum amamus, qui ab æterno tempore Deus eſt, numquam enim eſſe cœpit, cùm certum ſit eum ſempiternum eſſe, nec ab vllo generatum.* Item alibi: *Hymnum hîc in communis rerum creatoris honorem compono, quippe exiſtimo hoc illi obſequium ex hominibus requiri: non verò vt centum illi tauros ſacrificem, aut ſexcenta ſuffimentorum genera coram ipſo comburam; ſed vt alios doceam quæ & quanta ſit eius ſapientia, bonitas &*

poteſtas: quòd enim ſua ſponte res vniuerſas omnibus quæ iis conuenirent inſtruxit, nec tot bona cuiquam inuidit, argumentum eſt perfectæ bonitatis, quòd rationem, & modum excogitarit res eaſdem ita luculenter ornandi, ſupremam ſapientiam demonſtrauit: ſingularem denique poteſtatem explicuit, cùm quicquid conſtituerat effecit, & ad exitum ſibi propoſitum perduxit. Ne igitur ita miremini præclarum ordinem illum, inſignémque Solis, Lunæ, omniúmque aſtrorum deſcriptionem, neque ſic in eorum vel magnitudinis, vel pulchritudinis vel motus & continuæ conuerſionis conſideratione defixi hæreatis, vt parui res Lunæ ſubiectas ducatis. Equidē ſtatuo ſapientiam, poteſtatem & prouidentiam numinis æque in corporibus hiſce inferioribus ac in ſuperioribus quæ cælo inhærent elucere. Hæc adde aliunde deſumpta. *An non iuſtiſſima nobis eſt cauſa ſapientiam creatoris noſtri & prouidentiam mirandi? cùm enim facilius ſit rerum exordia verbis explicare quàm eaſdem procreare, adeo tamen infra creatoris ſapientiam depreſſa eſt ſermonum noſtrorum facultas, vt nulla ſatis copia dicendi res quas nullo negotio produxit, exprimere poſſimus.*

Neſcio cur nonnulli authorem illum maximè omnium ſcriptorum à religione

alienum iudicarunt, cùm ita liquidò agnouerit diuinitatem & profeſſus ſit: at ſunt qui de illius fama detrahant, nec illius libros extremis (vt dicunt) digitis attigerunt, iique medicis obtrectant, qui mentem illorum & ſenſa non vident. poſſunt illi quidem vt homines vulgò peccare: ſed ſcientia & occupatio in qua verſantur, illos quomodo cenſeo ſic impios, & vti vocãt atheos eſſe non ſinunt. Aſſiduæ humani corporis conſiderationi adhæreſcunt, cuius conformatio, & figura liber Dei à veterũ nonnullis vocatur: cuius ex contemplatione nihil aliud aſſumi efficíque poteſt, quàm quod è Galieno proximè collegi. Si enim Phidiæ Minerua, Venus Apellis, Ægypti Pyramides, Rhodi Coloſſus, Artemiſiæ Mauſolæum, aliáque exquiſiti artificij opera admiratione authoribus concitauerunt: quis non obſtupeſcat admirabilem corporum noſtrorum compoſitionem, & quaſi ſtructuram ſpeculando, quæ primò nihil præterquam exiguus quidam humor fuerunt, eius autem tanta paulatim acceſſio facta eſt, vt poſtremo tot támque diuerſæ partes formatæ ſint tam aptæ, & inter ſe conuenientes ad totum

hoc atque perfectum opus fabricandum? Quotus quiſque cõtinuò ad Deum non excitetur, & cum Trimegiſto non dicat? Quis pictor adeò peritus ita commodè oculorum noſtrorum colores digeſſit, ita ſolerter affinxit? Quis explicuit labra, quis ora diduxit? quis neruos ſimul deuinxit? quis venas per totum corpus pertinentes inſtar riuulorum diſperſit? quis ad eam ſoliditatem oſſa firmauit? quis eadem connexuit, támque cohærenter illigauit? quis carnem tanta pelliculæ mollioris teneritudine veſtiuit? quis digitos articulóſque alios ab aliis diſiunxit? quis pedes ad reliquum huius ædificij pondus ſuſtinendum ea latitudine fundauit? quis tot meatuum zimis cutem aſperſit atque diſtinxit? quis lienem compreſſit, cordi figuram Pyramidis inuſſit, iecoris fibras radicémque texuit, pulmonum tubos perforauit, capacitatem aluo ſuam ſpatiúmque deſcripſit?

Digitized by Google

Continuatio earumdem è medecina in atheos rationum.

§. 7.

ATQVI præſtans illud animal, & propè diuinum multos habet morborum caſus, quibus ſæpiſſimè iactatur. Ita eſt: id autem nos è terra in cœlum traducit, & explicato quaſi velo nobis infinitam creatoris ſapientiam atque poteſtatem oſtendit. Quò enim ad hominis curationem muniatur via & ab illo mortis periculum propulſetur, animo comprehendenda nobis eſt, ac perdiſcenda vis lapidum, plantarum proprietas, animantium facultates noſcendæ, & efficientia cœlorum, vbi res innumeræ ac plenæ admirabilitatis occurrũt, quibus tanquam gradibus ad diuinitatem promouemur: In herbis comperimus, Rhabarbaro bilem deiici; Senna melancholiam, pituitam Ebulis, intybo ſanguinem purgari; Eſulam bene præparatam ad ſuperfluos humores exuendos adhiberi; calorem eruca, humiditatem portulaca, tapſo barbato ſiccitatem, lactuca refrige-

Digitized by Google

rationem induci, maluam lenire: betonicã cerebro, Euphraſiam oculis; oleum ex amygdalis amarioribus expreſſum auribus, gingiuis ſuccum portulaginis, cydoniorum ſemen linguæ, faucibus mora, capilli-veneris ſyrupum pulmonibus, porra melle coᴄta pectori, boraginem cordi, mammis fabaceam farinam, Dactylos ſtomacho, fumariam iecori, caterac lieni, ſtillatiticũ ceraſorum acidorum aquam renibus conducere videmus. Atque eiuſmodi morbos cæteráque incommoda quibus hominum vita conflictatur, innumeras propè remediorum quibus ſanentur rationes habere, quæ homini proſint, tametſi viribus ſuis herbulam procreare non poteſt. Oportet igitur ab aliquo potentiore quàm ipſe ſit ei tam abundè prouiſum, & proſpectum fuiſſe. Oportet eundem ab potentiore illo amari, quis autem is eſſe poſſit præterquam Deus? Cùm ergo ab illo diligatur, an non eo amore indignum ſe præbet, niſi tam beneuolum ſui amatorem agnoſcat, mutuóque ſtudio proſequatur. Propterea obſeruamus ſi ad ficum arborem taurus ferociter exultans alligetur, eum manſuefieri continuò atque

mitigari.

mitigari. Elephantum vaſtiſſimo corpore belluam, ſi mus illi occurrat contremiſcere, neque pabulum attingere quod ſenſerit beſtiolæ illius morſu arroſum fuiſſe: agnum à lupo abhorrere, quem vbi primùm animaduertit, licet aliàs viderit nunquam, effugit, atque ad matrem celerrimè contendit: pullum vixdum ouo exclusum ſibi à miluo, minimè autem à meleagride vel gallo gallinaceo timere: colubrum irritatum ab homine nudo in fugam coniici, quem perſequitur veſtitum: homini qui priùs in lupi oculos incurrat, quam eum ipſe viderit, vocis vſum præcludi: vitem à caulibus braſſicíſque refugere, cum vlmis populíſque coniungi. Cæterarum auium plumas cum aquilæ pluma permixtas in puluerem redigi atque conſumi. Vnguentum roſaceum & aquam roſis expreſſam cùm earum flores explicantur, ſua vi & odore ſpoliari. Hircinam pellem arte coriaria ſubiectam idem penitus olere atque hircos dũ appetitu coniunctionis incitãtur. Quo eodem cũ aper, & ceruus exardeſcunt carnem eius generis è ſalſamentario vaſe abſtractam, & in ollam ſubditis ignibus admotam, duriorem

fieri, intumeſcere, ſpumámque tam tetri odoris emittere, vt ad veſcendum apta vix eſſe poſſit. Si duo tympana quorum vnum lupina pelle, alterum ouina inſtructum fuerit, vna pulſentur ægrè admodum ex ouina ſonũ audiri. Si lyræ citharæ, vel fidiũ nerui ex lupi ouíſque ſimul inteſtinis conſtabunt, illos concordare numquam poſſe, cõcentúmque ſeruare. Si cantharides auribus applicentur, exoriri veſicas & ſanguinem mitti; à remora piſciculo nauem ſecundis ventis curſum in mari tenentem inhiberi atque retineri: ab aëtite lapide ſi ſupra mulieris prægnantis vterum affigatur, fœtum corroborari, elici verò educìque ab eodem infra poſito, ipsíque ſubiecto. Dum igitur hominis vtilitati ſtudemus, hæc atque alia pene infinita comperimus admiratione digna, quorum ſi cauſam eſſe quamdam naturæ conſenſionem vel diſſenſionem dicamus, plus aliquid adhuc à nobis requiri videmus, vlterius enim quæremus vnde illa ſimilitudo vel diuerſitas naturæ proficiſcatur, neque ſatisfieri nobis putabimus, donec gradum fecerimus ad Deum à quo plura fieri poſſunt quàm animorum noſtro-

Digitized by Google

rum intelligentia comprehendi. Præterea librum hunc rerum creatarum peruolutando res vniuerſas inter ſe aptas eſſe, & connexas notamus: terram cum lapidibus argilla coniungi: corallio quæ quidem planta eſt, lapideſcens radicum & ramorum productrix, lapides cum plantis annecti: inter animantes, & plantas zoophita mediç cuiuſdam conditionis collocari; quæ ſenſu prædicta motus éxperta ſunt, vitámque per radices trahunt lapidibus ſpongiarum inſtar alligatas: inter aquatiles, & terrenas animantes locum velut interiectum amphibia, fibros, lutras, teſtudines, cancros, carcinos & crocodilos tenere: inter aquatiles auéſque piſces ad volandum aptos, inter reliquas beſtias & homines, ſimias & cercophitos reponi. poſteaquam eo prouecti ſumus, nihílque iam homine ſuperius videtur. Illum tamen ſupremum eſſe non poſſe ſtatuimus, quippe qui tot támque diuerſis, quarum vix nomen memoria tenemus incommodis caſibúſque ſit obiectus, vt vel minimarum rerum creatarum opem neceſſariò requirat, quo ab illorum importunitate vindicetur. Atqui ſupremus ab eiuſ-

affirmat, hæc duo rerum genera in eorum quæ creata ſunt numero verſari: eadem eſt ratio zoophitarum cum animantibus, & plantis, generatimque corporum vniuerſorum quibus mixta eſt quædam natura, quatenus cùm duobus quæ committunt & illigant, extremis conferuntur. Quapropter idem penitus de homine ſtatuetur ſi eiuſdem illum conditionis eſſe conſtabit. Id autem nulli dubium eſt, nemóque non dicit hominem eſſe naturam ex corpore, & animo compactam atque permiſtam. Corporis enim participem eſſe ſolo manus tactu ſuadetur. animum verò habere, actiones eæ confirmant, quas quotidie exercet circa res à materia, proindéque à corporis natura ſecretas, & à ſpiritu aliquo earumdem authore profectas. Illa igitur duo extrema oportet alicubi reperiri ab homine copulata, ſimúlque colligata, nihilóque minus inter ſe diuerſa, penitúſque diſtincta. Dubitari ergo non poteſt quin ſpiritus ſint, quos ſi quis negabait, perinde faciat, vt ſi rationem euidentiſſimam oppugnet.

Quod modo dicturus ſum, rei huiuſce veritatem magis illuſtrabit:

Homo communi ſermone minor mundus appellatur, paucîque admodum vel nulli nomenclationis iſtius cauſam ignorant, quod nimirum ſummatim generales omnes naturarum gradus cõprehendat per ſingulas maioris illius mundi partes multipliciter, & copioſè diſperſos. Quod liquidò patet. Omnis enim effectus extra cauſas productus, eſt in rerum natura, eſt igitur & homo qui à cauſis ſuis profectus eſt, atque primo gradu potitur. Cùm ita ſit homo, alitur, augetur, & gignit, igitur viuit neque mortua eſt ipſius natura, ideóque fruitur, & vita quæ ſecundus eſt gradus. Præterea verò videt, audit, cæteráſque ſenſus functiones exercet: ergo & ſentit, quod in tertio gradu habetur. Deníque de rebus omnibus diſſerit quantumuis à corpore materiáque ſeiunctis.

Quocirca præterquam quod eſt, viuit, & ſentit, quarto etiam fruitur gradu, intelligendi ſcilicet facultate, vnde minor mundus conuenientiſſimè nominatur. At quoniam exiguum quodque ex maioris alicuius comparatione cuius veluti compendium ſit appellatur, conſectarium illud eſt, ſi homo contractis

Digitized by Google

hiſce anguſtiſque finibus ſuis quatuor naturæ gradus complectitur, eoſdem à mundo, ampliori quadam ratione contineri, alioqui enim maius à minori ſuperaretur, quod dici non poteſt. His ita poſitis, certóque nullius refragante ſententia comprobatis, aliud validius argumentum cogo ad ſpiritus affirmandos, cùm enim quatuor naturæ gradus quæ ab homine mundo minore poſſidentur, debeant pariter illuſtriúſque in maiore mundo reperiri, veriſimile eſt quartum, qui cæteris præſtat, in eo plus longè ſplendoris atque dignitatis habiturum. Si verò ſpiritus nulli ſunt, nuſquam hic gradus nedum perfectius exiſtet. nihil argumẽtatio illa dubitationis relinquit. nam homine & ſpiritibus excluſis, nihil in mundo præter cœlos, elementa, lapides, metalla, plantas, & animantes continetur. Atqui cœli elementa, lapides & metalla tantummodo ſunt, nec vita fruuntur, plantæ inſuper viuunt, ſolus ad hæc animantibus ſenſus accedit. Igitur aut nobiliſſimus naturæ gradus neutiquam erit (contra quàm poſuimus & veriſſimè aſſeueramus) aut ſpiritus adſciſcendi mundíque pars illa nume-

Digitized by Google

randi ſunt quæ quartum hunc gradum tenet. Concluſio illa cùm ex ſuperiori conteſtatáque veritate cogatur, à nullo reiici poteſt qui ratione vtatur, ideóque confitendum eſt, ſpiritus in mundo agnoſcendos, quemadmodum præſtantiſſimi quique celeberrimique Philoſophorum Hebræi, Chaldæi, Græci, Latini, vniuerſæque nationes prędicarũt, qui cùm animaduerterent præterea in cœlorum, elementorum ac cæterorum corporum confirmatione tantum ordinem eſſe deſcriptum, conſtantérque ſeruari, prudentiſſimè cenſuerunt eumdem longéque certiorem à nobilibus illis naturis adhiberi. Cùm autem in quolibet ordine tum aliquid ſuperius aliúdque inferiùs, primúmque & itidem poſtremum reperiatur, atque inter intelligentias vna quæpiam cæteras ſuprema quadam authoritate moderetur, ita primum aliquem inter ſpiritus vniuerſos altiſſimum atque ſupremum poſuerunt, eiuſmodi reapſe quiſpiam eſt, nec alius præterquam Deus.

Extraordinarij morbi cauſarum naturalium efficientiam ſuperantes idem confirmant.

§. 4.

VERE quidem ſupremus ille eſt, quandoquidem cùm ipſi viſum eſt, ita luculenter potentiſſimis quibuſque ſuarum virium pondus oſtentat, dum eos inuſitatis ſæpe morbis afflictat, percellit, labefactat, euertit, quos fatendum eſt ab illo vno proficiſci, qui conſuetis potiùs ingraueſcunt remediis quàm ſanentur. Huiuſmodi fuit (ſi Ioſephum authorem Iudæum audimus) Herodis morbus immanis illius innocentium adhuc infantium interfectoris, cui quanto plus operæ medici nauabant, tanto minùs proficiebant, nec præſtare potuerunt vt ne cutis exterior tota torreretur, aut ne inteſtina, rabioſáque fame conficeretur, quam nulla ciborum copia ſatiaret. Ne viſceribus plagæ inſanabiles inurerentur, ne ſubflauus & putidus humor ab ore ad pedes dimana-

ret, ne vermium morſibus incredibili cum dolore, & laniena roderetur, ne intolerabilem tum putredine membrorum, tum oris carcinomate odorem exhalaret. Balnea calenti oleo perfuſa, quo poſtremo omnium medicamento vſus eſt, eóque alleuandus ſperabatur, membrorum articulos commiſſuráſque diſiunxere, & capite oculos excuſſerunt. quæ ipſi cruciamenta miſeram denique mortem conſciuerunt, nullo diſſimulante, id pœnę à Deo mundi ſupremo imperatore illi ob importuniſſima flagitia & ſcelera fuiſſe conſtitutum. Doctus æquè, & eloquens Fernelius noſter veritatem illam luculentis hiſce verbis confirmat, cap. 16. libri ſecundi de abditis rerum cauſis. *Supra mundum aſpectabilem, alium ſenſibus nullis obuium, Deo ſpiritibúſque confectum cogitatione complectimur, mortalis huius ſummum cuſtodem, & gubernatorem, à quo etiam multa homini alias ſalutaria, alias noxia, & peſtifera impendent. Deus itaque maximus, omnia in poteſtate habet quæ condidit, & quicumque vult ea deducit.* Deinde hoc addit exemplum, quo probet homines nonnumquam à dæmonibus ſupremi numinis

permiſſu afflictari. *Iuuenis familia equeſtri paucis antè annis corporis concuſſione, & quaſi conuulſione ex temporum interuallis laborauit, qua nunc ſolùm ſiniſtrum brachium, nunc dextrum, interdum etiam digitum vnicum, aliàs crus alterum aliàs vtrumque, aliàs corporis truncum tanta celeritate exagitaret, vix vt à miniſtris quatuor decumbens cohiberetur. Caput etiam inconcuſſum iacebat, lingua & locutio libera, mens ſana, omnéſque ſenſus integri vel in conuulſionis ferocia. Decies minimum corripiebatur: in interuallis ſanus, ſed labore confractus. Vera epilepſia iudicari poterat, ſi mentis ſenſuúmque læſio acceſſiſſet. Peritiſſimi quique adhibiti Medici conuulſionem epilepſiæ finitimam à maligno venenatóque vapore ſpinæ dorſi impacto cenſuerunt: & quo vapor in eos neruos emanaret, qui à ſpina in artus quoquouerſum, non autem in cerebrum diſſeminantur. Hæc credita cauſa vt ſummoueretur; clyſteres imperantur frequentes, purgationes generis omnis, & validæ, cucurbitulæ infiguntur, neruorum initiis fotus, vnctiones, emplaſtra, primùm quæ diſcuterent, dein quæ roborarent, venenatámque malignitatem obtererent. His parum proficientibus ſudores proliciuntur balneis,* &c. *quæ nihilo*

magis profuerunt. Quoniam omnes longè aberamus à cognitione veri. Nam menſe tertio primùm deprehenſus dæmon quidam totius mali author, voce, inſuetíſque verbis ac ſententiis tum Latinis, tum Græcis (quamquam ignarus linguæ Græcæ laborans eſſet) ſe prodens. Is multa aſsidentium maximéque Medicorum ſecreta detegebat ridens quòd eos magno periculo circunueniſſet, quódque irritis pharmacis corpus hoc penè iugulaſſent. Quoties laborantem pater inuiſebat, is procul à conſpectu clamabat, appellentem hunc arcete, & ab ingreſsione propulſate, aut torquē è ceruice detrahite: ex hoc enim, (vt Gallorum torquatis equitibus in more eſt) diui Michaëlis imago propendebat. Si ſacra diuináque verba coram legebantur, ferocius ſubſultabat, & inhorreſcebat. Quum intermiſsio erat ferociæ, laborans in quiete omnium meminerat, quæ inuitum ſe protuliſſe fatebatur, & dolebat. Cerimoniis & execrationibus compulſus, dæmon negabat ſe crimine damnatum, & ſpiritum ſe nuncupabat. Interrogatus quis eſſet, aut quomodo, & qua hac poteſtate moliretur, dixit multa intus eſſe domicilia, in quæ ſe recondat, & inquiete ad alios commigrare: ſe in hoc corpus iniectum à quodam, cuius nomen non efferret. Hanc inſignis ille Medi-

Digitized by Google

cus hiſtoriam ita concludit. *Neque hæc vt noua profero, ſed vt conſtet dæmones aliàs intro ſubeuntes in corpus, idipſum variis & inauditis interdum modis laceſſere*: Deus igitur ſupremus eſt, rerum vniuerſarum moderator ac princeps. Eúmque in eiuſmodi effectibus atque exemplis ignorare, incredibilis eſſet extremæque ſtupiditatis.

Quod ad dæmones ſpectat, illorum quotidie conatus & vires in ligula (vt loquuntur) nefariè ſtringenda experimur. Cùm enim id mali omnem naturalium inſtrumentorum cauſarúmque vim ſuperans, grauiſſimæ ſit improbitatis illius authores & Architectos eſſe dæmones oportet, etſi prauorum ea in re hominum opera vtantur. Mali enim effectus, quin mala ſit cauſa fieri non poteſt, atqui malum eſt priuatio boni, nulla autem priuatio ſine oppoſita ipſi forma intelligi poteſt, vt nec morbus ſine bona valitudine, nec ſine vita mors cogitari. Si ergo mali ſpiritus eſſe creduntur bonos item eſſe dicendum eſt, & inter eos vnum aliquem ſupremæ bonitatis quiquidem eſt Deus. Verè bonus cùm hæc mala permittat, atque ex iiſ-

Digitized by Google

dem id etiam boni deriuet, vt eorum ſubſidio, & velut adiumento ad numinis ipſius notitiam erigi, & ab omni genere impietatis animos noſtros auocare longéque ſemouere poſſimus. Cuius argumenti momentum & pondus ad eas etiam pertinet morborum ſanationes, quæ viis quibuſdam & modis ab arte noſtra procul alienis curantur. Quos ratio docet nihil per ſe ad præſtandos qui conſequi ſolent effectus valere. Veluti quum ab aliquo vulnera ſolo thorace ipſi commiſſo, crus luxatum periſcelide accepta, febres ſortilegis quibuſdam ſcedis de collo ſuſpẽſis, ſtrumæ ac diſtorſiones equorum magicis carminibus ſanantur. nam exploratiſſimum eſt, in eiuſmodi vocibus verbíſque ore prolatis, in notis manu perſcriptis, nihil ad ſanitatem quæ præſtatur accerſendam poſitum eſſe momenti. Ex quo efficitur euentus illos à cauſa validiori debere neceſſariò proficiſci. Si malus quiſpiam ſpiritus id molitur, quemadmodum credo, bonus alter ponendus eſt quomodo probaui.

Digitized by Google

Alia probatio è morbis cum miraculo ſanatis.

§. 10.

VERVM enimuero idipſum vehementius confirmant morborum inuſitatæ depulſiones, quæ præter ſupráque omnem Medicorum noſtrorum artem bonarum cauſarum vi & ſolertia procurantur. Plurimi nec ſine cauſa ſtatuerunt difficilem admodum eſſe ſtrumæ curationem, in iis maximè, quorum vltra vigeſimum quintum annum progreſſa eſt ætas. Oritur ſicut & alij ſcirroſi tumores ex pituita gypſata craſſiori & glutinoſa, quæ ſi melancholicus humor admiſceatur, inflammatur, vlceráque ſeptica, & carcinoſa fiunt, quæ glandulas partes vicinas corrodunt: quod quidem ſi collo vel axillis vel inguinibus, aliiſve corporis partibus contingat, nullum ſanandi locum relinquit, ac tandem langore, tabe, & ſiccitate nullius vel Medici vel Chirurgi opera iuuante conficiuntur, quos id morbi genus inuaſit.

Nihilo tamen minus oculis noſtris intuemur, omnéſque Europæ nationes prædicant illos, cæteris omnibus medicamentorum generibus abiudicatis, ſola manuum tactione à Regibus Galliæ noſtræ ſanari. Quod nec eorum perſonæ acceptum referri poteſt, antequam enim Reges eſſent, id tactu ſuo minimè præſtabant, neque regiæ conditioni, cùm enim ſolius Poloniæ Henricus tertius, Nauarræ Henricus quartus Reges eſſent, nec ſanitatem vlli contulere, nec cuiquam conferre potuerunt.

Ergo tranſiliendi ſunt naturæ fines ad cauſam huiuſce rei veſtigandam, idque peculiari Dei beneficio tribuendum, quo legitimos huius imperij Reges ſingulariter ornari velit, atheóſque conuinci: quid dicam de mirabili ſanitate quam reſtitui pleriſque quotidie videmus, qui rabioſorum canum morſu appetiti, vbi diuo Huberto votum nuncupauerunt virus propulſant, mortíſque diſcrimen, quod prætermiſſo aliorum remediorum vſu adituri fuiſſent, certiſſimè declinant. Baldus veſter Domine mi (Iuriſconſulto ait) eo caſu in furorem adductus mortem obiuit, ſe enim catelli

luſione

luſione oblectans, eiúſque morſu ab labris leuiſſimè perſtrictus, eum rabie captum eſſe neſciret, plagam neglexit, quartóque pòſt menſe furioſus interiit, nec vlla medicinæ potuit alleuatione ſeruari. Quis porro Deum in cæteris quæ in dies ope auxilióque Sanctorum imploratis ſuccedunt, mirabilibus euentis non colat, non amet, non omni gratiarum genere officióque proſequatur. Auennis in exigua Campaniæ vrbe Remis quatuor circiter leucas diſtante, celebris eſt Abbatia diui Benedicti legibus, inſtitutóque adſtricta, vbi multæ nobiles fœminæ, illuſtris non modò familiæ, ſed ſingularis præterea virtutis pietatíſque gloria inſignes in continuo numinis cultu, & obſequio verſantur. Inibi ſingulis fere hebdomadis ad diuæ Berthæ ſepulchrum quidpiam euenit quod ad miraculi opinionem accedat. Quapropter eò multis ex locis ægroti concurrunt, vixque vlli diſcedunt quin optatos ſalutis exitus conſequantur. Id oculorum ipſe meorum teſtimonio ſenſuque percepi, non ſine admiratione ſtudióque diuini numinis laudandi à quo ſanctos, ita ſuos etiamnum in terris cohoneſtari

Digitized by Google

viderẽ. Turnonem modò præteriimus, anno proximè ſuperiori decimo quinto, menſis Auguſti die, in bonam valetudinem mulier in Delphinatium, vrbe admodum nota Romanio, eadem omnino prodigij ratione reſtituta eſt. Illa ſeptem ab hebdomadis omni oculorum vſu orbata, cùm à morbo recreari, neque Medicorum, Chirurgorum, & Pharmacopolarum artificio, neque vlla medicaminum ope potuiſſet Beatæ Chriſti parenti à monte acuto nominatæ cui eadem in vrbe ad vnum è Collegij Sacellum extructa eſt imago, ſeſe illa voto religiosè obſtrinxit, quo à coniuge ſuo perducta, ipſomet die dum Euangelium pronunciaretur in ſacro, explicare oculos cœpit, cereóſque ſuper altare accenſos contueri, tum ad diuinam Chriſti Domini corporis communionem admiſſa coniugem cæteróſque præſentes agnouit, móxque digreſſa ſine cuiuſpiam adminiculo vel ductu conficere iter reliquum porrexit, deinde paulatim ad integram oculorum ſanitatem peruenit, quo in ſtatu etiamnum verſatur, nec vllam agendarum Deo ſanctæque ipſius parenti gratiarum occaſionem præter-

Digitized by Google

mittit. Poſſem ego magnam hiſtoriarum eiuſmodi copiam commemorando recenſere, quas de induſtria tacitas relinquo cum cæteris quæ medicis identidem occurrunt animi ad diuinitatem excitandi inuitamentis: vnum modò vel alterum omnibus commune caput adiungam.

Argumentum è cæleſtibus prodigiis aduerſus atheos aſſumptum.

§. II.

MAXIMAS ſemper quibus homines affecti ſunt pœnas, publicáſque calamitates cœleſtia quædam ſigna anteceſſerunt. Ante vrbis Hieroſolymitanæ euerſionem Ioſephus & Euſebius teſtantur, præter multa quæ ad terrorem exciterunt oſtenta, cometam, inſtar enſis ignei, & admodum fulgentis horribilem per anni ferè integri ſpatium ſupra templum apparuiſſe. Atque vt ne hiſtorias ab vltima antiquitate repetamus, compertum eſt, antequam Conſtantinopolis inuaderetur à Turcis in aëre ingentem exercitum, cum infinita

Digitized by Google

canum cæterarúmque belluarum copia viſum fuiſſe. Anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo octauo, cùm totam pene Germaniam hæreſes occupaſſent, vnde tot miſeriæ in Chriſtianum genus redundarunt, extitit in VVeſtria adeò terribilis cometes, vt ex ſolo illius aſpectu multi perierint, tametſi per vnam tantùm horam cum quadrante permanſit: prodiit primùm è Solis orientis parte meridiem verſus, longitudinis immoderatę, & ſanguinei erat coloris, extabat in faſtigio figura brachij incurui, & ad ictum infligendum parati, oblongum enſem manu intentantis, cuius ad extremum mucronem ſtellæ tres ſplendeſcebant, maximè tamen omnium ea quæ propius erat cuſpidi ſubiecta. Ad vtrumque latus ſpectabatur magna enſium, haſtilium, tinctorum ſanguine gladiorum multitudo, quibus permixtæ facies humanæ obrigeſcentibus capillis, horridáque barba terrorem inferebant. At recentiore memoria teſtes, quorum oculis perſpecta res fuit affirmant, anno milleſimo ſexcenteſimo decimo octauo, vigeſima ſexta Iunij menſis die, hora noctis ſecunda, pleriſque maximum in Germa-

nia lumen viſum fuiſſe, quod paulò pòſt duas in partes fermè æquales diuiſum eſt, earúmque vna tres in alias diſtincta. Vnde quatuor omnino cùm ſupra vrbem Pragenſem eminerent, illis quinta rotundæ figuræ acceſſit, ſuprà effigies crucifixi extabat obuerſa facie ad alia quatuor lumina, quorum in tribus ſanguinolentæ cruces apparebant: interiecto breui temporis ſpatio omnia hæc lumina ſimul coierunt, ex quibus vnum longè maximum extitit, ſupra crux cum haſtis duabus cruore infectis anno proximè conſecuto intelligere potuimus quid illa portenderent. Cuius porro prænuncia calamitatis eſſet longa illius, quem eodem per menſes Nouembrem ac Decembrem vidimus cometæ cauda ſatis ſupérque ſumus experti. Hominibus igitur qui hæc percipiunt, & intuentur aliquidne poſſet relinqui dubitationis, quin Iudex aliquis ſuprêmáque poteſtas, & prouidentia omnino perfecta in cœlo adeſſet. Ego quidem contra diſputans ſentiénſque ſic tandem ſermonem hunc meum cum nobiliſſimo equite concludo, tametſi animo plures vitæ liberioris homines, minus religioſi pii-

Digitized by Google

que in Deum quam par eſſet occurrant, non tamen credibile eſt atheos reperiri poſſe, atque grauiſſimam dedecoris notam Medicis inurunt, maximámque iniuriam important, ſi qui eos in tantæ impietatis ſuſpicionem adducunt.

Superioris & huius temporis athei.

§. 12.

MALIM ego (reſpondet Iuriſconſultus) facilitate quadam opinioni tuæ conſentire, quàm rationes tuas imprudentiùs oppugnare; dabis tamen id mihi plus, vt illas ad refutandos atheos valere contendam, quam ad eos ex hominum memoria, & cognitione delendos, illiſque probari quidem eſſe nullos debere, minimè verò nullos penitus eſſe perſuaderi. Inter antiquos Diagoras, Theodorus, Euemerus, Critias, aliíque nonnulli Deum negarunt, eóque nomine plerique pœnas dederunt.

Qui de primæ ad Indiam orientalem nauigationis rebus ſcripſere, animaduerterunt Braſilienſes cùm vitam penè ad belluarum mores abiectam degerent, ita

cognitionem diuinitatis ſi minus extinctam (ariolos enim, & ad ſpeciem diuinationis coniectores fouebant) at valdè infirmam penéque obliteratã habuiſſe, monumentiſque prodiderunt iis vſum fuiſſe nullum trium quas tenemus literarum F. L. R. quaſi diuinæ alicujus vltionis exemplo, quod Fidei Legis, & Regis expertes manerent.

Poſteaquam verò Deus optimus maximus euangelij ſui luce mundum illuſtrauit, multo quidem pauciores extiterunt, fatendum tamen nimio plures, vel noſtris hiſce temporibus fuiſſe. Scimus enim primò deteſtabilem illũ Vallęum, criminis iſtius conuictum, damnatúmque Pariſiis, anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo quarto fuiſſe combuſtum. Sceleratus ille docuerat ad manum & in vſu habendas eſſe Caluinianas inſtitutiones, ad eam quã pollicebatur libertatem facilius obtinendam. Narrat Lindanus hominis, vel pecudis illius familiares cùm Geneuæ conueniſſent, anno 1536. capitum quorundam Catholicæ fidei, ac nominatim Purgatorij, ſanctique Miſſæ ſacrificij euertendorum rationem, & conſilium inituri, vnum è ſectæ

principibus pro ſententia dixiſſe faciliorem, & magis compendiariam viam eſſe nullam, quam ſi animæ immortalitas negaretur: Certum eſt autem eo cum errore coniunctam, & implicatam eſſe numinis ex hominum opinione delendi libertatem. Impium & omni dedecore infamem Machiauelem omitto, putidámque illius doctrinam qua multis liquet velut exitioſa peſte infectos ac perditos fuiſſe, qui ſibi antiquiores eſſe politicæ rei quam religionis rationes, víxque vllum diuinitatis ſenſum animis ſuis reſidere probauerunt: iis igitur quas explicaſti rationibus, & argumentis adductus tecum ſentio, niſi homo humanam penitus exuerit naturam, Deum illi neceſſario eiúſque cultum eſſe profitendum. Tu porro id etiam pariter mihi concedes, nonnullos ita corruptos vitiíſque deprauatos eſſe, adeóque in voluptatum conſuetudinem immerſos, vt vitam ab omni numinis cognitione alienam traducant, atque ad illam vltro adhæreſcant temeritatem opinionis, quo pœnarum quas ſcelerum conſcientia minitatur timorem, & cogitationem abſtergant. Verùm ſi lubet (inquit ad re-

Digitized by Google

ligioſum conuerſus) hanc tua ſententia diſputationem moderabimur atque definiemus.

Theologica contra impietatem atheorum argumenta.

§. 13.

TOT in vtramque partem ſuppetunt, & à vobis afferuntur argumenta, vt de veſtra hoc in genere controuerſia ægrè admodum diiudicari queat; mihi verò alia inſuper plurima occurrunt, quibus anceps animus meus incertúſque teneatur. Sacrarum in literarum commentariis lego. Dixit inſipiens in corde ſuo non eſt Deus. nec porro dubium eſt, quin ſtultus ille homo atheus ſit, in quem inuehuntur ac vehementiſſimè declamant quotquot huius in loci explicatione verſantur, diuinéque imprimis Diuus Chryſoſtomus hiſce verbis. *Dixit inſipiens in corde ſuo non eſt Deus. Vnde igitur fit vt omnes Deum implorent, hominum millia Deum profitentur, ſolus inſipiens qui negat. credet ſe mentiendo verè loqui? communis hominum conſenſus eum condemnat qui teſtamenti ſex aut ſeptem teſtium ſigno, & authoritate muniti vim reſcindere*

aut minuere conatur: at ſolus inſipiens ſe conuulſurum eſſe confidet, quod oris vniuerſi lingua per omnium ſæculorum ætates prædicant. Non eſt Deus, ô ſummam ſtultitiam? non eſt fundamentũ, & quomodo ſtat ædificium? non eſt carina, & quomodo conſiſtit nauigium? non eſt fabricator nauis, & quonam modo nauis compacta eſt? non eſt ædificator, & quonam modo domus facta eſt? non eſt architectus, & quis vrbẽ condidit? nõ eſt agricola, & quomodo agri tulere manipulos? non eſt muſicus, & quomodo in mundi lyra apparet concentus? non eſt qui prouideat, & quomodo per omnia peruadit prouidentia? non eſt auriga, & quomodo elementorum quatuor currus agitur? non eſt ſtatuarius, & quomodo homines veluti quædam ſtatuæ in mundo facti ſunt? non eſt fornicis conſtructor, & quis tibi cæli fornicem conſtruxit? non eſt aurifex, & quis veluti diſcum aureum, tanquam in menſa, ſolem in cælo poſuit? non eſt qui ferat lampadem, & quis tibi veluti lampadem argenteam dedit lunam in nocte? non eſt qui illuminet, & quis tibi clara & lucem præbentia dedit luminaria? Quis accenſos aſtrorum lychnos tibi in cælo poſuit quemadmodum dicit Propheta: Qui facit luminaria magna ſolus, Solem vt præſit dici, & Lunam vt præſit

nocti. Non eſt opifex, & quomodo pulchritudo creaturarum teſtatur creatorem? ex magnitudine enim & pulchritudine creaturarum conuenienter earum genitor conſideratur. Dixit inſipiens in corde ſuo non eſt Deus. Quæcunque in mundo fiunt, aguntur, & exercentur, habent qui eis præſit, eáque perficiat: & ſolus mundus non habet qui eum adminiſtret? ſi non eſt Deus, quid facis in iis quæ Dei ſunt: in domo Dei manes, & domum Dei inficiaris? vel da mercedem domus, gratiarum actionem, vel domo egredere. Ex hoc Diui Chryſoſtomi ſermone vbi variæ rationes aliæ aliis adtextæ, & aggregatæ continentur ad coarguendam atheorum vanitatem euidenter patet grauiſſimo illi ſanctóque Doctori viſum Dauidē de illis locutū fuiſſe, eumdémque ſenſiſſe, vel reapſe atheos eſſe, vel poſſe aliquos eſſe.

At audio ex Paulo, *quod eſt cognoſcibile Dei*, ac de illo percipi poteſt naturaliter, ſcilicet veluti quod exiſtat, quod æternus ſit & iuſtus &c. *manifeſtum eſt hominibus*. quod quidem ego ad ſancti illius quem ante loquentem induxi doctoris ſenſum perpendens, comperio id non ab Angelis, vel Prophetis, aut Euangeliſtis declarari, hominibúſque proferri, ſed ab

Digitized by Google

lumine naturæ, atque rationis ad rerum creatarum contemplationem vi aliqua ſermonis explicatæ. *Res creatæ* (inquit alio in loco) *omnium oculis expoſitæ ſunt & patent, quo ab illis quilibet creatoris cognitionem attingat, ideóque Dauid cantabat, Cœli enarrant gloriam Dei. Sed quo tandem in modo, cùm neque ore, neque voce, neque lingua hunc in vſum inſtructi ſint? oculorum tuorum opera id præſtant, cùm enim in illis perfectam pulchritudinem, amplitudinem immoderatam, ſublimem altitudinem formam illam & ſitum ita conuenientem, tótque annorum diuturnitate conſtantem, ſtatim ab oculis ad creatorem tam admirabilis operis adorandum incitaris. Quod te docent non auribus, ſed oculis perceptæ longè clarius certiùſque tibi teſtimonium præbet.* Et alibi ait id teſtimonij tam efficax eſſe. *Vt dicere poſſimus Deum fere à nobis manibus tangi:* quia nimirum non poſſumus rerum creatarum dotes, & perfectionem vel leuiſſimè contueri, quin continuò in iis tanquam in ingenti ſpeculo diuinitatem cernamus. Idem fermè Plato dicebat ex rerum, quæ ſub aſpectum cadunt, ſpecie creatoris perfectionem protinus explicari. Itidem Orpheus fabricam vniuerſita-

tis iſtius ſuauem eſſe muſicæ concentum, quo Dei laudes decantãtur, aſſiduéque celebrantur. Eodem ſenſu Triſmegiſtus, vt oculi noſtri Deum attingere non poſſint, ſe tamen quaſi manibus noſtris attrectari permittit. Omnium optimè ſapiens *à magnitudine ſpeciei & creaturæ, cognoſcibiliter poterit creator horum videri.* Sap. 13. magnúſque gentium Apoſtolus & doctor inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque virtus eius & diuinitas &c. Quis enim cúm motum corporum attendit non argumentetur, eum ſine primo à quo pendeat eſſe non poſſe? quis cauſarum ordinem conſiderat, qui non cogitat illum prima aliqua definiendum eſſe? quis varios perfectionis rerum creatarum gradus animaduertit, quin hoc modo aſſumat, oportet igitur principium aliquod eſſe omni abſolutione perfectum vnde proficiſcuntur? quis deni-que res vniuerſas ita ſapienter ſuum ad finem contendere videbit, qui non affirmet ponendam eſſe neceſſario præſtantis alicuius ſupremæque intelligentiæ vim, cuius induſtria totius orbis adminiſtratio dirigatur? Adeo enim cum

natura congruunt ſermones illi, tam perſpicuæ ſunt eiuſmodi rationes, vt ſub aciem notitiámque hebetiſſimi cuiuſque ſubeant atque ſuccedant, ſi oculis modò vtatur, nec eum quin Deum eſſe concedat dubitare patiuntur.

Eadem continuantur argumenta.

§. 13.

IDEM vt faterentur olim Cleanthes Stoicique præſenſionis rerúmque futurarum prædictionis obſeruatione præſertim adducti fuerunt. Certè quidem plurimùm in ea re ponderis eſt, atque momenti ad huiuſce comprobationem opinionis. Neque enim agitur de rebus præſagiendis, quæ neceſſariis in cauſis quomodo Solis & Lunæ defectiones in cœlorum diſpoſitione motúque continentur, ſed de aliis pleriſque quæ vt exiſtant poſitum eſt in hominis arbitrio ac libertate, vel cum ſecundis (vt loquuntur) cauſis neutiquam implicantur. Quis igitur res ſic abditas, & abſtruſas præuidere poſſit. non aſtrologi quidem ſtellarũ aſpectu, cùm altiores ſint res illæ atque

ſublimiores, quàm vt ad eas cœli vis & efficientia pertinere poſſit. Ridiculum eſt autem id acceptum referre acumini, expeditæque in rebus effingendis celeritati phantaſiæ alicuius cùm intellectus patibilis, benéque inſtituti habitibus ad agendum, & contemplandum aptis ornati adminiculo intellectus vniuerſalis, & agentis quemadmodum Arabs Auerroes aſſeuerauit. Senes enim quibus hebetior eſt plerumque phantaſiæ vis, optimè ſæpius futura prædixerunt, multique alij qui nunquam ſtuduerant ingenium vlla naturali cognitione locupletare, prophetæ nihilominus inſignes fuerunt veluti Dauid, cuius ętas omnis in paſtoricio munere fuerat contrita, & Amos qui operam ſuam tempúſque in bobus cuſtodiendis collocarat. Erit igitur certè quidem intellectus agentis hoc munus, non qualem Philoſophus, ille ſomniando confinxit, at omnium ſupremus qui Deus eſt, vt Ptolomæus agnouit, affirmans qui res ſingulares è libertate pendentes prædicunt, eos non aſtrorum, ſed Dei afflatu & inſtinctu moueri: Platonicique Iamblicus & Porphyrius teſtantur, res longi temporis interuallo

à conſpectu noſtro remotas (niſi neceſſariæ ſint) nec arte neque naturali facultate, ſed ſolo numinis afflatu fieri poſſe. Eiuſmodi verò prædictionum euentus ſucceſſiſſe Iudæus legit in Prophetarum libris, Ethnicus in ſibyllarum monumentis animaduertit, indidem aliíſque ex locis nouit Chriſtianus. An non idem fatendum de rebus arcanis, & naturę intelligentia diſiunctis, quæ ſæpiſſimè in lucem aſpectúmque prodierunt, vt innumera pene exempla confirmant, è quibus mirabile eſt quod de Diuo Benedicto narratur. Totila Rex Gothorum, cùm experiri vellet num vt audierat, res à corporis obtutu procul alienas atque diſtantes, ſanctus ille vir acie mentis, & animo videret, ad eum ſe accedere certo die ſignificauit, at ſuum in locum ſubſtituit Riggonem quo à conſiliis vtebatur regiis veſtibus indutum Ruderico & Blandino, maximè apud ipſum gratioſis principibus, frequentíque aulicorum turba ſtipatum. Eum graui & ad regiæ maieſtàtis ſpeciem efficto inceſſu venientem Benedictus intuens ſe loco vbi ſedebat editiori non commouit, cùm propiùs acceſſiſſet, vnde poterat audiri,
ſanctus

ſanctus exclamat, Depone fili veſtem quam geſtas, non enim tibi conueniens eſt, quo ille monito perculſus, ac pudore affectus ſe cum cæteris in terram abiecit, qui omnes admiratione capti ad Totilam redeunt, rémque vti ceſſerat, explanant. Rex confeſtim ipſe ad Dei ſeruum veniam petiturus adiit, à quo de immoderata viuendi licentia obiurgatus, futuri Romanam in vrbem introitus, maríſque tranſmittendi, & regni per nouem annos prorogandi, ac tandem vbi decimus aduentaſſet è vita diſcedendi nuncium, & prædictionem accepit. Exitus præſagitioni reſpondit.

Quis porro ſi homo tantùm ſit id agere queat? num Gothorum ſtupidiſſimi quique huiuſce rei auditione percepta de veritate diuinitatis atque adeo de illo quod Diuus Benedictus venerabatur, numine dubitare poſſint? Hiſtoria de ſeptuaginta Interpretum commentariis tradita luculentam ſancto Iuſtino Martyri aduerſus Gentiles argumentandi ſegetem ſubminiſtrat, huic non inopportunam loco atque ſermoni. Cùm Ptolomæus cognomento Philadelphus Rex Ægypti luculentiſſimam ex-

trui Bibliothecam curauiſſet, vndique præſtantiſſimos quoſque libros illi adiungendos conquiri iubet. Demetrius Phalerȩus, cui Bibliothecæ totius adminiſtratio commiſſa fuerat, regi ſignificat egregios admodum Hebræis eſſe, ſed vernaculo tantùm ipſorum ſermone conſcriptos, quos ſi non modò importari iuberet, ſed etiam à literis Hebræis in Græcas conuerti, magno id Bibliothecæ ſuæ ornamento futurum. Rex conſilium probat, hominémque certum illico ſummo Pontifici Eleazaro mittit, qui ſuo nomine libros illos expoſcat, ſimúlque ſex è ſingulis tribubus longè peritiſſimos authores, à quibus iiſdem in Græcum ſermonem transferrentur. Obſequitur Eleazarus, cuius iuſſu ſeptuaginta duo è ſynagoga ſelecti grauitate & vtriuſque linguæ ſcientia præſtantes ſe viæ committũt, à rege primùm liberaliter, & perhonorificè accepti, in Pharum inſulam Alexandriæ vicinam deducuntur, vbi ſingulis priuatum ac ſeparatum conclaue deſcriptum aditur, atque intra ſeptuageſimum diem ſuum à quolibet penſum, hoc eſt impoſitum libros Hebræorum canonicos in Græcum ſermo-

Digitized by Google

nem vertendi munus expletur. tum enimuerò mirabile illud euenit, vt eadem ad verbum vnius interpretatio reperiretur, atque alterius cuiuſuis ſingulorum, perinde vt ſolent omnia quæ librariis typis excuduntur, eiuſdem argumenti exempla penitus ad ſyllabam conuenire. Magnus ille Philoſophus & Martyr Iuſtinus, cùm ethnicorum mentes crederet re tam mirabili commouendas, eam illis expoſuit vt eoſdem ad aliquem veri Dei notitiam atque ſenſum vocaret. Quis autem iudicio præditus non eodem argumento atheos quaſi acutiſſimo gladio configi iugularíque cenſebit.

His ergo de cauſis, & aliis pleriſque hoc in loco ſi luberet explicandis, (Domini mei) videtis, quàm ægrè & difficiliter poſſit veſtra contentio decidi, eo tamen omnia pertinere mihi videntur, vt certò ſtatuendum ſit atheos eſſe nonnullos, qui tamen ſi quam demonſtrauimus lucem adhibuerint, retexant illico ſeipſi, & à ſua facilè ac vltro impietate decedant. Sæpè enim nonnulli videntur, qui mente in omni flagitiorum genus effuſa ſolis voluptatibus lenocinentur, ſola

Digitized by Google

huius vitæ bona conquirant, ſenſúque ad iniquitatem proiecto appetitionibus ſuis inſtar belluarum addicti, omnem quoad eius fieri poteſt conſcientiæ morſum excludunt atque profligant, quod vt ſecuriùs moliantur, eiuſmodi ſtimulos, vanas eſſe formidines ab leuiſſima immortalitatis opinione confictas, tandémque omnibus ad ſummam licentiam abiectis Deum eſſe nullum contendunt, atheique tandem euadunt. At cùm maturitas acceſſerit ætati, ſi colligere ſe voluerint tantiſper, & ad breue tempus voluptatum occupationem abdicare, tum verò aliæ penitus cogitationes ſuccurrunt, ſentiúntque vix eo ſuum adduci animum poſſe, vt ſe canis inſtar moriturum, vitiáque nullius iudicis quæſtioni ſubiicienda eſſe arbitretur. Nónne atheiſmum ita ſuum abſtergunt. Credo prætereà paucos admodum eſſe, qui ad extremum vitę tempus finémque voluptatum adductos vbi ſe vident, & ab omnibus præterquam à ſcelerum conſcientia deſertos, non ſollicitè cogitent quid ſibi futurum ſit, atque ea de re grauiſſimè laborent, tandémque formidine impulſi quod viui Deo negarunt

Digitized by Google

obſequium eiurata impietate perſoluāt. Commemorat Plutarchus ab Elephanto ſigna nonnumquam edi religionis, dum ſe mari abluit atque perpurgat, ſéque ad ſolem orientem proboſcide ſurſum pro manibus erecta conuertit. Credine poſſit id à bellua præſtari, nullum verò per totum vitæ tempus ab homine creatori ſuo cultum adhiberi. Si conſtiterit inter vos, vti videtur bellè omnes ac rectè ſenſiſtis, atque contentionis veſtræ finis eſt planiſſimè conſtitutus.

Sancta de diuinitatis veritate Philoſophia.

§. 15.

AT cùm certiſſimum ſit vnum eſſe Deum rerum omnium creatorem, dominum, & conſeruatorem, primam ſupremámque naturam, quam multis de cauſis hanc ſecum homines deberent philoſophandi rationem inire. Cùm ea ſit conditio Dei, ſuprema eſt omnium natura nullique ſubiecta, à quo cæteræ omnes aptæ ſunt atque pendentes. Quoniam verò ſuprema natura omnes na-

Digitized by Google

turæ ſpecies modóſque comprehendit, omnium certè præſtantiſſimam habebit, æternã ſcilicet conſtantémque naturã, quod autẽ æternũ tempori minimè ſubiectum eſt, neque viciſſitudinis caſibus & corruptione mutatur. Eſt igitur ab omni materia quæ mutationis cauſa eſt, & concretione ſeiunctus. Itidem ergo nullà implicatus erit quantitate, quę ſine materia conſtare non poteſt. Quemadmodum igitur materiæ ita & corporis expers erit atque diuiſionis, totus in qualibet magni huiuſce mundi parte, & totus in toto quem ſua complet immenſitate, quæ quidem cùm nequeat ab illius ſuprema poteſtate perfectáque cognitione diſiungi; nihil eorum quæ fiunt ſub illius oculos, aſpectúmque non cadit, nihil niſi de illius arbitrio, & voluntate contingit. Cùm porro qualis eſt natura talis ſit eiuſdem vnitas, bonitáſque, Deum eſſe perfectè vnum, verum, ac bonum oportet, quoniã omnium primã habet ſupremámque naturam: & quia vbi abſoluta bonitas eſt, debet in eo ſumma iuſtitiæ perfectio contineri, officitur Deum ſua diuinitate cariturum eſſe, niſi res cum virtute coniunctas remunera-

Digitized by Google

retur, puniréтque vitioſas, aut ſi peccatorum improbitati faueret. Ex quo patet ſingularis Dei magnitudo, quam pro dignitate ſatis æſtimet nullus, excellentius nihil hominum poſſit cogitatione depingi. Num igitur quidquam æquius eſt, aut magis ex officij noſtri ratione curandum, quàm debitum tantæ maieſtati obſequium, amorem, cultum, honorémque præſtare. Si enim parentibus noſtris Regibus, & iis qui de nobis bene meriti ſunt, hęc officiorum genera debentur, cùm pluſquam paternam regiámque erga nos obtineat auctoritatem, à quo omnia quæ poſſidemus ſperamúſque bona haurimus, quam inſigniter ingrati & immemoris animi foret ſuis erga illum partibus & officio deeſſe? quam in rem maiori homines ſtudio incumbere deberent, quid antiquius habere, quàm vt omnes eidem perfectiſſimè ſeruiendi rationes aucuparentur? Si autem illæ in vero cultu continentur, hic verò ſincera in religione conſiſtit, quanto ſibi nos beneficio deuinxit, quos ad vitæ quæ ſola religionis illius perfectione fruitur Chriſtianæ communionem aduocauit. Om-

Digitized by Google

nium enim quæ in Orbe extiterunt religionum, vllâne melioribus commendatur notis ampliorem diuinę maieſtati honorem defert, ſublimius de Deo ſentit, melioribus conſiliis legibúſque firmatur, plus tribuit virtuti, minùs vitio concedit, res tam miras in procuranda voluntatum mutatione, & animorum conuerſione nauauit, ſanctiores libros habet, Doctores grauitate, Martyres conſtantia præſtantiores, tam perſpicua miracula, tam euidentes Prophetias? quàm iuſtæ nobis affluunt cauſæ, ſublatis in cœlum manibus, ampliſſimas de tam ſingulari beneficio gratias agendi. Dabitis hoc mihi vt pro meæ in tantum numen pietatis ſenſu veſtro id nomine meóque præſtem, ſupremámque illius miſericordiam obteſter, vt quos atheiſmi impietas cæcauit, ſuo illorum mentes lumine colluſtret. Id rerum moderator eo ſtudioſius ardentiúſque præſtamus, quo manifeſtius nobis compertum eſt, qui tandem futuri eramus, niſi tua miſeratio anteuertiſſet, nóſque ab eorum ſimilitudine abſtraxiſſet, qui vitam à tui cognitione obſequióque alienam abſumunt. O altitudinem profundiſ-

Digitized by Google

ſimorum numinis tui iudiciorum !eheu! quàm in denſa tenebrarum nocte illi verſantur, nos autem luminis tui vſu gaudemus: pro cultu maieſtati tuæ tribuendo, vel emortuum ſtipitem flexo genu honore diuino ad ethnicorum morem affeciſſemus, vel turcico galero tecti noſtræ procuratorem, & internuncium felicitatis eſſe putaſſemus, ac Prophetæ loco habuiſſemus hominem mentiendi artificem, & impudentiſſimæ vanitatis architectum. Tu verò clementiſſime parens, non merito noſtro, ſed ſola commiſerationis tuæ facilitate commotus, nos ab eo periculo vindicaſti. Ideo tibi res vniuerſæ quas benignitas tua creauit meritas laudes, gratiáſque perſoluant. Fortunatũ ſe olim certus quipiam putabat, quod Græcus non Barbarus in lucem prodiiſſet: In tua verò beneficentia gloriabimur, Domine quòd nõ Iudęi, non Turcæ, non Ethnici, ſed Chriſtiani ſimus, téque acceptiſſimo cultu omniúmque maximo proſequamur: ſeruus ille tuus addictiſſimus imprimis *S.* Ludouicus, qui quantum laudis & commodi, hoc in titulo poſitum eſſet apprimè ſciebat, cum maiori

gloriæ ſibi quàm regiæ dignitatis ornamentum ducebat, & ea re ſummas crebro grates agebat. Noſtras Domine pergratas habeto, idque nobis beneficij largire, vt præter nomen ac notam hominis Chriſtiani, dignos eodem actionum fructus animóſque præſtemus: te etiam atque etiam oramus, vt eos miſereris qui ſacro fonte perinde ac nos abluti vitam ad atheorum mores & ſimilitudinem effingunt: tenebras diſcute mi Deus, quæ illorum animis errorem tuæque veritatis ignorationem obducunt, támque perſpicua miſerrimi ſtatus in quo verſantur notitia eorum mentibus illuceſcat, vt illius ſibi obiecta ſpecie horreſcant, vitæque melius inſtituendæ viam inſiſtant. Videmus ſatis cùm toties támque grauiter tuam in maieſtatem peccarint, id loci clementiæ tuæ munus aduocandum. At manſuetiſſime pater vbi melius collocari poſſint, quam in ſalute animorum reſtituenda, quos iam ſemel pretioſiſſimo filij tui ſanguine peperiſti, tibique poſtea teterrimi hoſtis tui fraudibus abrepti fuerunt.

Quorſum hunc zelum reſeruas, cuius

Digitized by Google

æſtu tam vehementer incitaris? quę cauſa miſericordiam tuam commouebit, niſi ad reliquias hæreditatis tuæ, & ad eorum opem ſuper quos inuocatum eſt nomen tuum? Exaudi nos Domine, cui debetur gloria & honor in ſęcula ſæculorum. Vix religioſus hanc abſoluerat precationem, cùm ſeſe nauigantium oculis portus obiecit, quem multi longiùs abeſſe cupiiſſent, adeo vehementer eorum animos ſermonis illius argumentum, & ratio tenebat, finiendus tamen fuit æquis omnibus & contentis, religioſo præſertim cui conſilium ſuum bene ex animi ſententia ſucceſſiſſet, malis ſermonibus qui iam inchoati fuerant, hiſtoriæ ſuæ artificio diſſuendis. Ex quo intelligere potes, anima chariſsima, quantum valeat hæc ratio ad faciendum quo minus in familiari congreſſu Deus Opt. Max. colloquiorum temeritate lædatur. Vultis quintæ etiam rationis exemplum adiungam? velim equidem eóque libentiùs faciliúſque præſtabo, quod vnum occurrit magno nobis ad quotidianos varióſque negotiorum caſus documento, & vſui futurum.

Digitized by Google

Propoſitionis exemplum, ſeu quintæ rationis ad malos ſermones ſubſtitutis melioribus excludendos.

Cap. XXVIII.

Animi certè quidem illius auaritia æſtuantis duritiem vis diuini verbi molliiſſet, niſi vitium quo iamdiu tenebatur infeſtus, omnem gratiæ aditum præcluſiſſet, eúmque grauiter in concionatorem accendiſſet, quem vehementi ſtudio, & honore proſequi debebat. Peracta concione domum ſubtriſtis, & anxia mentis cogitatione diſtractus rectà contendit, vbi cùm anteuertiſſet familiarium congreſſus, cum prima voce iniquam animi ſui acerbitatem effudit. Redeo (inquit) ab oratoris omnium, qui vnquam ſuggeſtum conſcenderunt inſulſiſſimi concione, certóque credo pro fructu auditoribus importando, eorum mentes mille in anguſtias, ſcrupulóſque illius ſermonibus eſſe coniectas. Scimus omnes quàm

iuſta ſit illa quæſtus ratio, quem pecunia mutua cæteris danda facere ſolemus, nemo ignorat, & regum noſtrorum decretis, & à ſupremis Galliæ Curiis, quæ ex tot Senatoribus prudentia & iudicij maturitate ſpectatis conſtitutæ ſunt, eumdem probari. De viri tamen illius imperiti iudicio qui hoc ſuauiſſimum, & laudabile negotij genus exercent, in ſceleratiſſimorum hominum numero reponendi ſunt. Si fides illi habetur, fortunarum depopulatores, prædones populorum, viduarum expilatores, hirudines pupillorum, fures domeſtici, omni Dei timore inanes, ſerui pecuniarum, legum contemptores, infames publicani, grauiorúmque præterea criminum nota inſignes exiſtimabuntur, certúſque ſum te iracundia exarſurum fuiſſe, ſi loquentem illum audiiſſes. Ita certè quidem (ait vnus qui tum aderat nouæ, & emendatioris, vt balbutiunt, religionis ſectator) Miniſtri noſtri longè cautiores ſunt & ſapientiores, nóſque longè tranquilliori eſſe animo patiuntur, liberéque permittunt mutuas à nobis pecunias dari pro edictorum æſtimatione.

Digitized by Google

Vnum quidam cauſarum Patronus, & Chriſtianæ pietatis laude & iuriſprudentia illuſtris, quo improbum hunc ſermonem interpellaret, ita quintum illud artificij genus induxit.

Ego verò (inquit) exiſtimo ea ſecuritate, & mentis quiete, quam veſtri vobis impertiunt Miniſtri, in certum vos exitium adduci, noſtros autem Concionatores dum in vſuras inuehuntur, teſtari in ore ſibi eſſe verbum Dei, cùm manifeſtum ſit eam agendi rationem à Prophetis, ipsóque Prophetarum doctore Chriſto Domino, & ab iis omnibus qui maxima eruditionis, & ſanctitatis gloria in Eccleſia floruerunt, eſſe frequentatam.

Quod de Regum edictis, & ſupremarum Curiarũ decretis aiebas, quæ vtraque tanquam oracula æquitatis amplectenda iſtud minimè tibi concedam, téque ſi aures mihi tuas commodaris, mecum idem ſenſurum eſſe confido. Mox omnium ſilentio ad ſermonem pergendum inuitatus atque adeo ab iis qui maximè ipſius ſententiæ refragabantur, ita cæterorum deſiderio ſatisfecit.

Digitized by Google

Regum noſtrorum Edictis decretiſque ſupremarum Curiarum vſuræ omnino prohibentur.

§. 1.

NON immeritò, neque populorum adulatione Reges noſtri iam diu Chriſtianiſſimi primique Eccleſiæ Filij, nominati fuerunt, at inſignis obedientiæ laus, quam communi Chriſtianorum parenti ſemper adhibuerunt, illuſtrem hunc illis titulum peperit, ſupráque cæteros Orbis vniuerſi Reges adiudicauit. Quod quidem illi decus nunquam ſibi comparaſſent, ſi abuſi authoritate ſua fuiſſent, ad leges ipſius impugnandas, quarum vna ex longiſſimo temporis interuallo ſancita, primóque in Nicæno generali Concilio promulgáta in vſuras conſtituta eſt, diuerſis poſtea in Conciliis ſæpè renouata: à quibus tantum abeſt, vt alieni fuerint Reges noſtri, eas vt potiùs ſuis ſemper decretis ſanctiſſimè confirmarint. Diuus Ludouicus anno 1254. Philippus Pulcher 1310. & 1312. vſura-

rios coërceri voluerunt, ablatis pignoribus, corporibúſque in cuſtodiam abreptis. Philippus ſextus anno 1347. bonis eos, & facultatibus mulctari iubet. Ludouicus duodecimus 1520. anno, articulis 64. & 66. vult eoſdem pro iuris, & caſuum ratione puniri. Carolus IX. 1567. Henricus tertius 1576. 1577. 1579. annis. Imperant in quoſlibet, vel per ſe vel per alios eo in negotio adornatos interpoſitóſve, vſuram exercentes acerbiſſimè animaduerti, & à cognitoribus per varia loca, & tempora conſtitutis, ea de re accuratam quæſtionem haberi, quò pernicioſum hocce, noxiúmque commercij genus tollatur è medio ac funditus extirpetur (iis illi verbis vſi ſunt) aſſeuerantérque confirmant, odioſam eſſe ſibi vſuram, ſanctíſque omnibus decretis repugnantem iudicari. Ita ſemper infenſo Principes noſtri omnes animo vitium illud perſecuti ſunt, neque vnus ex eorum numero afferri poteſt, à quo aliquid vnquam aliter fuerit hac in parte ſancitum. Grauis igitur illis iniuria fieret, ſi ab iis vſuram hoc in regno approbatam fuiſſe, vel etiamnum approbari diceretur. Idem planè de ſupremis

Galliæ

Digitized by Google

Galliæ Curiis exiſtimandum , ſi enim aliud quàm Reges noſtri ſenſiſſent, ex illarum edictis pateret. quibus tamen contraria omnia cauentur; nam vetant conceptis verbis, vllum cuiuſcumque ſit ille conditionis, ſtatus, dignitatis, & ſexus, vel ſuam vel alienam exercẽdis vſuris operam adhibere , indicta corporis & bonorum pœna : ſi quis ſecus facere audebit, quem reipublicæ exitioſum ac peſtiferum appellant, teſtantúrque ſibi magnopere videri, optarique vehementer, vt id hominum genus omnino exterminetur , denique ſanciunt eadem pœna ſi qui nomen illius deferre, & indicare iudicibus omittant, quem huius criminis reum agnoſcent. Si vſuræ ita probantur, fateor illas curiarum noſtrarum iudicio permitti , ſi verò aliter ſeueriúſque prohiberi damnarique non poſſunt, quis putet illas Senatorum noſtrorum authoritate fulciri.

Quo ſenſu Reges noſtri & ſupremi Senatus, pro centum v.g. libris certam fœnoris rationem definierunt.

§. 2.

VERVM eſt (inquis) à Regibus Curiiſque ſupremis conſtitui: vt pro centum aſſibus decem, vel octo cum triente, vel ſex cum quadrante ſoluantur. Ita eſt, fateor: at nego id factum eſſe quo vſurę aliquantum fauerēt. Quorſum igitur? à me quæris. Duplici, aio, iuſtáque de cauſa, quam rectè intelligi velim pro rei quam propugno veritate prima ergo cauſa eſt, vt eorum reprimeretur cupiditas, qui pecuniis in vectigalis animi quæſtum conferendis immoderatam penſionem exigere voluiſſent, vnde magna & priuatæ egenorum multorum, & publicæ rei calamitas ac pernicies accidiſſet: huic ergo vt incommodo aditus omnis præcluderetur, neceſſarium fuit ſupremam interponi authoritatem, quæ æquum aliquod definiret pretium, extra quod prodire nemini liceret. Cuius rei

neceſſitas eò clarius perſpecta fuit, quòd cùm liberalior quàm par eſſet, grauiórque videretur cautio illa decem pro centum aſſibus rependendorum, animaduerſum eſt Franciſco primo, & Henrico ſecundo regnantibus commercium à nonnullis mercatoribus in quibuſdam prouinciis omitti, ab agricolis equos, & ruſticam ſupellectilem diuendi, vt vim aliquam pecuniæ fœnori dandæ corrogarent, cóſque huiuſmodi lucro illectos ſuo muneri deeſſe, vnde magna ſolitudo in agris, in prædiis vaſtitas, quouis in loco non mediocria pleriſque damna naſcerentur. quibus vt occurreret Carolus nonus, ad Fontem-bellantium edixit anno 1567. Martio menſe, vt per Regnum vniuerſum, facta huius pretij deceſſione, octo tantùm cum quadrante pro centum aſſibus ad annuos pecuniæ fœnori datæ fructus ſoluerentur, neque vnquam eiuſmodi penſio poſſet augeri, quo edicto nihil præſidij vſuris additum fuiſſe conuincit, quod ipſe conceptis verbis declarat, nimirum ſibi propoſitum eſſe, vt cohiberet vſuras quibus multi effuſius indulgebant. Altera eiuſdem æſtimationis conſtituendæ cauſa

Digitized by Google

fuit, damni quod à malæ fidei debitoribus ſæpè creditores contraxiſſent præſtandi neceſſitas, quod *intereſt* appellant vulgò, id nominis tametſi auaritiæ ſuæ vſurarij prætexunt, magnum tamen diſcrimen eſt inter vſuram, & id quod cuiuſpiam interſit. hoc enim certum eſt damnum quod bonæ fidei creditor ob beneficium alteri mutuis facultatibus dandis commodatum præter ius, & æquitatem incurrit. vſura verò eſt acceſſio quam creditor ob mutuum ſupra ſummam integram iniuſtè capit. quod intereſt igitur æquitatem habet, vſura fit iniquè, ideóque Regum noſtrorum edicta, Curiarúmque ſupremarum decreta definiunt, quanti æſtimandum ſit quod intereſt, quia patrocinium æquitatis ſuſceperunt, vſuram verò condemnant ac deteſtantur, quod iniuſtitiam approbare non poſſint. Carolus nonus in Comitiis Aureliæ habitis articulo 60. decernit, vt debitores qui per ſyngrapham, æs alienum die dicta ſoluendum contraxerunt, damnum ex ſolutionis mora factum ab ipſa die qua in ius vocati fuerint, præſtare cogantur, re vno quidem aſſe pro duodecim inter merca-

Digitized by Google

tores, pro quindecim verò inter cæteros æſtimata, vinitoribus tamen, agricolis, mercenariiſque exceptis, quibus duplam ſolidam ſummam debitor perſoluet, omni faciendæ deductionis Iudicibus poteſtate ſublata, vllumne ea in ratione verbum eſt, niſi vt creditoribus ab omni damno caueatur, nec quidquam ipſis incommodi creetur? an diſſimulat? an dubitando conniuet? feciſſet id quidem, ſi vſuras ſuo in Regno tolerare voluiſſet: tantùm porro ab eo conſilio abhorret, vt in eos iterum inuehatur, illos hoc nomine exagitet, hac vna de cauſa condemnet, edicto ſcilicet ad ſextum Octobris diem anni 1576. Lutetiæ hiſce verbis concepto. *Nos etiam atque etiam cupientes tam exitiabile ac pernicioſum commercij genus tollere funditus, atque radicitus extirpare, & in lucem conſpectúmque rei veritatem, ac vſurarum conſuetudinem vocare. Vobis mandamus & committimus, volumus & ſancimus, vt protinus ſine vlla cunctatione publico præconio pro noſtra auctoritate edicatis, vt nemo cuiuſcumque conditionis, ſtatus, atque dignitatis, vſuram vel ſua vel alterius cuiuſuis appoſiti opera exerceat, neque vlla commercij publici ſpecie prætexta*

pecunias aut merces mutuas vel pacto fœnore vel pignoribus acceptis concedat, neque ſyngraphis aut contractibus ſimulatione mentitis ad vſuram accedat, nec directè neque indirectè, quocumque tandem genere vel modo quin corporis pœna mulctetur. Ea ergo re pertinaciſſimi quique adduci debent, vt nullã in Gallia æſtimationem eſſe conſtitutam fateantur, cuius ſibi auctoritatem vſura prætendat: ſi enim rex proximè ſuperior Henricus, voluit amplius de pretio deduci, ſéxque tantùm cum quadrante pro centum dependi, hoc ideo ſanciuit, vt ne quis annua pecunia exigenda penſione extra modum prodiret, vel vt creditoribus damnum præſtaretur, quod ab iniquis debitoribus ſubirent. Vnde conſequens eſt, vt ſupremæ etiam Curiæ ab vſuris abhorruerint, ac proinde omnes cæteri Iudices illis, ſubiecti, quandoquidem cum Regum Concilio ſententiáque conſpirarunt, quibus execrandæ ſemper vſuræ ac deteſtabiles fuere, dum eorum edicta auctoritatibus ſuis comprobarunt. Quid vobis igitur quotquot hîc adeſtis videtur? an æquum fuiſſe exiſtimatis, vt nemini concederem, qui contrà ſentiret, an vos ipſi

ſecus opinari vel ſtatuere poteſtis? Si verò Miniſtri ſectatorum ſuorum conſcientiæ fallaciter imponunt, perſuadéntque licitum eſſe in Gallia pecunias pro Regum æſtimatione mutuas dare, & impunè fœnerari, ſi hoc intelligunt præterquam in legitima penſione iuſtè conſtituta, aut in damni verè ſuſcepti præſtatione, an non eos in errorem grauiſſimum, & in ſalutis æternæ diſcrimen adducunt, quos implicant teterrimo vſuræ vitio, cuius atrocitatem, & malitiam ita ignorare non poſſunt, quin illud diuina lege cum execratione vetitum eſſe, à ſanctis Conciliis condemnatum, adeóque ab vniuerſa natura improbatum pernoſcant, illiúſque ſi reus aliquis deprehendatur, eum iure ab omni publico munere & magiſtratu, ab diuinorum myſteriorum communione, atque à publica Chriſtianorum ſepultura excludi.

Digitized by Google

Cur tutoribus damnum æſtimetur pupillis, quorum bona in quæſtum non contulerint præſtandum.

§. 3.

EGo quidem (obiecit vnus acri iudicio limatus) ſemper verum eſſe duxi quod dignè admodum explicuiſti: eſt tamen quod à te velim dilucidius adhuc doceri, vt omnem mihi & animo ſcrupulum euellas: videmus quotidie ab omnibus tum inferioris tum ſupremi ordinis Iudicibus, cogi tutores damnum præſtare pupillis, quorum facultatibus nihil acceſſionis adiunxerunt; atqui tanta in multitudine abeſſe non poteſt quin pleriſque, alia nulla quàm vſuræ ratio ſuppeditetur, ad eiuſmodi bona cum quæſtu compendióque adminiſtranda. Videtur ergo ab Iudicibus iſtud negotij genus approbari. Nonnulla (reſpondit Iuriſconſultus) ſcrupulus ille obtenditur ſpecie æquitatis. At perinde vt arcus qui ex nubibus efficitur oculis quidem coloratus apparet, cùm nullius ſit planè coloris. Id ſeueritatis adhibēt Iudices aduer-

ſus tutores quò multorũ diligentia exci-tetur, qui negotiis pupillorũ indormiſce-rent, non ſine magno eorum detrimen-to. Præterquam quod ita eſt informa-tum anticipatúmque mentibus illorum, tutoribus vel mediocriter induſtriis, na-uíſque numquam legitimas negotij ge-rendi vias atque rationes defuiſſe, ſi vel iis vtendis, vel perquirendis ſtudere voluerunt. Sit ita ſanè (inquit vir ille perhoneſtus) at difficiliter admodum poteſt ſalua conſcientia pecunia in quæſtu collocari. Cúmque huiuſmodi ſermonem haberet, pulſata ianua com-modùm ipſe cuius ex concione hæc col-locutio fluxerat Eccleſiaſtes accedens, in cubiculum admiſſus vrbanè ſatis à do-mus & familiæ domino, cuius acerbitas multum fuerat Iuriſconſulti verbis mi-tigata ſalutatur, vocibus aliquot è proxima concione, non tam querendi quàm animi oblectandi cauſa in medium prolatis ſubiecit, opportunius, Domine mi, venire non poteras ad eum quem te aduentante inducebamus ſermonem contexendum. Id diſputabamus difficile penitus eſſe, pecuniam in quæſtum ſaluis conſcientiæ legibus conferre: tuo ex ore

Digitized by Google

tamen, niſi mè fallit animus, audiui aliquã eſſe huiuſce rei faciendæ rationem, qua ſi vtatur, Chriſtianus, queat æs ſuum ita mutuum dare, vt integræ ſummæ cauendo aliquid lucri referat quotannis ſine vlla vſuræ nota. Id enimuerò à te modo intelligere velimus, ſi docueris, magno tibi hunc cœtum beneficio adſtringes.

Id (inquit) ego libentiſſimè præſtabo: at quoniam eo in ſermone breuis eſſe non poſſum, vereor ne vobis ſi loqui cœpero longitudine orationis tædium accerſam. Nihil eſt (ait cauſarum Patronus) quod metuas, compertum enim omnes habemus, quæ ad rem tanti momenti pertinent ſingula exactè vt par eſt, tractari non poſſe, quin multus in iis perſequendis ſermo ponatur: tum iſta exorſus eſt, omnibus ad attentè audiendum optimè conſtitutis.

Digitized by Google

Legitima ratio quæſtus è pecunia ſaluis Dei legibus faciendi.

§. 4.

VIRI ſpectatiſſimi, vt certiſſimum eſt, hoc argumenti genus magni admodum eſſe ponderis atque fructus, ita cùm tantum illius accuratè pernoſcendi ſtudium præ vobis feratis, planum facitis mihi, in quotidiano vſu negotiorum cum aliis obeundorum, continuam à vobis ſalutis veſtræ memoriam, curámque ſeruari. quod quidem me vnum quamuis inuitamenta cætera deeſſent, ad bene de vobis merendum vehementer incitaret. Ponendum autem imprimis quod in dubium reuocari non debet, tametſi ex re quam alius quiſpiam à nobis mutuatur, nihil quæſtus ob mutuum facere legitimè poſſimus, quia ea eſt mutui conditio, vt quamdiu tenetur, rei quam mutuam dedimus poteſtatem, & vſum nobis auferat, atque ad eum à quo facta eſt mutatio traducat. Vnde conſequens eſt, vt ſi creditor ex eo quod mutuum dedit aliquid vtilitatis hauriret, rei alie-

næ fructum lucraretur, iniuſtæque vſurpationis & vſuræ vitium conciperet, quod à nobis cum execratione vitari Chriſtus Dominus iubet Lucæ capite 6. cuius verba omnem ambigendi locum definitè, & ſine prouocatione præcidunt, *Mutuum date nihil inde ſperantes.* Vt (inquam) hoc certiſſimum ſit, nihilo tamen minus verùm eſt, vſuram committi numquam, niſi cùm propter mutuum creditor aliquid lucri præter ſortem principalem capit. Ex quo ſequitur, ſi aliquo alio nomine commodum vel fructum decerpit, in nullo vſuræ iniuſtitiæque vitio ponatur, adeo vt quod à debitore datum fuerit retinere nulli ſit omnino religioni habendum. his autem veluti fundamentis titulisque nituntur iuſtæ illæ, quas à me quæritis negotiandi rationes, quas vobis tres numero proponam, legitimas omnes, & à peritiſſimis Theologorum noſtrorũ probatas: Prima eſt, gratus animus & liberalis illius, cui negotij conficiendi cauſa pecuniæ traduntur, cùm enim ad eum pertineat lucrum emergens, ſicut retinere integrum poteſt, ita poteſt quemlibet in illius communionem vocare. decere au-

tem videtur id beneficij potiùs in eum à quo accepta eſt, lucrandi commoditas, quàm in alium conferre. Turpiſſimum enim eſt (Ethnicus aiebat) ſe bene meritorum immemorem præbere. cui autem gratiæ referendæ ſuppetit facultas, quominus præſtet honeſtate ſalua recuſare non poteſt. Igitur participem huius lucri facere poteſt eum à quo pecuniam mutuam habuit, qui proinde, & accipere poteſt quod ſibi offertur , cùm nulla vel cauſa vel lege prohibeatur quiſquam legitimè accipere, quod legitimè poteſt ab alio dari. cur enim propter beneficiũ à ſe collatum deterioris eſſet conditionis? cur ante mutuum gratuito datum, poterat accipere, poſtea verò non poſſit? gratuitò inquam, volo enim nullam interueniſſe pactionem vel promiſſionem, vnde quidquam exigere in iudicio poſſit, vel tanquam ſibi debitum auferre. Imo eumdem velim ita ſimpliciter, & ſincerè egiſſe, vt ad nullam lucri partem ob mutuum aſpirarit, alioquin enim ab illo vſuram mentè conceptam, & quicquid accepiſſet reſtituendum eſſe iudicarem. Contrà verò, ſi eo tantùm quem explicui ſenſu conſilióque nonnihil ac-

ciperet, quamuis mutuum minimè fuiſſet daturus, niſi liberali eius cui pecuniam committit animo fretus, ſperauiſſet ſe in quæſtus ſocietatem atque participationem eſſe venturum: neque enim ea in re quidquam contrà leges, aut æquitatem peccaret, à quibus permiſſum eſt iure ſemper expetere, atque adeò poſtulare quod itidem iure dari accipique poteſt. hoc autem eo nomine fieri poſſe demonſtraui. Nihil ergo ſupereſt dubitationis quin hæc prima ratio ſit cum æquitate coniuncta: nihilo verò magis de altera dubitandum eſt, qua creditori cauetur, vel ab damno illius fortunis impendente, vel ab legitimi quæſtus iactura, quem cæteroqui feciſſet, ſi facultates quas alteri commodauit penes ipſum fuiſſent, quæ propterea quod abſunt, idcirco detrimentum illud incurrit. Cùm enim neceſſaria nemini cauſa eſſe poſſit de altero bene cum ſuo incommodo merendi, niſi quando in extremam neceſſitatem deuenit, ſi creditori aliquod damnum ex mutuo contingat, illud non æquum eſt ab alio quàm à debitore præſtari: cui pono ſignificatum ab initio vel notum fuiſſe nihil velle cre-

Digitized by Google

ditorem eo in caſu detrimenti ſubire: ideóque ſi poſtquam reponendo mutuo præfinita dies aduenit, pecuniam recipere creditor non queat neceſſariam ad damnum aliquod amouendum, aut ad compendij quidpiam faciendum, ſalua conſcientia poteſt à debitore aliquid auferre, quo omnis ipſius iactura, compenſetur, valet id etiam cùm detrimentum capit antequam ſolutionis ceſſerit dies, dummodo debitorem præmonuerit, damnum ſibi velle id loci aliqua ratione ſarciri. Imo ſi re adhuc integra creditor præſentit, certum vel probabile ſibi alicuius incommodi vel damni ex re mutua impendere, tum ſalua æquitate poſſet de illo cùm mutuāte pactionem inire, & ab eo accipere quod inter vtrumque conſtitutum fuiſſet. Verum quidem eſt, pro damno ſolùm probabili compenſando non tantumdem ac pro certiſſimo accipi debere: neque tantùm pro lucri alicuius iactura quanti eſt integer quæſtus, cùm ius poſtulet ſumptus, & laboris in eo conquirendo poſiti æſtimationem fieri, ac deceſſionem.

Tertia ratio nititur iuſtæ pactionis æquitate, quæ extra omne mutuum tri-

plici conuento legitimè inſtituatur à mercatore ſuam tantùm induſtriam conferente, cum alio qui pro ſua parte certam pecuniæ vim in commercio adhibendam eidem mercatori committat. Eo qui ſequitur modo.

Primo illi duo mutuam inter ſe lucri damnique ſocietatem contrahunt, quatenus iuris formula præſcribit. Secundò qui pecuniam deponit, vt ſibi cautum ſit promittit mercatori, ſi in eam velit cautionem conſentire ſe partem lucri, quod ſibi obuenturum ſperat eſſe remiſſurum: at mercator cui explorata eſt pecuniæ in quæſtu ponendæ facultas, ſpe lucri illius vberioris illectus quod negotij experientia, & vſus probabiliter ipſi deſpondent, ad ſocij conditionem deſcendit, mutuóque conſenſu inter ſe ita paciſcuntur, vt tutam pecuniæ cautionem mercator alteri præſtet, propter quam hic aliquam eius quem ſperat quæſtus partem illi pro rei æquitate condonat. Tertiò denique conuento alter lucrum quod incerta ſpe pendet mercatori diuendit, & cum alio minori certioríque commutat, quod intra certum quem præfiniunt diem ſe numeraturum,

eique

eique perſolutarum eſſe mercator promittit, re omni iuxta proborum prudentiúmque hominum ſententiam conſiliúmque tranſacta. Quibus in pactis nihil non æquitati conſentit, atque vt de primo ambigit nemo, ita liquet de aliis duobus. Si enim aliquid damni videtur incurrere mercator, leue tamen iſtud eſſe intelligit, & cuicuimodi eſt ea compenſatione ſarcit, qua contentus eſſe quilibet alius poſſet qui voluerit idem incommodum vel periculum ſubire, nec ſibi quidquam iniurię fieri putaret. Quapropter efficitur nihil eo in negotio mercatorem detrimenti perferre, cum certò conſtet earum quæ iuſtæ ſunt, vbi cum tertia aliqua perſona cõficiuntur pactionũ naturam, vel æquitatem nõ immutari neque adulterari quòd cũ vno eodémque homine fiant: teſtem ego te mi Domine (Iuriſconſultum deſignabat) appello. Ille verò reſpondet. Ius ciuile noſtrum à te omnino facit, atque hęc nominatim notio quam proponis, legum noſtrarum authoritate firmatur. vna enim ex iis ſtatuitur ſocietatem duos inter homines poſſe conflari, dum neuter illorum qui contrahunt, damnum ali-

Digitized by Google

quod incurrat, quodquidem notum videtur non alio poſſe modo caueri, quàm ſi ratio à te modò explicata teneatur, cuius etiam æquitate nititur, credo, hoc iuris canonici pronunciatum. Cùm tenuioris fortunæ maritus in rei familiaris inopia egeſtatíſque periculo verſatur, vxoris dotem alicui poteſt committere mercatori, qua hic negotiando vtatur, eiúſque fructibus ille ſalua pecuniæ præcipuæ ſumma, matrimonii officio munerique ſuccurrat. Idem cenſeo de vetere illa Galliæ noſtræ Italiæque, & aliarũ quarumdam regionum conſuetudine, pro cuius inſtituto, Eccleſiæ adminiſtri, viduæ, adoleſcentes parentibus orbati, ſcholaſticique nonnulli minus à facultatibus inſtructi honeſtè poſſunt, & ſolent pecuniolas ſuas mercatoribus concedere, vt ex illis in tuto collocatis aliquid ſibi lucri ad victus ſubſidium, & commoditatem accedat. quî enim poſſent vſuræ notam deprecari, niſi eius ſuſpicionem ius æquitáſque illius rationis amoueret.

Digitized by Google

In triplici quam explicuimus pactione contrahenda, ſufficere vnica poteſt quæ trium interpretationem & vim adæquet.

§. 5.

AT vnum à te, (alter adiecit) velim edoceri, quod ad rationis illius facilitatem magni eſſe momenti videtur, nimirum an tribus ſemper hiſce conuentis opus ſit inter ſe diſtinctis, num vnum ſatis eſſe poſſit quod triplicis vim omnem, ac ſententiam comprehendat. Excellens ingenij tui acies (inquit Concionator) orationem meam occupauit: aio enimuerò conſenſum ſit expreſſus, necne, dummodo ſit verè conſenſus, idem apud animi conſcientiam valere, quæ cùm religionis ſuę integritatem ſola rei quæ contrahitur æquitate metiatur, quandoquidem tria hac conuenta iuſta ſunt perinde ſaluis Dei legibus in vno tribus æquali ac in triplici pactionum inter ſe diſiunctarum, formula poſſunt cõtineri. Vnde conſequens eſt, vt qui con-

Digitized by Google

trahunt, quamuis ſemel tantùm depaciſcantur, nihil debeant conſcientiæ timere, dummodo ſincera mente nec vllo fœnoris ſtudio, ducta mutuum concedant, ſed id ſolùm iuris quod tria hac conuenta permittunt, obtinere nitantur. Vidiſtis opinor ſyngraphæ formam, quæ Italiam, Belgium, aliáque loca peruaſit, à pleríſque Theologis tum virtutis tum doctrinæ gloria celebratis approbata, in qua tamen implicitè tantùm tria hæc pacta continentur. Si fortè non inciderit tuas in manus, ecce vnum illius exemplar, quod è pera eductum ita perlegit. *Ego N. qui nomen infra meum ſigillo ſubſcripſi, fateor accepiſſe à N. ſummam centum*, &c. *quæ in aliquo vtili commercio per me collocetur, illique promitto, quia quæſtum omnem inde profecturum mihi remiſit, atque conceſſit, me per ſingulos annos ſex aſſes cum quadrante pro centum eſſe repenſurum, ſalua ipſi ſumma præcipua manente; cuius ego propterea damnum omne periculúmque præſtabo.* tum ita pergit. Videtis (inquit) hac in formula diſtinctè, non exprimi tres illas contrahendi rationes, ſed illarum vim duntaxat atque ſententiam contineri, quæ iuſta cùm ſit, idem ad conſcientiam

valet, ac ſi tres articulatim diſtinctéque perſcribantur: proinde Theologi meritò pronunciarunt, ſibique perſuaſere nationes hanc formulam valere, eáque ſeruata pecuniam poſſe in quæſtum legitime conferri. Equidem arbitror, ſi rectus eiuſdem vſus bene intelligatur, multum inde vniuerſis publicè priuatímque vtilitatis acceſſurum. Credibile ſaltem eſt, infami vſurę occupatione ſupremi numinis iracundiam in nos minimè vt ſit commouendam fore, multóſque ab pernicioſa illa nundinatione receſſuros, quam alioquin ad mortẽ vſque retinebunt, neque verebuntur ne cum lucro tenui, & caduco æternas opes commutent, quas niſi reſipuerint certiſſimè deperdent, & ſempiternam pœnarum ſocietatem cum infelice illo diuite inibũt, cuius hiſtoria lamentabilis ipſius veritatis ore teſtata, ſacris diuinorum ſcriptorum codicibus conſignata, pertinaciſſimos quoſque metu & horrore perfundat, niſi effrænata pecuniæ terrenorúmque cõmodorum cupiditas illorum mentes tam incredibili ſtupore oppreſſas teneret, vt omnem Dei memoriam atque ſenſum, futuræque vitæ fidem abie-

Digitized by Google

ciſſe videātur. Sed de his omnibus ſatis, quippe aduesperaſcit, ac timeo ne veſtris hæc longior oratio mea faſtidiis adhæreſcat. Domine mi (inquit familiæ Princeps) tu quidem loquendo laboraſti, nos verò mirum quantum hauſimus delectationis audiendo? Faſtidium ſanè meum iſtud eſt, offenſióque noſtri quod dirimendus ſit hic modò congreſſus; cùm veriſſimè profiteri queam haud ſcire me an toto ſuperioris vitæ decurſu ſuauius vnquam pomeridianum tempus occuparim. Ex tua concione nonnihil retuleram acerbitatis, quòd ad illam nõ ita bene animo effectus, & paratus acceſſiſſem. Hoc in cœtu ægritudinem mentis vehementiori fortaſſis quàm par fuiſſet, commotione patefeci, cuius à te offenſionis veniam peto, ac velim credas tuo me ſemper obſequio deditum fore, & conſtanter addictum. Idem promitto recipióque celeberrimo illi Iuriſperito, qui falſam animi mei opinionem, longè veritati contrariam abſterſit, ſuáque ſolertia huiuſce nobis anſam ſermonis obiecit, qui tam fortunato exitu terminatur. Ita fere dictum eſt ab omnibus, & ab illa congreſſione diſceſſum.

Digitized by Google

Commendantur atque ſuadentur quinque illæ boni ſermonis inducendi rationes.

§. 6.

SINGVLARI ſtudio (fidelis anima) tibi rationes illæ quas explicuimus eſſe debent. Apud Iudæos olim in zelotypię ſacrificio, aquæ illæ in quas ſacerdos execrationes ſuas iactaſſet, mulierum matrimonio deuinctarum continentiā probabant: ſi enim integra earum caſtitas, & intacta conſtabat, Epotis illis nihil incommodi damníque contrahebant: at ſi fidem coniugibus datam fregiſſent, miſerè putreſcebant, & diſrumpebantur. Idem planè ſimiliſque prauos in cœtu, & publica conſuetudine ſermones effectus conſequetur, quos certum eſt, ſi tua te fidelitas ad quinque rationum illarum notitiam vſúmque perduxit, aures tuas ſine vllo detrimento eſſe præteruolaturos: contra verò ſi eorumdem bene vtendorum curam ac diligentiam omittas, valdè pertime-

ſcendum eſt, ne ſic te illi corrumpant, vt ex te putidus Deóque & Angelis intolerabilis odor affletur. Ei te igitur ſtudio impensè dedas. Vas teſtaceum, recens & diligenter obturatum, in mare ſi deiiciatur, dulces vt aiunt aquas breui concipiet. Senſus tuos effundi ſi minimè patiaris, ſi obtrectationibus os tuum, cupiditatibus cor diligenter occludas, itáque in negotio verſeris, etſi in impuriſſimo ſæculi huius oceano iacteris, numquam te tamen ſuauiſſimi ſpiritalis quietis latices deficient; ſed vſuueniet ſæpe, vt quemadmodum ficus caprifici ramis obuolutæ ad ſuauiorem celerioris maturitatis ſaporem adducũtur, ita Anima tua velut ſurculus inter ſylueſcẽtes ramos adultus, & gratioribus & numeroſioribus pietatis floribus pubeſcat, ſeu quod amoris diuini flamma, rigente hyeme magis incaleſcat, ſeu vitiorũ quę te circumſtant fœditate cognita, virtutis pulchritudine capta magis magíſque exardeſcas. At quoniam in te minimum reponere debes, prauorum hominum conſuetudinem, ne quid tibi ſordium allinat, ante omnia declinabis. Vt ab aliquo cœtu pedem referas, ſatis

eſſe putes, ſi malè audiat; cibum illũ ne attingere quidem auderes, quem vel modico infectum veneno inaudiſſes. Quòd ſi reſilire aliquando non vales, præſcripta vtendum eſt cautione: ad quam magno tuo commodo accedet vſus crebrarum precatiuncularum.

Orationis iaculatoriæ vſus.

CAP. XXIX.

IACVLATORIAS ideo orationes vocant, quòd calentes quidam ſint incitati animi motus, iique perbreues, qui inſtar iaculi cœlum petant, vt iis internuntiis adoremus, obſecremus, laudemus, miremur, & prędicemus ſupremam maieſtatem. Ea enim eſt Dei ſuauitas, & beneuolentia in famulos ſuos, vt leuiſſimo ſuſpiriolo quocunque loco & occaſione ad Deum fuſo cor ſuum tangi, & amoris vulnere tam acri ſauciari ſinat, quàm vehemens eſſet doloris ſenſus, ſi iaculo pectus feriretur. Ea myſticis illis ſacri epithalamij verbis ſubeſt intelligentia, *Vulneraſti*

Digitized by Google

cor meum ſoror mea ſponſa, vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui. Oculus in pupilla ſua rerum obiectarum ſpecies conſeruat: erit cor tuum mentis tuæ pupilla, in qua tanquam in ſpeculo perpolito iugis Dei memoria elucebit, ſi harum precatiuncularum præſidio fouere illam pergis. Calorem in fornacę ferrum retinet, quod ſi ſubducas, ille confeſtim euaneſcet. Pietatis flammam his oratiuncularum igniculis facilè fouebis, qui ſi abſint, circumfluentibus vndique negotiorum humanorum vndis, vel magna ex parte, vel penitus extinguetur.

Quæ cùm ita ſint, illis vti te perfamiliariter volo: moleſtas illas eſſe plerique putant, quòd in iis vtendis, via & ratione non procedant, tu ſi hanc approbante moderatore tuo tenebis, haud multum negotij faceſſent.

Singulis hebdomadæ diebus vniuſmodi actionem propoſitam habebis; quam ſæpiùs in die, pro rerum occurrentium varietate iterabis.

Dies Lunæ fidei actiones ſibi vindicet, quarum vberem in ſymbolo Apo-

ſtolorum meſſem inuenies : cuius primum caput (vt in exemplo vſum aperiam) hanc rationem ſuggerit:

Adoro te Deus optime maxime, parens, procreator, conſeruator, & moderator cæli, & terræ, bonorum omnium origo, & fons inexhauſtus. vel iſtam,

Sint dij Gentium ſimulachra mortua, quæ oculos habent, & non vident, aures habent, & non audiunt: Confiteor ego te Deus meus, & adoro, vt Deum omnia videntem, audientem omnia, atque omnipotentem.

Die Martis mentem erigent actus ſpei, ab oratione Dominica repetiti, quorum hæc formula à principio ducta eſſe poteſt.

Ita eſt Domine Deus, Pater noſter es, Abraham neſciuit nos, & Iſraël non cognouit nos, in quo igitur ſpem, niſi in te defigemus?

O amantiſsime Pater, da, vt amantiſsimi ſimus filij.

Vbique es Deus meus, ſed in cælo maximè elucet maieſtas tua, eò gratia tua fultus aliquando vti ſpero deueniam, vt cum beatis æternùm laudes tibi decantem.

Dies Mercurij in exercendis actibus charitatis ponetur, quos affatim Decalogus ſuppeditabit, ad eos ſic tibi præeo.

Digitized by Google

Quis ego ſum Domine, vt te velis amari à me?

O amoris centrum, in te vnum amore, velut pondere ſuo, rapiatur anima. Centrum ſuum lapis ſemper requirit, nec vnquam niſi in illo acquieſcit.

Ego verò quid in humilibus hæreo, nec ad te continuo euolo, ô centrum, & quies animæ meæ?

Diem Iouis variis à Deo rebus petendis traduces: quò tuę aliorúmque arctiores ſunt anguſtiæ, eò ad petendum campus maior patebit. Studebis ergo Eccleſiæ, Regno, Regi, neceſſariis tuis, tibiipſi cœleſtia impetrare auxilia, virtutum propagationem, exciſionem vitiorum, aliáque id genus, quorum hoc exemplum habe, vt pro Eccleſia ores.

Aſperge Domine Eccleſiam vineam tuam ſalutifero gratiæ tuæ rore: ne quæſo, illam ferus aper depaſcatur. Excole illam Deus meus, & ab omni offenſione perpurga: Recordare Domine ſanctuarium tuum eſſe.

Pro regni huius incolumitate: *Omnipotentiſſime Deus, qui tribus digitis terrarum immenſitatem libras, tuere precor, & conſerua Imperij Francici dignitatem.*

Limpidiſſimis paternæ beneuolentiæ fluuiis

Digitized by Google

lilia eius irriga.

Sit per te ſemper, Gallia præſidio bonis, terrori malis, tuis honoribus celebrandis deditiſſima.

Pro Rege, *Rex regum, ſit in tutela tua ſemper Rex noſter.*

Hæreat vt annulus in dextera tua.

Vireat ſemper, floreátque ſceptrum eius, nec vllo vnquam torpore marceſcat.

Circunſtent illum denique tutiſſima Angelorum tuorum præſidia, quæ cuncta ab illo pericula depellant.

Salomonem gloria, Samſonem robore, Ezechiam pietate ſuperet, nec minus quàm Dauid ad cor tuum faciat, & viuat.

Dies Veneris gratiis habendis collocabitur. Beneficia à Deo collata præbebunt argumentum, quorum alia poſitiua ſunt, alia priuatiua: ad genus alia, alia ad ſpeciem pertinent: nec vllis prope materia iſta finibus circunſcribitur, vti neque Dei in nos dona.

Diei Sabbati proprium erit Deum extollere, & prædicare. quod ſanè latiſſimè patet: huc enim pertinent omnia Dei coniuncta, ſeu attributa: Patrem æternum in Filio laudamus, in Patre Filium, vtrumque in Spiritu ſancto.

Dei laudes in beatis agnoſcimus, operà eius ſeu naturæ, ſeu gratiæ prædicamus; naturam eius, ſapientiam, potentiam, bonitatem, iuſtitiam, miſericordiam, æternitatem, &c. extollimus.

Die Dominico, totam Deo te offeres, & conſecrabis, totam te voluntati eius liberrimè permittes, illi tua omnia, naturam, facultatéſque tuas, & omnia, illarum munia deuouebis. Patri æterno memoriam, vt eam impleat; mentem Filio, vt ab eo illuſtretur; Spiritui ſancto voluntatem, illam vt pietatis æſtu incendat, &c. Hic puriſſimã Dei Genitricem, Cuſtodes Genios, Patronóſque tuos appellabis, & velut tuos apud Deum legatos & deprecatores adhibebis.

Diſtributis commodè in ſingulos dies precandi formulis, illas ad vſum crebrò, breuiter, & cum aliqua varietate reuocare, nullo rerum, aut verborum delectu, prout pietas ſuggeret eniteris; idque tum priuatim, tum publicè, ſeu diſſeras, ſeu taceas, ſiue in aliorum congreſſu, ſiue ſolitaria vbique, & quacumque occaſione, corde potiùs, quàm ore, ſine contentione menti odioſa, atque

ita vt cæteri minimè aduertant efficies, ſed ſolùm habeas illum arbitrum, cui vni ſtudia tua probare contendis.

Quòd ſi per anguſtias memoriæ non liceat hæc actionum genera ſtatis reddere diebus, leua eam hoc onere, & laxa illi habenas, vt quamlibet iſtarum quouis exerceat die, prout maiorem pietatis ſenſum experieris: neque verò alias precationum formulas prohibeo, dummodo ſeptem iſtæ velut præcipuæ, & nobiliſſimæ ſint tibi familiariter ad manum: nam ſi in incertum feraris maturè præmoneo, exareſcet breui pietas iſta, téque vacuam & inanem deſtituet. Si verò me audias, vt magnum in ampliſſima materia ſubſidium mens habebit, ita meliore ſucco pingueſcet voluntas, vt robuſtior in dies, & alacrior exiſtat, ad Dei amorem, quem hoc maximè pietatis vſu quærimus, comparandum.

Adhæc ſingulis diebus, addatur exercitatio ſequens.

Digitized by Google

Quadruplex exercitatio ſingulis diebus adhibenda.

Cap. XXX.

PRIMA eſt, vt de genibus, iunctis ſuppliciter manibus, vultu in terrã deiecto, corde in cœlos defixo fidem, & clientelæ obſequium Deo perſoluas, téque, tuáque omnia ipſi offeras, dedices, & conſecres, agnoſcáſque nihil in te vllius pretij, vel momenti eſſe, quod in eius dominatione & poteſtate eſſe non velis. Quare gratias illi referes ampliſſimas, tuáque cum illius voluntate ſtudia omnia coniunges.

Quantam neglecti officij labes offenſionem apud Deum haberet, tantum hæc actio gratiæ habebit, qua ipſa quodammodo illius in te munificentiſſimæ beneuolentiæ facias ſatis. Tempus porrò ad illam accommodatiſſimum matutinum eſſe ſentio, antequam ad ſolita munia diuertas: hac verò, aut conſimili formula concipi poteſt.

Deus

Deus optime maxime, Rex regum, & Dominus dominantium, en ego humillimum opus tuum manu tua creatum ſuppliciter coram ſuprema maieſtate tua proſtrata iaceo, vt in oculis cœli & terræ clientelam & obſequium præſtem, & profitear apud te quicquid ſeu in corpore, ſeu in anima mea, boni ſpeciem aliquam habet, id totum in ære tuo eſſe, atque à tua vnius poteſtate pendere, quæ niſi me fulciret, iam pridem in nihilum abiiſſem. Benedico tibi Domine, & immenſas gratias habeo pro collatis mihi naſcenti beneficiis, iiſque cœleſtium donorum effuſa liberalitate deinceps cumulatis (expendenda erunt pauliſper vtraque munera.)

Adoro inſuper Deus meus paternam illam in me prouidentiam tuam, qua non modò grauia incommoda, quibus alios me minùs meritos conflictari paſſus es, à capite meo longè prohibuiſti, ſed me in præsẽtiſſimo diſcrimine conſtitutam, & propè deſperantem liberaſti: da Domine, vt ingrati animi crimen effugiã, vt ea memori mente ſemper agnoſcam, nec vllum in te officium meum deſiderari patiar, ſed tuis te muneribus enixè colam; hæc vota, hæc deſideria mea ſunt, quibus ita promoueor, vt iis ipſis donis tuis omnino exui optem, ſi ea in obſequium cultúmque tuum non ſint

Digitized by Google

ritè collocatura. Illis enim carere, imo è tuorum albo deleri malim, quàm iis per ſummum nefas abuti, cum aliquo tuo dedecore, Deus meus, munerator meus, & autor vitæ meæ. At quoniam non te pœnitet donorum tuorum, ſit obſecro munificentiæ tuæ illa potiùs conſeruare, & vitiorum cupiditates, gratiæ tuæ rore extinguere: vt iis te impenſiùs in hac vita colam, & demum in cœlis gratias & laudes æternas rependam.

Secunda exercitatio quotidiana.

CAP. XXXI.

RECORDATIO mortis, & paſſionis Chriſti, ſecunda èſt exercitatio cuiuſlibet diei. Cùm enim auguſtiſſimum Miſſæ ſacrificium eo fine ſit inſtitutum, cùm tam horrendæ morti effuſus in nos amor illum obiecerit, vt præſentiſſima nobis ad ſalutem ſubſidia conferret, omnibúſque vulneribus præteritis, prę-ſentibus, & futuris medicinam faceret, minimè ferendæ obliuionis eſſet tanti beneficij memoriam ex animo delere; quare noſtrum eſt in die vt minimum

ſemel immenſum illud diuini erga nos amoris argumentum in mentem reuocare, non vt in Pilatum & Iudæos ſtomachemur (quod ſapienter parum, parúmque vtiliter aliqui faciunt) ſed vt liqueſcat cor noſtrum pietatis ſenſu, vt doloribus eius indoleamus, vt amantiſſimi Domini amore toti exardeſcamus, vt timeamus iuſtitiam eius, qui tam ſeueras de flagitiis noſtris pœnas ſumpſit, vt ad nos voluptatum odium, crucis amorem aſperioris vitæ deſiderium permoueat, vt in hac ſchola demiſſionē animi, noſtri contemptum, manſuetudinem, & in aduerſis tolerantiam diſcamus, reliquarúmque virtutum illuſtria, quæ hîc eminent documenta, ad manum habeamus; vt æſtimemus, laudemus, adoremus potentiæ, ſapientiæ, & bonitatis diuinæ immenſitatem, quæ infirmitati, inſcitiæ & nequitiæ noſtræ tam incredibili, admiranda, & prædicanda ratione, potuit, nouit, voluitque opitulari.

Stat ſuauiſſima ſponſa, velut in excubiis, *in foraminibus petræ*, hoc eſt, enarrante beato Bernardo, in vulneribus Chriſti: nam quæ anima Dei amore

non vulgari flagrat, ea non ſatis habet obiter per diem vulnerum eius meminiſſe, ſed illorum perpetuam quandam ſpeciem oculis obuerſari ſuis exoptat; quare ex cruce, lancea, clauis, flagellis, ſpongia, corona, & aliis funeſti ſupplicij inſtrumentis ſertum componit, quod in ſinu ſuo odoretúrque continuò, dicátque cum eadem ſponſa, *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.* Quod tanto animi ſenſu & iucunditate ſua facit, vt omnes mundi illecebræ præ huius ſuauitatis voluptate reſpuantur. Ex illis enim omnibus ſerti illius floribus exhalat ſeruatoris Chriſti ſanguis, vnde præter gratiſſimam effuſæ bonitatis, & incredibilis amoris ſuauitatem, certa quadam ſalutis noſtræ aura, & certiſſima ſpes æternæ felicitatis afflatur.

Iuſtiſſimi huius officij noſtri ne nobis obrepat incuria, diligentiſſimè cauet optima parens Eccleſia, propoſito frequenter ob oculos Crucis vexillo: illud in prętoriis ſuis, ſacris ſcilicet ædibus extollit, illud ad ſacratiores ritus adhibet. Inuentæ & exaltatæ Cruci feſtos dies indicit, nobiliſſimas actiones noſtras hoc ve-

lut charactere & ſigillo notatas cupit, impreſſo in fronte & pectore ſacratiſſimo ſigno, extremam agentibus animam illud idem oſtentat: omnes denique captat occaſiones illius nobis ſuggerendi, vt Apoſtoli præceptum impleamus, *Recogitate eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus aduersùs ſemetipſum contradictionem, vt ne fatigemini, animis veſtris deficientes.* Et rurſum: *Hoc enim ſentite in vobis, quod & in Chriſto Ieſu, qui humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem Crucis.* Acquieſce igitur conſilio huic, Anima Chriſtiana, recogita, nec ſine ſenſu Dei tui mortē tanto tui amore ſuſceptam, vt pro te vna illam obire paratiſſimus eſſet: ſtatue apud te illum vitæ tuæ diem ingratiſſimum & odioſiſſimum fore, quo tanti beneficij memoriam non excitaris.

Commodum porrò huic recordationi tempus eſſe dixerim, vel ſub ipſam venerandi ſacrificij horam, vel etiam dum ipſum ſacrum peragitur.

Tertia exercitatio.

CAP. XXXII.

TERTIA exercitatio ea eſt, vt quoniam ſingulis diebus in aliquo peccatur, quotidie item concipiatur dolor de peccatis, in ſupremum Numen commiſſis, ídque ex amore maximè, conſtituáſque apud te feriò fauente eius gratia illa in poſterum emendare, omnémque viam declinare, quæ lubricos & præcipites habeat exitus. Cohæret omninò aptáque eſt cum ſuperioribus hæc exercitatio. Quis enim illas in vſum reuocabit, quem ſtatim non corripiat dolor de flagitiis, quorum ſe reum eſſe ſentit? Tunc, Anima dilectiſſima, gratias Deo referes, quòd ex inanitatis tenebris in lucem te vocarit, quòd ſanguinis te ſui pretio redemerit, & ſi delicti alicuius tui memineris non ingemiſces? Imò non exclamabis, & dices, *Heu me! hæccine eſt grati animi ſignificatio, quam pro innumeris quibus me Deus cumulauit beneficiis repen-*

Digitized by Google

do? Itáne verò deliraui, vt momentaneam viliſſimámque ob voluptatem, quæ in nihilum abiit, procreatorem meum, qui è nihilo me formauit, ad iram prouocarem? Ergóne imago eius inducenda fuit, & ex animo meo obliteranda, vt in eo dæmonis hoſtis ipſius effigiem collocarem? Ergóne tot me dotibus & facultatibus exornarat, vt illis in eius contemptum abuterer? An ſceleris flammam accendere in animo meo debui, quam tanta gratia donorúmque copia copioſiſſimo etiam ſanguinis ſui imbre voluit eſſe reſtinctam? Quid igitur, heu miſera, feci cùm legem eius violaui? annon iterum illum in Crucem ſuſtuli? O me infelicem, quomodo adeò inſaniui? O Domine miſereat te ſupplicis famulæ tuæ! En ego ad thronum miſericordiæ tuæ proſtrata, ſanctiſſime teſtor cautiorem me, opitulante gratia tua, vigilantiorémque multo deinceps propter te futuram, vt omnia flagitiorum inuitamenta declinem: ignoſcè itaque Domine, & da, vt noxas omnes meas apud ſacerdotem expiare poſſim, vti me, cùm primùm fieri poterit, facturam promitto. Hac adiunctione, ſeu conditione toties hæc actio concludenda erit, quoties grauius aliquid peccaris: numquam tamen tibi committendum eſt, vt eam aliquo die præter-

mittas, ſed ſub examen ſerotinum quotidie illam exerce.

Quarta exercitatio in Beatæ Virginis cultu ponenda.

Cap. XXXIII.

QVARTA exercitatio, quam quotidianam eſſe tibi peruelim, in eo ſita eſt, vt ſub noctem, vel de mane, (quod magis probarim) excitetur in te pietas erga ſanctiſſimam Dei genitricem, adhibita ſcilicet aliqua precatione pia, qua conceptam de illius maieſtate opinionem profitearis, ínque eius clientelam confugias, vt ea iuuante filio eius teipſam tuáſque omnes actiones, illas verò maximè, quæ præcipuè tunc tibi charæ ſunt, poſſis probare: quare illam enixè rogabis, vt eas ſuis ipſa manibus filio offerre, & commendare ne grauetur: ab hac ſanè conſuetudine dæmon pro iuratis in ſanctiſſimam Virginem, quæ caput eius contriuit, inimicitiis, próque innato tuæ ſalutis odio, variis artibus & dolis te

auocare contendet: ſed ſi tuiipſius ſtudioſa es, Anima Chriſtiana, intende neruos omnes, illius vt conatibus obſiſtas, & hoc conſilium meum conſtanter teneas: da operam, vt inter illuſtres huius Reginæ potentiſſimæ famulos cenſearis, quæ ſuis, & in toto vitæ decurſu, & in extrema hora periclitantibus, præſidia digna maternis viſceribus ſubminiſtrat.

Hinc illa ſancti Anſelmi, non vitę ſanctimonia minùs, quàm doctrina illuſtris viri vox, *Sicut enim ô Beatiſſima, omnis à te auerſus, & à te deſpectus, neceſſe eſt, vt intereat, ita omnis ad te conuerſus, & à te reſpectus, impoſſibile eſt, vt pereat.* Significat nempe prædeſtinationis & electionis æternę clariſſimum argumentum, à pietate in B. Virginem in hac vita concepta eſſe repetendum.

Roſarii precationem, & nonnullas alias eius ſalutandę formulas, quas ſtatis temporibus vſurpat Eccleſia, illi eſſe acceptiſſimas dubitari nullo modo poteſt. Illis vtere, & ſi voles, nonnullis etiam aliis, quas pii libelli ſuggerent: aut ſi magis arridet (& fortaſſe conducibilius erit) tu ipſa preces tacita in corde concipe, idque vnum labora, vt diligenter ſtudia

Digitized by Google

vota tua exprimas, quæ tibi neceſſaria ſunt exponas, & impensè illam in terris colas, quam beati omnes, vt reginam ſuam in cœlis venerantur.

Animi collectio ante cœnam maximè curanda.

Cap. XXXIV.

HÆc quatuor omnibus communia eſſe debent; at tu quam ſingulari in te Dei munere, anguſtię ita non premunt, vt innumerarum operarum inſtar manibus tuis, & ſudore tuo cibum comparare tibi neceſſe ſit, vide num ęquum ſit vt ſub veſperam ſeponas aliquod tempus, quod Deo, tibíque tribuatur, circumſcriptis eam ob rem minùs commodis ſermonibus, otioſis, & inutilibus exterminatis, ſalutationum inanium munere prudenter excluſo. Hoc tibi facilè perſuadebis, ſi iuſtitię diuinę oculos in lautioris fortunæ homines intentos conſiderabis. *Audite ergo*, ait Sapiens, *& intelligite, diſcite iudices finium terræ: horrendè, & citò apparebit vobis, quoniam iudicium du-*

riſſimum his, qui præſunt. fiet: exiguo enim concedetur miſericordia, potentes autem potenter tormenta patientur.

Quartam horæ partem, aut ſeſquihoram ad hanc animi tui collectionem dumtaxat poſtulo, quam alicui trium ſequentium actionum dabis.

Prima eſt, vt meditationem matutinam reuoluas, animóque replices ea, quæ maximè grata ad palatum tuum acciderunt, vt eo velut nutrimento reficiaris, creſcátque in te virtutum ſolidarum ſtudium, maximè verò amor diuinus, demiſſio vera, reprimendarum cupiditatum cura, odiúmque ingens peccati.

Secvnda, vt piæ alicui lectioni, quæque affectum permouere poſſit ſtudioſè, demiſſè, & libero à cæteris curis animo incumbas, planéque tibi perſuadeas non hominis, ſed Dei, aut Angeli tui Præſidis illum eſſe ſermonem. Sit igitur ad manum tibi religioſus aliquis liber ad inflammandam voluntatem, quàm curioſitatem paſcendam, aut rerum nouarum formis locupletandam memoriam magis comparatus: limpidam ſi ſæpè in vas lympham effuderis, tametſi effluat, expurgat tamẽ, & illius ſordes abſtergit.

Tertia, vt legas ſimul, & preceris, ea ratione, quam ſuprà tradidi cùm de mixta precatione agerem, libellus ille cui de imitatione Chriſti titulus eſt (in quo ſeruus & Dominus colloquuntur) huic exercitationi inſtituendæ peridoneus mihi videtur, cui præterea ſingulare eſt illud, vt ſi quid per diem acerbi contigerit (contingat autem in ſæculo ſæpe neceſſe eſt, cuius horti acerbis, quàm Panchreſtanis, ſeu Euſebianis pyris frequentiùs abundant) illius lectione vel confeſtim auertatur, vel animis additis multo leuius faciliúſque reddatur. Vt enim in rebus naturalibus videmus feruenti aheno inditum butyri fruſtum liquoris motus & agitationes reprimere, & ſuo illum vnguine ne redundet effluendo continere, maximè ſi inebulliens ſaccarum ſit coniectum, ob arcanam quandam cum illo naturæ conſenſionem: ita experientia duce compertum eſt, illa dote hunc à Deo eſſe donatum libellum, vt ſi qui (maximè verò Deum obſeruantes) in anguſtiis poſiti, aliquid ex eo delibent, tempeſtiuum ſemper, & opportunum ſubſidium inueniant, quo vel triſtitię nubes penitùs diſ-

Digitized by Google

pellatur, vel ſaltem iucunda aliqua luce recreentur.

De triſtitia.

Cap. XXXV.

HVivs te præcepti, ſtudiíque te meminiſſe volo, vt variis in ſententiis poſita anxiáque mente diſtracta, ad illud ſpei plena confugias. Etenim triſtitia miſerrimæ parentis proles eſt infelix, doloris nimirum, qui vel è iactura bonorum, vel mali alicuius præſentia ortum habet: quam niſi cum virtute, quæ frœnos ei adhibeat, copulaueris, teterrimam omnino progeniẽ creabit: corpus pigro frigore ſic aduret, & terreno torpore exſiccabit, vt plurimi inde morbi ſint promanaturi: omnes animi facultates ita remittet, & franget, vt infelicia iræ, indignationis, inuidiæ, & diuinarum rerum faſtidij dumeta ſuccreſcant. Quare rectè Syraci filius monet, *Triſtitiam non des animæ tuæ*, (atram illam, & deiectam intelligit, cuius non Deus, ſed mundus & caro auctores ſunt) *multos*

enim occidit triſtitia, & non eſt vtilitas in illa.

Quod curandis articulis medicamentum paratum eſt, oculis mederi nequaquam poteſt; affectis enim partibus adhiberi remedia topica debent, quæ illis priuatim ſanandis ſunt excogitata. Quare cùm triſtitiæ proprium ſit ſcelerum cicatrices obducere, fruſtrà illam ad curanda vlcera, quæ bonorum caducorum iactura fecerit, optabis: cùm tamen perutilis illa futura ſit tibi, ad expurgandas criminum maculas aduocetur.

Neque tamen moroſam illam Stoicorum indolentiam, & apathiam tibi præſcribo: acriores aliquando ſunt dolorum aculei, quàm vt diſſimulari queant, ſed eos à te temperari volo; non ad triſtitiæ cotem exacui, ſi lacrymis interdum eſt indulgendum, ratio illis, non impetus habenas permittat, adducátque: obtineat à te rectum iudicium, quod pauci dies & hebdomadæ darent: nolo te id tempori cum vulgo, ſed cum ſapientibus acceptum ferre rationi, patientia coniunctæ.

De patientia.

Cap XXXVI.

PATIENTIAM cùm dico, germanam illam & veram, non fictam, ac adumbratam hypocritarum patientiam, aucupandis tantùm laudum humanarum rumoribus intentam, intelligo: neque Philoſophicam illam prudentiam quorundam huius tempeſtatis hominum nullis ſolidæ charitatis ſubſtructionibus fultam, ſed fluctuanti ambitionis ſolo inædificatam, aut timoris cinctam repagulis, quo timore percelluntur vehementer, ne quid per impotentiam egiſſe videantur: quod infamiæ genus, vt ſuis inimicum emolumentis longè capitaliùs auerſantur, quàm ſi grauiſſima peccati infamia apud Deum laborent, quæ ſempiternum eis, niſi reſipiſcant, interitum ſit allatura. Hanc ego facilè perturbationis nomine non patientiæ appellem.

Vnius eſt illius patientię nomẽ, quę, vt beatus ait Iacobus, *pudica eſt, pacifica, mo-*

deſta, ſuadibilis, bonis conſentiens, plena miſericordia, & fructibus bonis, qua ſine vitam hominis (quam perpetui inuidiæ turbines iactant, calumniarum ſtimuli configunt, maledicentiæ ſordes inquinant, afflictant aduerſi caſus, morbi populantur, & vexant, innumera denique malorum turba circumſideat) iugem calamitatem, aſſiduam tempeſtatem, laborem denique, & afflictionem animi eſſe verè pronuntiabis.

In his caſtris tabernaculum tibi poſitum eſt, Anima Chriſtiana, in hac rerum aduerſarum acie frementibus vndique telorum nimbis ſtandum eſt; quam igitur ſpem habebis, ſi conſtantiæ clypeo munita non ſis? quibus odiorum, perturbationis, & impatientiæ iaculis cor tuum configetur? Illius, ais, comparandæ ſtudio teneris, rectè illud quidem, ſed feſtinatione opus, ne conſilium in conflictu capere cogaris: nam ſi te cunctantem occupet ægritudo, propoſitum labefactabit tuum: & languens voluntas afflictationi leuamentum, non vires ac robur animo quæret.

Generoſam ergo illorum mentem probo, qui præmeditatione ſe muniunt, & aduerſæ

aduerſæ fortunæ obuii ſponte fiunt, cum illa manus conſerunt, & ratione inſtructi dimicant, nec à congreſſu priùs recedunt, quàm ad conſtantiæ pedes abiectam ſuperatámque cognoſcant. Etſi enim vmbratilis hæc dimicatio videtur, vt quæ cum hoſte ficto ſuſcipiatur, tamen rationum & conſiderationum armis agitur, veríſque petitionibus hoſtis prouocatur, è quibus non inſtruitur modò, confirmatúrque mens hominis, ſed ea etiam victoria reportatur, quæ ob rectam voluntatis contentionem cum merito præmióque.

Qui verò reapſe nos aduerſi caſus petunt, ij pariter conſtanti animo ſunt domandi. Nam quemadmodum vrticam, ſi molli manu colligas, pungit; ſi ſecura comprimas, nullum habet aculeum; ita res aduerſæ ſi in mollem animum inciderint, frangunt; ſi fortiter excipiuntur, frãguntur ipſæ, & proteruntur. Proiternendæ igitur ſunt illæ, ne nos vtique affligant, proſternant, quod duplici via aſſequemur. Altera ſi aditum illis ad nos obſtruamus, iis fortibus præſidiis obiectis, quæ Deus in eum finem ſubminiſtrat, quæque à nobis abſque temeritatis

& Dei periculosè tentati diſcrimine prætermitti facilè non poſſunt: illa porrò præſidia ſine tumultu & concitatione quærenda, ne vehementiori quàm par ſit incommodi propulſandi cupiditate teneamur, ſed æquabili ſerenóque vultu, ita malis occurramus, vt in Dei poteſtate eſſe, eiúſque nutu Regi omnino velimus, & æquo animo quicquid ille conſtituerit excipiamus; ſi dolorem obiecta propugnacula defenderint, gratias habebimus; ſin hoſtis illa perruperit, artémque noſtram ſenſus vicerit, Dei prouidentiam venerabimur, eiûſque conſiliis acquieſcemus. Altera pugnandi ratio in eo ſita eſt, non vt doloris ſenſum (quem Deus infligit, vt ſentiatur) ſed vt angorem, & anxietatem immodicam extinguamus, moroſas ſollicitudines, odioſam triſtitiam, quæ infirmas, & à patientia non ſatis inſtructas animas ſolet vrgere, patientiæ ſiquidem eſt, hæc dumeta vepréſque funditus reuellere, vt iucundos quietis & tranquillitatis ſurculos in animo ſerat. Quos clara & honorifica miſeriarum genera delectant, ea verò non ferunt, in quibus eorum conſtantia lateat, ſimulacrum virtutis ha-
Digitized by Google

bent aliquod inaniſſimi honoris illecebra confictum, veram germanámque virtutis ſpeciem nullam tenent. Felix Anima, quæ turbidis in rebus mentis tranquillitatem experitur: ô quàm diuitem theſaurum pacis poſſidet! ſtabit illa tamen, ſi me audiat, ſemper in ſpeculis, vt inſurgentes iracundiæ motus aduertat ſtatim, ſtatimque compeſcat. Vt enim parua è ſcintilla ſæpe magnum erumpit incendium, ita leuis animi commotio non coërcita, aliquando vehementer augetur. Si per incuriam excedit aliquid tibi, quod nonnullam apud alios habeat offenſionem, remoue illam actutum quantum in te erit. Quòd ſi, vt fit angeris animo, nec viam ſatis inuenis qua officium tuum impleas, ſuccenſe ipſa tibi, atque his verbis ignauiã tuam caſtiga. Hæccine eſt fides Deo meo toties data? Eòne pertinebat ſolemnis illa mei conſecratio, quam adeò conceptis verbis nuper illi feci? cùm corde velut in manibus poſito exclamabam; accipe Domine, accipe cor meum, illud tibi do, dico, voueo, ſacrifico, immolóque quantum quantum eſt, tibi vt vni deinceps viuat, tibi ſeruiat, nihílque niſi ſan-

Digitized by Google

ctiſſimam voluntatem tuam affectet. Hæc ego non dicebam modò, ſed ex animo ſentiebam: nunc verò cùm me vel minimo perſtringi doloris aculeo patitur Deus, commoueor, æſtuo, conturbor, & in ſalutarem ſtimulum iraſcor. O me miſeram! in quas cœcitatis tenebras incidi! vt ſaluti meæ conſuleret acerbiſſimis ſe liberator meus ſponte cruciatibus obiecit, ego vt mihi conſulam leuem iniuriam æquo animo non feram, &c.

Si impotentia ſæuire pergit, Chriſti de Cruce pendentis ſimulacrum in manus ſume, & pectori applicitum ſtringe peramanter, pedéſque & manus, & latus oſculare cum veneratione, ſimúlque in has voces erumpe: *Miſerere dulciſſime Ieſu, nunquam poſtea, nunquam ero tam turpiter vecors: ita deliberatum omnino, conſtitutúmque mihi eſt; hæc igitur humilia oſcula ſacratiſſimis vulneribus tuis, tanto cum cruciatu tuo pro mea tranquillitate ſuſceptis impreſſa, ſint animi conſiliíque mei pignus acceptum.* Tum ad Patrem æternum conuerſa, *Pater*, inquies, *ſanctiſſime, ſint precor hæc amantiſſima vulnera filij tui, perfectum meæ perfidiæ, & ingrati animi medicamentum, tuæque iuſtitiæ faciant ſatis.*

Digitized by Google

Hæc ſi ad huncmodum geſta fuerint, totam planè angoris fæcem exhaurient, quæ ex impatientis animi iactatione reſediſſet in corde.

Sed accipe aliud in ægritudine animi non minus valens medicamentum.

Præſentiſſimum in rebus aduerſis leuamentum.

CAP. XXXVII.

FVNDAMENTVM eius in certiſſimo illo pronunciato poſitum eſt, nullis caſibus aduerſis vitam noſtram conflictari, quæ cœlitus non immittantur, non temerè, aut cœco impetu, ſed certo ac deſtinato Dei conſilio, & efficaci voluntate: vt enim ab inferendo malo culpæ maximè alienus eſt Deus, ita conſultiſſimæ illius prouidentiæ munus eſt, mala quæ vocant pœnarum ita habere prouiſa, vt ea pro tempore, ratione, perſonarum varietate, & honoris ſui amplificatione iuſtis librata momentis ſapientiſſimè diſtribuat, atque diſpenſet. Hæc cùm ſanctus attenderet Auguſtinus, ca-

Digitized by Google

lamitates noſtras in Satanæ odium minimè referendas, ſed vni Deo tanquam primariæ cauſæ adſcribendas eſſe pronuntiat. vnde rectè Gregorius, *Sciendum eſt*, ait, *quia Satanæ voluntas ſemper iniqua eſt, ſed nunquam poteſtas iniuſta, quia à ſemetipſo voluntatem habet, ſed à Domino poteſtatem. quod enim ipſe facere iniquè appetit, hoc Deus fieri non niſi iuſtè permitit.*

Hoc igitur ita poſito, & crebra cogitationis replicatione ita in mente firmato, vt in habitum quendam tranſiiſſe videatur, geminum eliciemus actum, alterum mentis, voluntatis alterum. Ac mentem quidem ſic exercebis. Cùm primùm calamitas aliqua ingruet, certum illud axioma ſtatim in mentem reuocabis, omnéſque cogitationes tuas non in perniciem ex calamitate naſcentem, non in ærumnas, quas illa ſecum trahit, non in artifices & machinatores illius miſeriæ, ſed in diuinam prouidentiam conuertes, certiſſiméque tibi perſuadebis ex illius diſpenſatione illam eſſe profectam, vel vt maiori malo medicinam faceret, vel vt ad illuſtrius bonum adipiſcendum ſtimulos admoueret. Sic vir ille ſanctiſſimus Iob in extremis

poſitus anguſtiis ab omni expoſtulatione ſe abſtinuit, ſatíſque habuit Deo ſuppliciter adorato profiteri, *Dominum bona dediſſe, Dominum pariter abſtuliſſe.*

Intellectus ſic affectus voluntatem extemplò rapit, vt ipſa ſe exuat omni cupiditate, totámque ſe in prouidentiæ diuinæ ſinum coniiciat, déque eius nutu & voluntate ſic pendeat, vt in nullo planè repugnet, nec rationem vllam conſilij præter arbitrium eius exquirat, ſed in eo, velut in nutricis gremio puellus, conquieſcat. Nam cùm ratione duce viderit, penitúſque cognorit à Deo optimo, eodémque ſapientiſſimo hanc vtilitatis ſuæ cauſa ærumnam eſſe ſubmiſſam, cúmque ſapientis eſſe conſtet ea amplecti ſtudioſè, quæ ſibi conuenientia eſſe ſenſerit: quæ tandem afflictio tanta erit, vt ab hac tam æqua, tam Chriſtiana, tanto digna præmio actione voluntatem auertat?

Si igitur mens in officio fuerit, ſuo voluntas pariter non deerit, vt hunc actum exprimat, arduum quidem, & operoſum, ſed in hac exercitatione præcipuum, & palmarem. quòd ſi ſenſus, vt aſſolet, interuenerint refragantéſque motus quaſi

Digitized by Google

factioſos ciues excitarint, qui tumultum miſceant, téque à propoſito abducant, non magnopere mitaberis; faciunt enim, quod ab ipſa natura didicerunt, bona vt conſectentur, mala refugiant. Eſto igitur apud te, ne molliter flecti voluntatem tuam patiaris, ſed conſtanter in illa tui abdicatione perſeueres, dicáſque vel cum beato Iob, *Sicut Domino placuit ita factum eſt: ſit nomen Domini benedictum*: vel cum benigniſſimo Seruatore in hæc verba præeunte, *Etiam Pater, quoniam ſic placuit ante te.*

His ſi animum attendas, peſtifera mundi conſilia reiicies, qui vt vacuos ab ægritudine ſuos præſtet, choreas adire, comœdis aures prębere, mimis exhilarari, in frequentem ſe hominum conſuetudinem dare, Mileſiis fabulis, & Rabeleſia impietate, aliiſque id genus ineptiis recreari iubet, quæ vt exiguo temporis ſpatio à triſtiori ſpecie mentem auocent: at eandem continuo in atram ægritudinis & moleſtiarum ſentinam demergunt: huius verò conſilij mei fructum illum capies, vt in turbida rerum aduerſarum tempeſtate, ſudo ſerenóque tranquillæ mentis cœlo perfruaris, vt contra omnes

animi tui motus & perturbationum acceſſus, expedita ſemper, & in procinctu ſtes ad pugnandum comparata, vt vultuoſum trucémque ærumnarum irruentium aſpectum intrepidè ſpectes, excipiáſque conſtanter, vt ſecura denique coronam expectes, quam generoſis pugilibus magnus Deus promiſit.

Conſolatio iis propria quæ animo afflictantur.

Cap. XXXVIII.

QVos animi angores agitationéſque conturbant, ij haud exiguum in hac exercitatione leuamentum inuenient: quia tamen longo vſu didicimus è re illorum fore, ſi ſigillatim eorum ægritudines excutiantur, & ad ipſa cruciatuum quos patiuntur, capita deueniatur (ſolent enim iſtorum plerique ſibi perſuadere, mortalium neminem tantis vnquam in anguſtiis verſatum eſſe, idque interim agit dæmon, vt ſuas ſine grauiſſima aurium offenſione cogitationes aperire non poſſe certiſſimum habeant,

Digitized by Google

quòd in Chriſtianam mentem nihil horrendum adeò veniſſe vnquam opinentur) dabo operam vt eorum hac in parte neceſſitati non deſim, quare addam, ad conſolationem multorum, nonnulla ſubſidia morbo illorum fugando ſatis idonea, & opportuna.

Non rarò Deus his moleſtiarum flammis amiciſſimos acceptiſſimóſque ſibi viros exuri patitur, vt iis ad vberiores gratiarum excipiendos ſatus excolantur, ita vates Iſaias ſignificabat, cùm diceret abluere Deum ſordes filiarum Sion, *in ſpiritu iudicij, & ſpiritu ardoris.*

Quod in ſpiritu iudicij facit, tribus maximè gradibus continetur. PRIMVM (qui ab ipſo proximè curatur) intelligo, cù omni pietatis ſenſu, & teneriore affectu ita mentem exuit, vt illa quæ cœleſti non ita pridem conſolationum imbre diffluebat, arida ſine ſucco, languens, afflicta, tædiíſque oppreſſa ſuccumbat, iaceátque in ſquallore, & tenebris adeò denſis, vt Deum amaſſe nunquam, nunquam nouiſſe videatur. Gratiam illi, & ſocia Spiritus ſancti dona ſubduci non dico, ſed hilaritatem illam qua dilatari, & explicari, dulcedinem qua perfundi,

Digitized by Google

& recreari amicorum Dei corda, vt plurimùm ſolent. Tametſi enim in illa iactatione rectum animâ clauum teneat, multáque virtutum opera edat, rectum illa tamen curſum non agnoſcit, ſibíque permittente Deo perdere ſe omnē operam, teri à ſe tempus, ſcelera ſceleribus adiungi, diuinum ſibi Numen placari non poſſe, ob inſolens aliquod reconditúmque flagitium, cuius ipſa non meminerit, propter quod tamen illam Deus abiecerit, repræſentandum illud in mortis articulo, ſed ſeriùs; nihil aliud niſi exquiſitiſſimum inferorum ſupplicium ſibi eſſe expectandum, &c. Hîc illa ſi ad preces ſe conuertat, atque ad Chriſti genua proſternat, deſpici ſe, & velut reiici, & amandari ſentit; ſi ſolemnis occurrat dies, ſi adeunda Sacramenta, in quibus tantum aliàs præſidium & leuamentum inueniebat, exareſcit amplius pietas, tabes magis inualeſcit. Tantis in cruciatibus poſita ſic laceratur, exeditur, & cōficitur anima, vt cum liberatore ſuo exclamare cogatur: *Deus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me?*

Ad hunc gradum SECVNDVS accedit, cùm dæmoni Deus habenas per-

mittit, vt continuis animam impreſſionibus vexet: tum igitur illa non defecta modò cœleſtibus gaudiis, ſed horrendis agitata tentationibus irruentes in ſe tartari copias excipere, & ſuſtinere cogitur: nec leuiorum tantùm tormentorum, ſed ingentium machinarum emiſſiones patitur, hinc illæ peruicaciæ, obſtinationis, blaſphemiæ, infidelitatis, impuritatis cogitationes, & turpiſſimarum imaginum ſpecies, quas tanto impetu librat callidus ille machinator, vt deiectam ſe, & proſtratam ſingulis momentis infelix anima opinetur, cùm tamen erecta ſemper, & conſtanti mente ſteterit in gradu, auxilio gratiæ munita, quæ illam ita confirmauit, vt omnes petitiones effugerit, oblatáque ſcelera pertinaciſſimè reſpuerit, atque etiamnum acerrimè deteſtetur. At quoniam ſolita luce non compleatur in illo tenebrarum horrore aduertere non potuit, an tot inſidiis appetita, ſatis fortiter firmitérque reſtiterit: rata igitur ſe ſuccubuiſſe, angitur animo, cõtriſtatúrque vehemẽter, quòd lapſam ſe putet, adeóque Deo inuisã, cuius tamẽ gratiam multo copioſiorem tã generoſa concertatione promeruit & comparauit.

TERTIVS gradus, afflictationum & calamitatum externarum acceſſione fit grauior, nunc enim homo morbis afflictatur, nunc fortunis & facultatibus externis ſpoliatur, orbitatem aliàs, aliàs improborum contumelias patitur: quin & à probis interdum arguitur, & exagitatur, qui per virtutis ſpeciem, rati officio ſe fungi ſuo, illam in incredibiles & inexplicabiles anguſtias compellunt. Ita domi, & foris, publicè, & priuatim exercita, quocumque ſe vertat dura, aſpera, odioſa, inimica omnia offendit, & ſub grauiſſimo ęrumnarum pondere ingemiſcit.

Quid agat anima in tam lubrico præcipitíque flexu? ſi dæmonem audit, ſpe abiecta contabeſcet; ſi ſeipſam metu & terroribus caput obtundet: imperitum ſi conſulat, in crudeliſſimam perturbationum carnificinam illam detrudet: cùm enim ſuccurrant animo delicta iam ſatis per Confeſſiones priſtinas eluta, quæ tamen memoriam fugiſſe ſuam vereatur, non admodum prouiſus moderator, generalis inſtaurandæ Confeſſionis auctor erit, atque ita fiet, vt noua commemoratio, & retractatio cicatri-

cum iam obductarum velut vnguem in vlcere defigat, vulnúſque recrudeſcat, quod obliuione curari meliùs potuiſſet: obiectis itaque veterum criminum multiplicibus formis, amariſſima ſuperſtitione torquebitur, & nouæ aliæ ex aliis ortæ dubitationes, vanis agitatam terroribus Animam nullam quietis partem capere ſinent.

Meminerit ergo Anima hoc mœrore contabeſcens ſe à Deo non modò in ſpiritu iudicij probari, ſed etiam in ſpiritu ardoris, id eſt, ardentis charitatis ignibus exerceri, quæ charitas nunquam illam tot angi cruciatibus permitteret, niſi hac ratione multo quàm antè illuſtriùs perpoliretur, ornaretur, & ditaretur. Huius enim experimenti varij ſunt item gradus, pro varietate cauſarum, quibus adducitur Deus, vt animæ periculum faciat, & illius fidem atque conſtantiam exploret.

Digitized by Google

Cauſæ propter quas Deus iuſtum permittit animo afflictari.

CAP. XXXIX.

PRIMA cauſa eſt, vt demiſſiſſimè de ſe ſuiſque viribus anima ſentire diſcat, agnoſcátque quàm parum in ſeipſa præſidij inuenire poſſit.

SECVNDA vt pœnas flagitiis ſuis debitas in hac vita expiet, quas in vindicibus flammis elueret multo ſeueriùs, vt ex illa, quam tum patitur domeſtica carnificina coniicere poteſt.

TERTIA vt à multis maculis expurgetur, quas per otium facilè contraheret: ſicut in mari videmus, quod in tranquillitate ſordibus oppletur, quas orta tempeſtate protinus exonerat, & in litus effundit.

QVARTA vt cùm cæteros eadem moleſtia conflictatos animaduerterit, eorum quos ſuſtinent dolorum commiſeratione capiatur.

QVINTA ne Dei quodammodo oblita,

Digitized by Google

deliciis illis ſpiritalibus nimio plus adhæreſcat, atque vt agnoſcat paternam in ſe diuinæ prouidentiæ beneuolentiam, quæ amantiſſimo filio pomum eripit, vt opimam eidem hæreditatem relinquat.

SEXTA vt ad ſtudium precationis ardentiùs excitet: videmus enim matres à puſionibus ſuis vultum tantiſper auertere, vt blandiùs ab iiſdem requiratur, Chriſtus ipſe certè mulieris Chananææ preces deſpicere, & durioribus verbis, etiam interpellatus ab Apoſtolis, illam amandare videbatur, cùm tamen ea tum ipſi ob ſingularem fidem, & eximiam ſpem eſſet acceptiſſima.

His itaque moleſtiarum velut inteſtinis vermibus medullas ipſas carpentibus, & ſuccum pietatis prope omnem depaſcentibus, non conturbetur anima, nec ſiniſtri quicquam de ſponſo ſuo ſuſpicetur, ſed

1. Veniat in mentem illum eſſe qui deducit ad inferos, & reducit, hoc eſt, qui amiciſſimos quoſque variis afflictari cruciatibus per aliquod tempus ſinit, ſed eos deinde paci & tranquillitati reddit. Eadem igitur ſperet, ſibique perſuadeat

ſuadeat effuſam illam Dei bonitatem ſibi manum aliquando porrecturam, vt tam fœda tempeſtate depulſa, emergat ex illis vndis, & è ſcrupuloſis cotibus enauiget, occurrant illi frequenter ſuauiſſima illa Iſaiæ verba: *Ad punctum in modico dereliqui te, & in miſerationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abſcondi faciem meam parumper à te, & in miſericordia ſempiterna miſertus ſum tui.*

2. Abſtineat quantum poterit ab illa cogitatione ſuperſtitioſa: his ſe damnatam ſuppliciis, ob grande aliquod, & occultum crimen: cùm certum ſit non alium eſſe huius perturbationis fontem, quàm arcanum Dei ſic permittentis conſilium. Quare ne moroſè ſuperioris vitæ rationes ſubducat, maximè ſi duci & moderatori ſuo ita viſum ſit, ſed ſatis habeat in vniuerſum peccatum omne deteſtari, & pœnitere ſi aliqua ſua incuria factum ſit, vt aliquid in ſuperioribus Confeſſionibus irrepſerit vitij, nec de cætero magnopere laboret.

3. Tentationes, quas patitur ne inſolitis ſuipſius afflictationibus, maximè interioribus expugnare contendat; alũtur enim potiùs hac ratione quã extingũtur.

4. Subiiciat ſe humillimè Deo, & crucem hanc liberali excipiat voluntate, certóque teneat in hac amanter & patienter ferenda, martyrij palmam inueniri tanto nobiliorem, quanto ad inferioris hominis dolores etiam ſuperioris cruciatus acerbiſſimi iunguntur, quos tamen Martyrum plerique non ſint experti.

Denique ſapientiſſimis Dei conſiliis vſquequaque ſe regendam permittat, atque hoc ſui experimentum, velut pignus amoris de manu Dei ſumat, dicátque cum Chriſto: *Etiam Pater quoniam ſic placuit ante te*. Vel cum Dauide vehementiſſimè agitato: *In te confidit anima mea, & in vmbra alarum tuarum ſperabo, donec tranſeat iniquitas*, id eſt, dolor.

Hac ſi via & ratione anima procedat, inſtar auri probatã ſe ſentiet, quòd dum excoquitur fæcem, non pondus amittit in igne ſordes eius abſumuntur, naturæ nihil deperdit, ad incudem in tenuiſſimas laminas ducitur, nec conteritur. Experietur in ſe benigniores beatas illas mentes, quas maxima hilaritate perfudit, cùm ſuæ conſtantiæ tam illuſtre ſpecimen dedit; dum eam inſtar

Digitized by Google

ſcopuli in medio mari æſtuantibus & frementibus vndis firmam fixámque viderunt, & ferendo vincentem: Sanctorum in ſe omnium oculos conuertet, vt quæ in media illuſionum ſatanicarum illuuie non illibata modò perſtiterit, ſed vt inter ſordes Adamas, illuſtriori claritate refulſerit. Denique id erit aſſequuta, quod maximè omnium optandum eſt, vt viuam quandam, & natiuam Chriſti Ieſu ſpeciem prætulerit, quo nihil aut ad commendationem maius, aut ad ſingularem Dei in ſe beneuolentiam illuſtrius, aut ad æternæ vitæ ſpem concipiendam certius exploratiúſque poteſt obuenire.

De lætitia bene temperata.

Cap. XL.

VT mali opinione triſtitia, ita magni boni præſentis cogitatione lætitia concitatur, quæ & in laude, & in vitio eſſe poteſt, prout ad varios vſus aduocatur: diſſoluta & effrænata, peſſima eſt, hoc maximè, quòd ad infames

Digitized by Google

pertrahat voluptates ; hanc cœcitas mentis & ſalutis obliuio pariunt, leuitate creſcit, curioſa rerum nouarum indagatione roboratur, delectationibus paſcitur illicitis, confabulationibus, mimis, licentia, & geſtiente voluptate inualeſcit. A precatione & mentis collectione abhorret. Gaudere te quidem ſemper velim, ſed non hac elata geſtire lætitia, quæ terminatur luctu, continuiſque mortis & ſupplicij minis vrgetur: iuſtorum gaudium germanum, ſincerum, rationíque conſentaneum obtine: eius fons perennis eſt recta conſcientia; ſocios habet, fidóſque comites, pietatis ardorem, magnanimitatem, pacem, & tranquillitatem mentis: proſpero rerum exitu augetur, intra terminos rationis laudabili fine ſuauiter continetur. Neque porrò auſterum adeò eſt, & graue, vt omnem aſpernetur oblectationem, quæ ingenij contentionem remittat, & corporis valetudini conſulat; ſuauibus modeſtíſque colloquiis exhilaratur, camporum amœnitate recreatur, lætatur amicorum congreſſu, concentibus mulcetur, latrunculos, calculóſque, & ſi qui ſunt

de hoc genere alij ludi, quos non ſors, vt aleam, ſed induſtria commendet, eos interdum aſſumit: ambulationem amat, venationem, aucupium, aliáque id genus minimè damnat, ſi moderatè, ſi in tempore, ſi pro ratione ſtatus & conditionis cuiuſque ſuſcipiãtur. Choreas, nocturnóſque conuentus fugit, quibus opera noctis tenebroſa plerumque comitantur, ſunt enim hæc eiurationum animi, perturbationúmque fontes, inimicitiarum, odiorum, inuidięque incitamenta, in his mirum quantum vanitas inſoleſcat, vt irriſiones & cachinni iactentur, vt dicta cogitatáque effundantur liberius, inſaniant tantopere actiones, vt ad eam infamiam Angeli Præſides exhorreſcant, Deus grauiter ad iracundiam prouocetur.

Digitized by Google

De iracundiæ moderatione.

Cap XLI.

LÆTITIÆ & tranquillitati capitalis inimica eſt iracundia, cùm lineas à ratione deſcriptas tranſit, vt furor in oculis, in ore ſpumæ, rubor in toto vultu, ſic in animo vulnus ingens efferueſcit: tunc enim mens falſis pariter ac veris commota, neque recti ſpecie capitur; neque rationi paret, neque amicitiæ iura, quibus felicitatis præſidium, & ornamentum familiæ continetur, obſeruat.

Hæc ſi ad eorum qui matrimonio iunguntur domos diuerterit, quas pacis, ſolatij, & mutuæ conſenſionis propugnacula eſſe deceret, eas moleſtiarum arcem, tædij ergaſtulum, carcerem mœroris, & horrendum propè miſeriarum Tartarum facit. vt iure meritò beatus dixerit Iacobus; *Ira hominis iuſtitiam Dei non operatur*. Faxit Deus Anima amantiſſima, eius vt inſidias & irruptiones omnes poſſis declinare. Sordi-

Digitized by Google

das illa, viléſque mentes facilè inuadit, frangitur à magnanimis, à conſtantibus mitigatur. Ab ea plurimi vt ſe expediant voluptatibus indulgent minimè liberalibus, & honeſtis, hi vt Charybdim effugiant in Scyllam incurrunt.

Aliis, vt impotentiam inſanientis animi vlciſcantur, ſæuire in corpus ſuum placet, maiore ſæpiùs damno, quàm emolumento, quòd medicamentum non vulneri accurrent, vitiũ item vitio attexunt, qui vbi aliquam in ſeſe diſtortionem, & prauam affectionem aduerterint, impatienter indignantur; meminiſſent illi, ſi ſaperent, nihil in humanis vſquequaque perfectũ, ſed omnia actu, vt aiunt, & potẽtia conſtare, hoc eſt, in via quadã, & curſu perpetuo ad perfectionem abſolutã verſari, quàm mortalibus à maximè poſt præcipitem illã primi parentis lapſionem attingere vix poſſunt. ſcilicet hoc à nobis nõ exigit Deus, vt nunquam vlla labe reſpergamur, ſed vt omnem oderimus, & quanta maxima poterimus induſtria contractã eluamus.

Eſt etiam illorum ſatis magnus error, qui liberis, aut famulis delinquentibus ſuccenſere, & grauioribus eos, atque

adeò aculeatis verentur increpare verbis, quòd ſe tum nonnihil ſentiant commoueri. Non eſt iracundia, iſta commotio, ſed quidam iuſtitiæ zelus ſanè laudabilis, ſi intra rationis fines conſiſtat: à quibus profectò tum diſcedit, cùm ſe in contumelias, maledicta, & imprecationes effundit. Falluntur verò illi oppidò liberaliter, qui indulgentiæ nihil, ſeueritati, rigidæque cuidam diſciplinæ omnia tribuunt. Ea eſt ocymi natura, vt odor ex illo ſuauiſſimus affletur, ſi tamen digitis teratur, putet: ſi lapide prematur, maximè in tetro & humenti loco, ſcorpium breui tempore procreat: ita planè domeſticum ſeruitium natum eſt, vt ſi benignè & liberaliter habeatur, nec niſi iuſtis de cauſis ſeueritas adhibeatur, officio ſuo haud grauatè fungatur, operâque nauet ſanè haud pœnitendam; at ſi inſtes, perurgeáſque vehementius, aut præcipiti impotētia ſæuias, præterquam quòd ægrè cuncta exequitur, clàm etiam occultè rem familiarē malè perdit, alienum abs Domino animum gerit, quem vbi fert occaſio expromit.

Enitere ergo Anima Christiana, quæ diuinis obſecundare legibus ſtatuiſti,

enitere vt ebullientes iracundiæ motus ſedes, & comprimas: veniat tibi in mentem non idem nobis in continente, quod in mari piſcibus euenire. Viuunt in ſalo piſces, nec ſalis maritimi amaritiem ſentiunt, aut tempeſtatum agitatione perturbantur: nobis verò aduerſa & repugnantia multa perferenda ſunt, quæ ſi turbulentè patiamur, illorum pondere opprimamur neceſſe eſt, ac motuum noſtrorum tempeſtate obruamur.

Remedia aduerſus iram.

Cap. XLII.

HIs igitur motibus inuita ratione excitatis, ne ſuccumbas, ſuadeo vt procraſtines, patiarı́ſque vt ardor tuus deferueſcat, impone tibi illam legem, ne quid dicas, faciáſve donec æſtus ille mentis reſederit: vbi enim abierit, ratio ſuccedet, qua imperante perturbatio exulabit.

Eſt & alterum, efficax ſanè, valénſque remedium, ſi te moderatori generosè ſubmiſeris, qui quarum te rerum

cupiditate magis incenſam, aut à quibus magis viderit abhorrentem, iis te fugiendis, vel ſectandis aliquandiu exerceat, dométque conſtanter, magnam enim gratiam à Deo iniret, qui ſeſe tum viriliter deiiceret, cui gratiæ cùm eſſet coniuncta egregia moderatoris induſtria, veriſimile eſt Animam in eum breui ſtatum peruenturam, vt quemadmodum ebenus, calere quidem, ſed flammam concipere non poſſit.

Tertia, eáque magis prompta iræ compeſcendæ ratio quatuor actionibus continetur.

Prima eſt vt expenſis diligenter illis Chriſti verbis, *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde*, ſtatuas firmiter vnum ſaltem diem te ab omni commotione animi, quacumque oblata occaſione abſtinere: quòd ſi indictam tibi legem per leuitatem violaris, quoties id contigerit, toties id in chartula, infixa acicula, vel alia ratione notabis.

Secvnda, priuſquam ad lectum te recipias, cùm deſcendes in teipſam, inibis è chartula lapſionum tuarum numerum, quas apud Deum, his aut aliis verbis accuſabis. *Confiteor tibi Domine Deus*,

quod propoſiti mei parum tenax toties hodie excanduerim ; da veniam miſericordiſſime pater, certum enim mihi eſt , fauente gratia tua, die craſtino ſtudioſius mihi ipſi caueri.

TERTIA, chartulam certo in loco ſepones, vt aliam poſtridie, & ita deinceps ad eoſdem vſus adhibeas , ita tamen, vt ſuo quæque ſigno, notata & diſtincta ſit, quò eam ab aliis internoſcas.

QVARTA die Sabbati, vel Dominico ſeuocabis teipſam, collectíſque chartulis, diei primæ lapſus cum ſecundæ lapſibus conferes , huius item cum tertiæ, atque ita de aliis , in quibus ſi emendationem deprehendas , gratias Deo bonorum omnium largitori habebis plurimas; ſin poſtremi dies remiſſiores fuerint, pluribúſque caſibus obnoxii , continuò mulctam ipſa tibi aliquam irrogabis , vt ſi verbi gratia toties terram oſculeris, quoties poſterior numerus priorem ſuperabit: tum collecto animo intentiorem vigiliam propones , quam ad obtinendam à Deo, deprecatricem B. Virginem adhibebis.

Quatuor iſta , qui per menſem vnum obſeruarit , næ ille ante exeuntem menſem haud parum ſe hac perturbatione

leuatum animaduertet.

Hæc ego tibi ſuggero, amantiſſima Anima, vt ſi qua ſit in te ad hoc vitium procliuitas, his te aduersùs illud præſidiis munias. Illúdque inſuper addo ex vſu tuo eſſe, vt ſi familiam tibi cupias conciliatam, amore illam proſequaris, ſi tibi ex animo famulantem habere optes, ex animo item illam ames.

De vero amore qui vitioſo aduerſatur.

Cap. XLIII.

PORRO in amando ita tibi moderari debes, vt cor tuum in quo tanquam in domicilio amor ſincerus habitare debet, doli & diſſimulationis diuerſorium minimè fiat: ſi enim ii euadimus qui eſt amor noſter, qualem te amor tuus finget, ſi à vero degenerans in vitioſum deſciſcat? Humanus amor, quem mundanum vocant, eo eſt ingenio, probari vt omnibus, omnibus placere, vel cum offenſionis diuinæ periculó concupiſcat, fictus ille, & ementitus amor inutili pro-

fluentia verborum amicitiam, auxilium, & ſtudia omnia effuſiſſimè defert, ſed intra verba conſiſtit, nec ad opus vnquam accedit, pérque ſpeciem cultus, & obſeruantiæ, artificia dolóſque ſuos occultat. Hunc, quamquam vrbanitatis perſonam apud pleroſque induat, vt exitialem deteſtari ſemper debes.

Libidinoſus amor ferinus eſt, putidus, infamis, ab humani animi nobilitate alieniſſimus, ſuos exedit, & conficit, omniáque virtutum ſemina inſtar Aconiti peſtiferi, confeſtim exurit, ac extinguit: eius pabulum in ſenſuum delectatione totum eſt, quæ cùm in equo, quàm in homine vehementior eſſe poſſit, amor item vehementior exiſtet.

Tametſi in parentes & neceſſarios amor honeſtus ſit, & laudabilis; eſt tamen imperfectus ille, & gratia meritóque per ſe inanis, ſæpe hæreditatis adeundæ cauſa exuitur, odióque capitaliſſimo locum præbet, ſæpe ſanguinis illius, è quo profluxit, perniciem molitur.

Moralis, vti vocant, amor quem ciuilem poſſumus vocare, honeſtus item, & laude dignus eſt, nititur enim opinione virtutis. Verùm quia plerumque vſuue-

nit, vt is virtutum ornamentis inſtructus videatur, qui vana illarum ſimulacra duntaxat obtinet, hinc fit, vt amor ille fraudem ſæpe patiatur, ſi tamen ne fucus tibi fiat, vel grauius de aliis ſuſpiceris, vel iniquiùs ſtatuas apud te, in amorem diuinum non mediocriter peccares.

Si æquabili amore tui ipſa non tenearis, virtutem minimè vnquam adipiſceris; ſed ille ſi in lenocinium tui degeneret, omnium tibi fiet malorum fons, & caput, bonorum exitium, via ad interitum, ad inferos aditus. diſtortionem, & deprauationem eius tum facilè aduertes, ſi te vnam in oculis habeas, ſi ad te vnam operũ tuorum laudẽ referre conſueuiſti.

Rectus erit ſi Deum ſpectet, vt in eo beatitatem tuam perfectiſſimam ames, quæque ad illam obtinendam idonea ſunt complectaris. Hic ille ſincerus amor eſt, mira cum odio ſui affinitate coniunctus, prauíque amoris, ſuis tantùm explendis cupiditate intenti, iuratus hoſtis. Vnius Dei eſt ſeipſum perfectè ſine periculo amare.

Illius quidem amore cum vulgo flagrare te dices, ſed nõ in ſupremis labris, vt in vulgo ſolet, tuus ille amor hære-

Digitized by Google

bit. Ratio & via huius amoris comparandi, conſeruandi, & promouendi in Chriſti ſeruatoris imitatione poſita eſt: ſi tibi grata ſunt, à quibus ille abhorret; ſi quæ ille probat, tibi ſunt inuiſa; quî fieri poteſt, vt verè te illius incenſam amore prædices? at ſi diuinis legibus obtemperes, ſi conſiliis eius acquieſcas, ſi de nutu eius pendeas, ſanctiſſimi certè amoris illuſtria præbes argumenta. Qui diuina beneficia, tanquam amoris illecebras habent, non ſunt contemnendi; ſed ſi reflante vento, rerum aduerſarum tempeſtate iactati, cœleſtis amoris iacturam faciunt, ij plus in amore ſuo appetitionis, & concupiſcentiæ, quàm beneuolentiæ fuiſſe, liquidò demonſtrant: verus amans, nullo commodi ſui reſpectu, ſemper amat, idem eſt in quolibet fortunæ ſtatu, per opes, & inopiam, per commodam, & incommodam valetudinem, per decus, ac dedecus recti ad propoſitum tendit, licèt proſpero beneficiorum remigio ad amandum ſit impulſus, fractis tamen remis iter velorum ſubſidio abſoluit: nec amoris curſum inflectit, vt typo imaginis effracto, integra tamen effigies manet, ita extinctis amo-

Digitized by Google

rum inuitamentis, amor tamen perſeuerat. O diue, ô cœleſtis amor, incende corda noſtra, & piis tuis flammis penitus abſume!

Quilibet Deum venerari debet nocte concubia priuſquam ſe quieti dedat.

CAP. XLIV.

PATRES matréſque familias oro, atque obſecro vehementer, vt Dei ſerò antequam lectus petatur, ſtudiosè colendi officium domi ſuæ obſeruari curent, ne prætermiſſi officij grauiùs aliquando quàm putent apud Deum accuſentur. Patrem-familias domi ſuæ Epiſcopum eſſe alterum docet Auguſtinus Ioannem interpretans; vnde eadem illos, quæ Paſtores, vult munera præſtare, docere, hortari, corrigere, exemplo eſſe, Chriſto denique ad animarum ſalutem operam nauare. Qua igitur fronte ſtabunt ad ſummi Iudicis tribunal illi, quibus tanquam miniſtris fidiſſimis ad animarum exitium vtitur Satan? Quid prætexent ij, qui è choreis, confabula-

tionibus

tionibus, & interdum è cœna ſtatim in lectum ſe recipiunt (inſtar iumenti è præſepio confeſtim in ſtramine recumbentis) nullo ne minimo quidem pietatis ſigno in procreatorem ſuum dato? an fortaſſe dicent ſe in lecto partibus ſuis defungi? Itáne verò fungi officio illum putabimus, qui tam ſingularis negligentiæ liberis & domeſticis exemplum præbet? qui ſe adeò ingratum & immemorem acceptorum beneficiorum oſtendit? Sed quis illum in officio eſſe, & non potiùs Deum deridere putet, qui ad eum duntaxat colendum aggreditur, cùm ſupinus in molli culcitra iacet offuſis cerebro vaporibus, oculis ſomno iam propè compreſſis, anima cum alto ſopore tam remiſsè luctante, vt vix orationi Dominicæ integrè decurrendæ ſufficiat, priúſque ſtertatur naribus, quàm ore, Amen, proferatur? Quis Ethnicorum, ſi modò rationis humanæ ductum ſequatur tam ſolutè & oſcitanter; tam parum religiosè cum Deo agat? Annon igitur iure dixit Apoſtolus, *Si quis ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior.*

Qui verò pudore deterreri ſe aiunt

ab adorando de genibus Deo, priuſquam in cubile concedant, nónne eos vehementer puderet, ſi ad hæc, quæ dicunt, expendenda animum attenderent? imò nónne animo percellerentur, ſi agnita in ſeipſis abiectione hominis, & cognito per fidem ſupremo cultu, quem infinito Numini deferri par eſt recogitarent, pluris apud ſe contemptiſſimam eſſe pecudem, quàm altiſſimum, & omni cultu digniſſimum Numen, cuius indignationem quàm homuncionis offenſionem minus verentur. Sed ad hæc non attendunt turpi verecundia implicati. Meminerint igitur, certóque certius habeant ipſorum quoque, Deum non poſſe non pudere, quos illius puduerit, inque eorum caput illud iuſtitiæ diuinæ fulmen intorquendum. *Qui me erubuerit, & meos ſermones, hunc filius hominis erubeſcet, cùm venerit in maieſtate ſua, & Patris, & ſanctorum Angelorum.*

Tu verò, Anima ſuauiſſima, ne hac ruina inuoluaris, palàm & liberè Deo tuo famulare, numquam te famulam illius videri pudeat, cui obſequi cœleſtes ſpiritus glorioſiſſimum ſibi ducunt. In ore & oculis omnium vbique & ſemper

profitere, te tanti Numinis amori dicatam & conſecratam eſſe in primis optare. Quare antequam lectum petas, calcato inani metu, & ſiniſtra hominum quorundam opinatione neglecta, ab æſtu negotiorum mentem reuoca, & flexis poplitibus ſupremum Numen demiſſiſſimè venerare, eámque orationem, quam Chriſtus ipſe, dum mortalem ageret vitam, ore ſacro concepit, ritè offer. Adde ſalutationem Angelicam, Virginem vt ſemper propitiam habere poſſis; tum Apoſtolorum ſymbolum decurre, vt eos fidei actus exerceas, qui in ſacra illa teſſera continentur.

Conſcientiæ examen.

Cap. XLV.

His peractis inſtitue continuo conſcientiæ examen. Et primò Deum obſecra, vt lucis ſuæ radio mentis tuæ tenebras diſcutiat, vt noxas illas, quibus eius oculos per diem offenderis agnoſcas.

Secundò commemora tecum animo

Digitized by Google

omnes illius diei actiones, & expende.

1. An rectam in eis ſuſcipiendis mentem adhibueris, & à propoſiti impuritate alienam.

2. An tua culpa factum ſit, vt in eis aliquid eſſet, quod Dei honorem minueret, proximi commodis officeret, aut animæ tuæ ſatis conducibile non eſſet.

3 An in verbis tuis quid otioſium mendacium, irriſio, obtrectatio, iactatio, iuſiurandum, aut murmuratio locum habuerint.

4. An cogitationes tuæ ſordes aliquas contraxerint, vel ab inſpirationum diuinarum neglectu, vel à ſuſpicionibus & iudiciis temerè factis, vel ab ambitione, luxuria, inuidia, odio, & alienorum appetitione.

5. An eorum aliquid obire neglexeris, quæ muneris & officij tui erant tùm erga Deum, tum erga homines.

Tertiò excita in te dolorem de illis flagitiis, in quæ te incidiſſe compereris: quam ad rem haud parum proderit ea in mentem beneficia reuocare, quæ eodem die diuina tibi liberalitas contulit, vt ea peccatis tuis oppoſita grauiorem de ingrati animi tui culpa dolorem accer-

Digitized by Google

ſant. Vt enim Dauidem Nathan hac arte ad ſcelus deteſtandum adduxit, ita te quoque ſimiliter ſalutaris tui horror inuadet, qui illum contritionis actum feruentem eliciet, quem ſuprà deſcripſi.

Expediet pœnitentiam aliquam externam obire, illam ſaltem, quæ inter recitandam precationem illam, quæ incipit, *Confiteor*, &c. ſolet adhiberi, vt ab illis verbis, *mea culpa*, ad finem vſque pectus cum gemitu percutias.

Poſtremò, te non ſine ardenti charitate in ſinum Dei coniicies, enixéque illum rogabis, vt quemadmodum tibi de die fuit adiutor, ita de nocte quoque te tueatur, & contra incurſus inſidiáſque dæmonis defendat. Illius æquiſſimæ prouidentiæ Eccleſiam vniuerſam, regnum hoc, neceſſarios amicóſque tuos commendabis. Denique iterum, ad beatam Virginem, Præſidem Angelum, Sanctóſque patronos tuos conuerſa, ſuppliciter orabis, vt diuinam tibi impetrent benedictionem, qua obtenta (diei craſtini meditatione lecta, & comparata) in cubile concedes, dabíſque operam, vt menti piam aliquam verſanti cogitationem ſomnus obrepat.

Digitized by Google

De confeſſione.

Cap. XLVI.

HAbes Anima Chriſtiana particularem piè viuendi artem, quam hoc loco concluderem, niſi nonnulla exigeres, quæ pertinent ad inſtituendam rectè confeſſionem,& communionem.

De quibus in genere primùm illud meritò dicam, quod de ſanctiſſimo puero religioſiſſimus ſenex, Virgini matri dixit, *Hic poſitus eſt in ruinam, & reſurrectionem multorum.*

Quod ſanè de duobus his ſacramentis, Pœnitentiæ inquam, & Euchariſtiæ, veriſſimè poſſumus vſurpare: rectè enim vtentibus vitam, ſecus agentibus exitium afferunt ſempiternum. Quare tuum erit ſic ad iſta accedere myſteria, vt in illis vitam inuenias, nec horrendus te interitus inuoluat.

Sic igitur primùm te comparabis ante confeſſionem: ſtatues teipſam in conſpectu Dei, & in conſcientiam inquires tuam, eadem diligentia, qua magni momenti negotium aliquod obires. Quòd

ſi menti non admodum ſui cognitione illuſtratæ, aut memoriæ parum tenacis vitio, delicta conſueta non ſatis expeditè ſuccurrunt, auxilio erit hic index peccatorum, quem eo fine propono, vt eo, cùm vſus erit, iuuari poſſis: eius vt methodus prompta ſit, non alio progredior ordine, quàm earum noxarum, quas cogitationes, verba opera, & omiſſiones parere ſolent: neque verò grauiora ſcelera commemoro, tum quòd ea haud grauatè in memoriam redeant, tum quòd ab iis iam abeſſe te longiſſimè mihi perſuadeam.

Peccata cogitationum.

Fidei capita in dubium reuocare, & in ea fluctuatione ſponte hærere.

Mentis aberrationes inter orandum ex negligentia pati.

Delinquere facilè, ſpe veniæ facilè impetrandæ.

Aliorũ dicta, vel facta ſecus interpretari.

Præferre ſe reliquis, eóſque ſuperbè deſpicere.

Non frænare internos cupiditatũ motus, maximè, auerſi animi & impotentis.

Delicta ſua grauatè agnoſcere, nec correctionem æquo animo ferre.

Digitized by Google

Vitæ ſingularis opinionem ex oſtentatione aliqua in re affectare.

Non abiicere ſtatim cogitationes turpes, vanas, & ad vltionem, aut inuidiam concitantes.

Peccata linguæ.

Peierare, aut de rebus dubiis, vel abſque neceſſitate & reuerentia iurare.

Per iocum verba ſacrarum paginarum vſurpare.

Detrahere de proximi fama.

Superioribus obloqui.

Conuicia, vel imprecationes in aliquem iactare.

Mentiri, præſertim cum alicuius dãno.

Flagitiũ alteri ſuggerere, aut ſuadere.

Adulari, aut turpiter loqui, maximè cum circunſtantium ſcandalo, & offenſione.

Gloriari de ſe aut rebus ſuis cum oſtentatione, aut cum mendacio, illúmque ſermonem inſtituere, qui dedeceat hominem Sacramẽta ſæpè celebrantem.

Otioſa & inania colloquia miſcere.

Peccata opere ipſo perpetrata.

Creaturarum, quàm creatoris metu potiùs duci.

Beneficia Dei non agnoſcere, & de eis

Digitized by Google

gratias non agere.

Feſtis diebus ſeruile munus obire.

Conſcientiam ſingulis diebus ex negligentia non diſcutere.

Pœnitentiæ tribunal adire non præmiſſo examine legitimo, vel ſine dolore, aut emendationis propoſito: præ pudore, vel alia de cauſa labes aliquas inter confitendum tegere.

Sacram Synaxim oſcitanter, ſine debito pietatis ſenſu, & reuerentia obire.

Conciones aliáſque pietatis exercitationes negligere, vt voluptati indulgeas.

Libros prohibitos legere; aut apud ſe conſultò habere.

Superſtitioſè aliquid agere.

Superiorũ iuſſis non obtemperare; vel in rebus illicitis, dicto illis audiẽtem eſſe.

Diſcordias & contentiones ſerere.

Literas in prauum finem ſcribere.

Dare ſe in conſuetudinem hominum nequam.

Famoſos libellos ſcribere, legere, aut probare.

Literas alienas ex curioſitate aperire.

Promiſſis ritè factis non ſtare.

Ludo impotentiùs indulgere, aut inter ludendum fallere.

Digitized by Google

Proximo conciliari nolle.

In cibo & potu ſumendo vltra temperantiæ fines prodire.

Indicta ieiunia violare.

Periculum lethaliter peccandi confidenter nimis adire.

Turpe aliquid in corpore ſuo pati.

Peccata omiſſionis.

Oblata cœlitus auxilia ſpernere, & diuinis inſpirationibus non reſpondere.

Mulctam à Confeſſario impoſitam non ſubire.

Leuia peccata negligere.

Vota Deo facta infringere.

Pro iis, qui de nobis ſunt bene meriti, preces Deo non offerre.

In ſuprema parentum implenda voluntate pigrari.

Ingratum in beneficos animum gerere.

Malè parta diutiùs retinere.

Opera miſericordiæ tum ad corpus, tum ad animum pertinentia cùm commodè fieri poteſt non obire.

Meliorem in dies vitam differre.

Solita pietatis munia ex negligentia omittere.

Tempus facilè terere.

Digitized by Google

Ex his ea excerpes, quæ ad tuam Confeſſionem facere videbuntur. Quòd ſi tibi aliquid in mentem venerit, quod huius indicis opera non deprehenderis, illud nihilominus notabis, vt vnà cum aliis exoneres, ídque tanto diligentiùs, quanto acriore morſu conſcientiam tuam vellicabit.

Sed amabò, in ſcrutandis animi latebris, vide ne quid nimis: moroſa illa, & pæne ſuperſtitioſa conſectatio multum temporis abſumit, ſcrupulos parit, triſtitia mentem opprimit, precationem ieiunam aridámque reddit, multáque incommoda procreat, quæ ſpiritalibus emolumentis haud parum officiunt, animámque ſic exhauriunt, vt nullum ex ſanctiſſima exercitatione fructum percipiat.

Dolor, examen conſequatur: is ſi ad contritionem (quæ ex amore Dei vnius, quem offenſum dolemus, naſcitur) peruenerit, tanto meliùs tecum agitur. Adeò enim potens eſt dolor ille, vt ſi eum poſt peccatum conceperis, propoſuerísque confiteri, expiet ille continuò delictum, etiam antequam te ad pedes ſacerdotis abiicias, non eſt ea quidem at-

tritionis vis, ſed eam ex Sacramenti coniunctio ne obtinet: atque hæc ſaltem eſt tibi neceſſaria, ſi à peccatis purgari & abſolui cupis.

Inter confitendum obſeruanda.

Cap. XLVII.

DVM confiteris dabis operam, vt creatarum omnium rerum abiectiſſima videri velis, ita tamen vt ſuus ſemper ſit veritati locus. Non alium ritè confitendi vtiliorem modum inuenio, quàm ſi ſtatuas ita accedere, quaſi nunquam deinceps inſtituendæ confeſſionis vlla eſſet copia tibi futura. Caue diligenter, ne remiſsè, velut ex conſuetudine accedas, adeóque ſincerè iudici tuo conſcientiam nuda, vt eum planè nihil latere velis: ſic apud te ſtatue magnum vitæ nunquam emendandæ argumentũ eſſe, cùm aliquid moderatori tuo tegis, cùm aliquid cauſaris, cùm tergiuerſaris, cùm eleuas extenuáſque.

Quo compendioſior inter confitendum eris, eo conſultior, ſi modò adiun-

Digitized by Google

cta neceſſaria expreſſeris. quo frequentiùs hoc Sacramentum obibis, eo faciliùs lapſus familiares vitabis, improuiſæ mortis periculum fugies, tentationes turbulentiores ſedabis, vberiores gratias obtinebis, diuina luce clariùs illuſtraberis, maiores comparabis vires ſpiritales, gloriæ ſementem facies copioſiorem.

Qui dubia & ancipiti oratione confitentur, tempus terunt, vt illi, qui ea tantùm recenſent, quæ infirmitas humana nunquam exuit: vt qui Deum, vt par eſſet, non oraſſe ſe dicit, cùm voluntariam mentis aberrationem debuerit accuſare poſt confeſſionem.

Tranquillam te, & ſecuram eſſe volo, memorem diuinæ miſericordiæ, viſque ſacramenti. Hîc ſæpè inſidias parat dæmon. Caliginoſa ſiquidem ſcrupulorum nube animam inuoluere tentat, vt triſtiſſimos moleſtiarum inuidioſarum imbres, excluſo ſanctarum actionum ſole iucundiſſimo, effundat. E tenebroſis ignorantiæ lacunis vapores illos haurit, quibus mentis luminibus obſtruere conatur. Ne quid igitur turbent, lege obſecro, & hos expende.

Digitized by Google

Duodecim Canones conſcientiæ.

Cap. XLVIII.

1. Peccatvm ita voluntarium eſt, vt ſine voluntate peccatum eſſe non poſſit. Quare vt concipiatur illud, huius conſenſus requiritur, qui vel perfectus eſt, ex deliberata vetitæ rei optione profectus, vel imperfectus, cùm pæne nec opinata mens rapitur, re leuiter tantùm expenſa, atque meditata.

2. Cùm electio perfecta eſt, & plenè deliberata in materia graui, lethale peccatum eſt. exempli gratia; ſi res animæ proponatur aliqua ex cuius optione grauis in Deum, aut proximum, vel ipſammet iniuria conſequatur, vbi aduertit omnino, eligit tamen illud, malitia illam inſtigante, vel ſupina quadam ignorantia aut infirmitate ad eam turpitudinem rapiente, quam ratio fugiendam ſuadet, haud dubiè lethali ſe noxa polluit, cùm charitatem violet, & perdat, cuius interitus cum mortifero ſcelere ſemper eſt coniunctus.

Digitized by Google

3. Cùm verò obrepit potiùs voluntati motus, quàm deliberato conſilio ſuſcipiatur, optio illa imperfecta eſt, proindéque venialem culpam, quamcumque tandem circa rem verſetur, tantum admittit. Occurrat verbi cauſa turpis aliqua ſpecies menti non ſatis in cogitationes actionéſve ſuas intentæ, capiat inde aliquem voluptatis ſenſum, ex quo etiam aliquis in carne motus exſurgat, ita tamen vt hæc omnia indeliberatè fiant, mentémque præueniant, antequam ipſa ſimulacri illius turpis nequitiam perfectè cognorit, contrahet omnino venialem maculam mens illa, quæ per imprudentiam cogitationem illam admiſit, quam, ſi attentè excubuiſſet, nunquam Animum ſubire permiſiſſet. Non tamen eò vſque negligentia illa pertinget, vt ad mortiferi criminis grauitatem deueniat, non quidem quòd in obiectæ malitia defuerit, aut quòd optio nulla interuenerit, cùm nonnullam ſenſerit delectationem, ſed quòd illa optio, & delectatio aliud agenti obrepſerint, & rationis oculum pænè fugerint, cuius tamen deliberatam ſententiam Deus expectat, vt ſi ea fuerit iniqua, hominem ſua gratia

ſpoliatum lethali vulnere ſauciari permittat. Ex hac regula facile eſt, colligere omnes actiones eorum puerorum, qui nondum rationis ductum ſequuntur, aut quas viri inter dormiendum, vel dum euigilant ſemiſomnes edunt, aut quæ vigilantibus nec opinato excidunt, inſtar primorum motuum, aut quas ignorantia minimè vitioſa parit, leuiorem duntaxat noxam, imò ſæpe nullam afferre.

4. Solam lethalem culpam ad tribunal Pœnitentiæ deferre neceſſe eſt: venialis, etſi vtiliter referatur, non eſt tamen neceſſariò in cõfeſſione exprimenda, quæcumque tandem ſit: nam ſi te eius commiſſæ verè pœniteat, ſtatuáſque illam in poſterum auerſari, facilè Deum placas, maximè ſi hunc dolorem concipias, cùm te luſtrali aqua aſpergis, cùm orationem Dominicam decurris, aut inter audiendum ſacrum, precationem illam ritè pronuncias, *Confiteor*, &c. vel denique cùm aliud id genus pietatis opus factitas.

5. Veriſſimum eſt, eum qui dubitat, an actio aliqua ſit cum peccato mortifero coniuncta, & dubitatione non depoſita illam aggreditur, mortiferè peccare. Obſer-

Digitized by Google

Obſeruandum tamen eſt duo eſſe dubitationum genera , alterum eſt earum, quæ rationibus nituntur adeò veriſimilibus, vt ancipitem mentem in alterutram partem inclinare non ſinant, ſed vtrique ita fauentem detineant, vt certi quicquam affirmare, aut negare non audeat. Alterum eſt illorum, quas pariunt leues coniecturæ, & inanes quidam motus fulciunt, à ratione quidem alieni, eius tamen colorem aliquem mentientes, qui meticuloſis imponat : hinc ſcrupuli, & moleſtæ perturbationes, quæ velut graues quædam tempeſtates Animum iactant. Qui primo dubitationum genere agitantur, quandiu ancipiti illa cogitatione diſtrahuntur, abſtineant omnino ab optione; quicquid enim tandem elegerint, cum ratione pugnabit, quam firmam eſſe putant, atque ita cum Dei voluntate, quam contemnere eos neceſſe eſt, vt cupiditati potiùs, quàm rectæ rationi adhæreſcant. At quos ſecundum genus dubitationum tenet, vt qui inani terrore vexentur, & ea reformident, quæ nullo modo ſint timenda, tantum abeſt, vt ob illas dubitationes pedem referre debeant, quin potiùs iis neglectis,

& abiectis, inſiſtendum eſt operi ex conſilio & præſcripto Patris moderatoris, cuius dictis non acquieſcere, arrogantiæ eſſet non ferendæ; ſic enim turbidæ & inquietæ cogitationes noſtræ tranquillis & ſedatis eius conſiliis præferrentur, quem Dei vices agere ſcimus: eſſet etiã nõ leue cœci animi argumentum, vt qui diiudicare non poſſet, quantum abſit id quod pars hominis inferior inuita patitur, ab eo quod ratio deliberata ſuſcipit. Dixi (iis dubitationibus neglectis, & abiectis) nam ſi in iiſdem mens obſtinatè perſtaret, & nihilominus actionem illam aggrederetur, quam lethalem eſſe dubitaret, mortifero ſanè implicaretur peccato, propter contemptum Dei, qui ab ea actione abeſſe non poteſt, etſi per ſe actio mala non eſſet, ſed tantùm deluſæ conſcientiæ errore talis exiſtimaretur. Quod vt enucleatiùs intelligatur, addendum eſt,

6. Quòd ſi fluctuet anima, & metu aliquo moleſto ſollicitetur, in illum metum diligenter inquirat, atque vbi alteram partem veriſimili ratione niti deprehenderit, aut docti alicuius, piique viri, vel multorum autoritate probari, alteram

verò inanes tantùm quoſdam obtrudere terrores; ſtatuat apud ſe ſecundùm eam partem, quam probabilem viderit, excuſſis & repudiatis terroribus vanis, quos leues quædam coniecturæ pariebant. Ex iis verò quæ ſtatuerit, facilè intelliget quî ſe in Confeſſione gerere debeat. Venit (vt in exemplo res ponatur) in eam opinionem aliquis, vt lethaliter ſe deliquiſſe putet: illa cogitatione iactatus inquirit in ſe ipſum diligenter, omniáque ſcrutatus, voluntatem ſuam ab illa alieniſſimam culpa offendit, itaut nullius rei gratia id ſceleris committere voluiſſe ſibi videatur. Ad hæc legit apud probatum autorem, aut à conſcientiæ ſuæ moderatore re ſeriò expenſa audit, nullum in ea actione flagitij veſtigium notari: angitur nihilominus, vano metu contrarium ſuadente, neque ſe ſatis ſingula iudici ſuo aperuiſſe ſuſpicatur, quanquam dum ad ſe redit, nullam in ſe latebram offendat, quam eidem penitùs cognitam & exploratam eſſe nolit, ſciátque ſe ad eum adiiſſe, vt ſincerè mentem ei ſuam nudaret. Rebus ita poſitis conſtituat omnino apud ſe (quicquid tandem inanes obiectent ſollicitudines) eam a-

ctionem nullo fuiſſe ſcelere contaminatam, & proinde in Confeſſione non eſſe exponendam.

Quòd ſi dum ſe ad calculos vocat, animaduertat rationes eſſe in vtramque partem veriſimiles, aut quæ maiorem quidem alteri parti probabilitatem concilient, altera tamen ſua probabilitate non deſtituta, quam volet, eligat; ſatis enim eſt, cùm de moribus agitur, ad conſcientiam ſtabiliendam, ſi ab ea ſententia non recedat, quæ veriſimilitudinem habeat, cui tanquam cynoſuræ ratio adhæreat, vt dubitationum & periculoſos errorum ſcopulos declinet. Quare ſi anima, quam inſtituo, in dubium aliquod inciderit (vt ſi de Confeſſionum præteritarum integritate dubitet) omnibúſque perpenſis nihil à ſe per negligentiam prętermiſſum veriſimiliter putet, quod ad eas ritè obeundas pertineret, deponet me autore omnem ſollicitudinem, & ab ea ſuſpicione deinceps, vt periculoſa diſcedet.

Verùm ſi dum ſe conſulit rationes in vtramque partem adeò firmas inueniat, vt quid certi, aut veriſimilis ſtatuat, omnino non habeat; tunc non abiiciet illam

dubitationem, vt iam antè monui, ſed ad ſacerdotis accedens genua, illius ſe noxæ, cum dubitatione tamen, ream faciet, vt ſi dicat dubitare ſe, an illi, vel illi cogitationi conſenſum præbuerit, aut ſe illud delictum fateri, quod an aliàs ſacerdoti ritè expoſuerit, non ſatis liquidò ſibi conſtet.

7. Eam Confeſſionem iuſtis abſolutam numeris cenſere debes, quam idoneus conſcientiæ arbiter integram eſſe pronuntiauerit. Quare pœnitens cognita illa iudicis ſui opinione (cognoſcet porrò vel quod ille expreſſis verbis ita eidem ſignificet, vel quod abſoluere non dubitauit, quod ſanè cùm idoneus ſit, nunquam feciſſet ſi ſecus ſenſiſſet) aliud nihil ad Confeſſionem adducet, niſi certò poſtea compereat ſibi aliquod excidiſſe peccatum, quod nunquam expoſuerit.

8. Quamdiu cogitationes blaſphemiæ, impudicitiæ, ſuperbiæ, inuidiæ, ſuſpicionis, & id genus aliæ ita moleſtæ & graues ſunt Animæ, vt illis penitùs acquieuiſſe ſe, aut delectationem ex iis deliberato conſilio percepiſſe non putet, de illis minimè laborandum ſibi ducat, ſed ſed eas negligat, quantumuis importunè

Digitized by Google

ſe ingerant ; nec cum iis pugnet, aut in eas diligentiùs inquirat. His enim moroſis vellicationibus religioſas conſcientias turbare Satan aſſolet, vt ab oratione, & familiari cum Deo congreſſu illas abducat. Certum porrò non præſtiti conſenſus, aut voluntariæ delectationis argumentum illud habeat, quod ab iis antequam occurrerent, magnopere abhorreret, quódque eas ſibi occurriſſe vehementer doleat, enixéque cupiat ab earum moleſtia liberari. Deſpiciat ergo illas, neque pluris, quàm præteruolantes muſcas faciat: alioqui, quo in eas nitetur attentiùs, eo tenacioribus illarum imaginibus, velut laqueis implicabitur, adeóque fiet, vt vbi robuſtiores euaſerint, obſtinatiùs pugnent, difficiliúſque vincantur.

Quòd ſi eas prima congreſſione fugaſſe ſe ſentiat, vel edito virtutum oppoſitarum actu, aut obiecto amoris Dei clypeo (tutiſſimo ſcilicet ad omnia vitia præſidio, virtutúmque omniũ vim præferente) vt ſi ad diuinum conuerſa Numen, iterato ſe ei Sacramento autorarit, neque certò ſibi conſtet illius deinceps violati Sacramenti deliberatam volun-

tatem ſuſcepiſſe, vt illis tentationibus morem gereret, religioni ducere debet de iis cogitationibus laborare, anxiéque apud ſe fluctuare, illíſne auſcultarit, an non; aut de iis apud ſacerdotem eluendis deliberare. Hac enim moroſa & ſuperſtitioſa diſquiſitione ingenij vires exhaurit, corpúſque ſuum inutiliter, & contra naturæ leges affliſtat.

9. Qui Numinis lethaliter ſæpius læſi ſibi conſcius eſt, neque tamen certum ſuorum peccatorum inire numerum poteſt, veriſimile tamen putat ſe toties, putà decies, in eam noxam incidiſſe, ſatis habet, ſi inter confitendum dicat: Ego decies plus, minùs, in id flagitium incidiſſe me reor; illud enim adiunctum (plus minus) Confeſſionem ita perficit, vt ſi deinceps in mentem venerit ſemel & iterum præterea id flagitij à ſe perpetratum, ad Sacerdotem redire minimè neceſſe habeat. Idem dico cùm adeò frequens alicuius noxæ fuit iteratio, vt conſuetudinem duntaxat, tempúſque quo in illa hæſit expreſſerit: qui enim ita confeſſus eſt, etſi poſtea duæ tréſve offenſiones occurrant, quarum nominatim meminerit, nihil eſt, quòd ad iudicem ſuum

illas deferat, ſatis enim perfectam ex eius accuſatione cognitionem accepit, vt eum abſolueret.

10. Tametſi dolor attritionis, vt minimum ad Pœnitentiæ ſacramentum omnino requiratur, non eſt tamen neceſſe, vt lacrymas exprimat, aut acriorem aliquem in parte hominis inferiore ſenſum imprimat; ſatis eſt, ſi voluntas, quæ abduci ſe paſſa eſt, à ſcelere ſic abhorreat, vt nulla cuiuſquam rei gratia eodem contaminari flagitio ſtatuat.

11. Si poſt conſuetam Confeſſionem fluctuet Anima, neque tamen vllius lethalis noxæ à ſe prætermiſſæ conſcientia teneatur, etſi diligenter in ſe inſpexerit, paratáque ſit exponere quicquid occurrerit, exuat illa omnem ſollicitudinem, & bene de diuina bonitate ſperans, ad ſacras epulas confidenter accedat, certóque ſibi perſuadeat gratius Deo fore, ſi ſuperatis ſcrupulis, adeò perfectioni inimicis, inſtitutum teneat, quàm ſi illius moleſtiæ depellendæ cauſa tribunal pœnitentiæ repeteret. Quod longè faciet ſecuriùs, cùm etiam moderatoris ſui iudicium acceſſerit. Nam licèt metus illam, & terror exagitet, Deo nihi-

Digitized by Google

lominus eſt accepta, cùm ad rectum conſcientiæ ſtatum moralis certitudo ſufficiat, quam metus illi non tollunt, vt in fide vſuuenit, cuius iacturam minimè facimus, etſi inuitis nobis impiæ quædam cogitationes in mentem incurſent.

12. Quiſquis dolore de peccatis concepto ab iis abſtinere firmiter propoſuerit, omnibúſque conſcientiæ latebris haud indiligenter excuſſis, eo animo, vt neque pudore, neque alia de cauſa celare quicquam vellet, idoneo Sacerdoti confeſſus, ab eóque abſolutionem fuerit conſequutus, ſi poſtea ſcrupulis agitatus de Confeſſionis integritate angatur, reiecta omni dubitatione ſecurus agere debet, & intrepidè apud ſe ſtatuere (circumfrementibus licèt vanis terroribus, hoc vel illud omiſſum ſuggerentibus) ritè ſe expiatum. In quo certè periculum nullum adit, cùm neque ſibi certò conſtet, neque vllo ſatis valido adducatur argumento, vt credat id peccatum, quod occcurrit non fuiſſe apud Sacerdotem expreſſum, imò verò cùm ſciat è ſcrupulorum lacunis denſam exhalare nubem, quæ menti caliginem offundat, æquiſſimum eſt, vt ab ea perturbari ſe reputet,

Digitized by Google

proindéque longè aliter ſe rem habere, quàm inanes metus fingant, maximè cùm locupletem nactus ſit moderatorem, quem par eſt credere officio functum ſuo, atque adeò ipſum reum ritè procuratum, vt nihil neceſſe ſit vnguem rurſus in vlcere ponere, & obductam cicatricem iterata Confeſſione refricare. Huic regulę ſi non acquieſcat, delinquet vt minimum venialiter, cùm tranquillitati conſcientiæ ſtudere ex officio debeat, quam iterata Confeſſio non componet, ſed nouas in ea procellas excitabit.

Eſt verò illud diſcrimen inter Animam, quam Dei timor ſtimulat, & eam, quam ſcrupuli fodicant, quòd illam ratio à peccato abducat, hanc inanes motus: illa non facilè commouetur, hanc leuiſſima aura conturbat: ratiocinatur illa, hæc varias ſibi fingit imagines: illa conſilio ſe regi patitur, hæc ductu ſuo ingreditur: illius amor in amore Dei radices habet, hæc in ſui amore, Dei amorem quærit: quare perfectionis viam inſiſtit illa, à qua declinat iſta longiùs, quamquam ſub ipſum conuerſionis initium, non ita longè à Deo recedat, ſi tamen in ea quis

diutiùs hæreat, certum ſciat ſibi exitium comparatum.

Vtere his monitis Anima chariſſima, ſed vtere ea mente, qua tibi à me ſuggeruntur: vt enim oſtium clauis certa ratione conuerſa reſerat, & contrario flexu mota claudit; ita Canones iſti rectè percepti, omnibus perturbationibus & moleſtiis aditum obſtruent, ſecus verò intellecti, ita mentem laxabunt, vt grauioribus fortaſſe incommodis, quæ ſolutior viuendi ratio ſolet afferre, viam ſint reſeraturi.

De pœna impoſita poſt Confeſſionem ſubeunda.

Cap. XLVIII.

A Confessione pernéceſſarium eſt, vt impoſitam à Sacerdote mulctam ſubeas, & iuſsis obſecundes. Non eadem quippe eſt Baptiſmatis & Pœnitentiæ ratio; illud pœnam ſimul cum culpa extinguit, hæc pœnam duntaxat commutat, æternam ſcilicet in tempo-

Digitized by Google

redefinitam, ita meritò ſtatuente æquiſſima Dei iuſtitia, ne ſceleratis impune eſſet tam ingratum erga Deum geſſiſſe animum, vt poſt expiata ſalutaribus vndis delicta, rurſum turpi in flagitiorum cœno volutari, Deíque in ſe iram prouocare non erubuerit, quæ proinde pœnas decernit tempore finiendas.

Quamcumque tibi mulctam iudex tuus irrogarit, eam haud grauatè ſuſceptam, perfectè quantum in te erit, implebis, memor illorum tibi in altera rationem non eſſe reddendam, quæ ſeuerè in te hac in vita vindicaris. Qui ſalutis ſuæ ſunt ſtudioſiores, ij grauiores ſibi à ſuæ conſcientiæ præſidibus pœnas imponi poſtulant. Norunt ſiquidem eam illarum eſſe vim, vt quamuis ſponte ſuſceptis cruciatibus longè ſint minores, efficientia tamen haud paulo ſint ſuperiores, quòd cum Chriſti meritis arctiore vinculo ſint coniunctæ, vnde & ad ſatisfaciendum magis opportunæ. Cùm ad extremam vitæ periodum deuenerimus, haud ſcio an vllo acerbiore doloris ſenſu tangendi ſimus, quàm quòd in iuſtitia diuina nobis concilian-

da fuerimus adeò remiſſi, adeó que ſegnes, iis vt prçſidiis muniremur, quæ nobis tam liberaliter parata eſſe diuina miſericordia voluiſſet. ſi peccata in Deum tanto afficiendum honore, tótque tibi bonorum authorem admiſſa, verum tibi dolorem commouent, difficile non erit, odium concipere tui ipſius, vltróque pœnam quam peccato commeruiſti ſubire. Quid porrò pœnæ quaſcumque ſuſtinueris, quàm nihili ducendæ ſi cum igne illo conferantur, quo expiandum eſt quicquid hac ex vita diſcedens reliquum habebis, nulla dum viueres ſatisfactione purgatum. quæ ieiuniorum abſtinentia, quæ ciliciorum acerbitates, qui flagellorum aculei animis, qui flammarum illarum ardore cruciantur, ſuaues admodum optabiléſque videri non poſſint, ſi eorum perpeſſione ſatis iuſtitiæ diuinæ faciendi facultas concederetur? dicebat Apoſtolus *ſe ferre continenter mortificationem Ieſu Chriſti in carne ſua*. Illiúſque voce docet nos ſpiritus Dei. *mortificare membra noſtra quæ ſunt ſuper terram*. Contrà diabolus obiiciet: quorſum hæc omnia? cur ea corpus veſtrum voluptate fraudabitis quæ illi

debetur? cur voluntariam in vos ipſos carnificinam edetis? Deo non placet eiuſmodi afflictationem ſponte ſuſcipi, ſatis per ſe laborioſa eſt hominis vita: clemens Deus eſt ipſáque ſuauitas, & manſuetudo. aures, anima chariſſima, prauis hiſce conſiliis præclude, oculos in crucem defigens memento ſcriptum eſſe, *Si patimur cum Chriſto Ieſu, cum illo nos eſſe regnaturos*. Et, *Quos Deus elegit, hos & prædeſtinauit conformes fieri imagini filij ſui*. Sub capite ſpinoſo non decet membrum eſſe delicatum.

De propoſito emendationis poſt generalem confeſſionem.

Cap. XLIX.

Hanc de Confeſſione tractationem concludere non poſſum, quin adhuc ſuggeram monitum ſaluberrimum, vt in perfectionis via rectè progrediaris, & conſtanter inſiſtas. Velim igitur vt quotannis certo die (pridie Kalend. Nouemb. opportunè id fieri poſſe iam dixi) poſt Confeſſionem generalem ab

vltima repetitam, antequam auguſtiſsimo reficiaris ſacramento, audiente ſi cōmodè fieri poterit, moderatore tuo conceptis verbis propoſitū vitæ melioris inſtaures, cuius hac eſſe poterit formula.

Propositvm vitæ sanctioris post confeſsionem concipiendum.

Omnipotentiſſime, clementiſſime, & miſericordiſſime Deus, ego N. licèt ob delicta & vitia ſuperioris vitæ, diuino tuo conſpectu indigniſſima, freta tamen pietate ac miſericordia tua infinita, necnon meritis pretioſiſſimi ſanguinis Ieſu Chriſti filij tui, quæ mihi per abſolutionem ſacramentalem communicata confido, ſupplex ante thronum diuinæ clementiæ tuæ proſtrata, mihi vt mea peccata condones iterum atque iterum rogo, & propono, firmitérque ſtatuo in conſpectu Angelorum, & tuo Reuerende Pater reliquum vitæ meæ tempus diuino cultui fideliter & conſtanter dare. In cuius rei gratiam renouo, confirmo, & ratum habeo propoſitum nomine meo conceptum, cùm ſalutaribus Baptiſmi vndis te largiente, ſum expiata. Sit igitur acceptum tibi æterne Deus propoſitum hoc meum, illúdque confirma atque vt largitus es ad hoc deſiderandum, & offerendum, ſic etiam ad ex-

plendum gratiam vberem largire. Amen.

Sic conceptum propoſitum, non aliam à peccato abſtinendi legem iniiciet, quàm communem iis omnibus, qui ritè confitentur. Erit tamen vt opinor vtiliſſimum: ille enim cuicuimodi externus apparatus, feriet oculos vehementiùs, animúmque continebit, & memoriam, ne tam facilè ſancta ſua deſideria effluere patiatur, qua in exercitatione haud pœnitendum iniectum eſſe tibi frœnum ſenties, vt intra officij tui repagula hæreas, nec in dæmonis inſidias adeò leuiter incurras, quas arcanum iſtud auxilium exturbabit.

De ſancta Communione.

Cap. L.

TRANSEAMVS ad ſacram ſynaxim, qua nihil ſublimius, aut glorioſius ab homine Chriſtiano in hac vita præſtari poteſt, cùm in ea pretioſiſſimi corporis & ſanguinis Chriſti verè particeps fiat, vt ipſe teſtatur, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me*

Digitized by Google

me manet, & ego in eo. Quod ita intelligendum eſt, vt ne quis ſordida & immunda mente ad epulas auguſtiſſimas accumbat. *Qui enim*, ait Apoſtolus, *indignè manducat, & bibit, iudicium ſibi manducat, & bibit, non diiudicans corpus Domini.*

In triclinio ornatiſſimo primum inſtructum eſt hoc amoris conuiuium: diſcus, in quo illatus eſt in cœnam agnus, vnicus erat ſmaragdus, qui etiamnum hodie Genuæ aſſeruatur. Calix verò quem ad ſanguinem ſuum conſecrandum Chriſtus adhibuit, pulcherrima Chalcedonij gemma, quam Valentini Hiſpaniæ ciues magna cum reuerentia conſeruant. Quorſum igitur Anima Chriſtiana, tam inſtructus & diues apparatus ab eo adhibitus, qui tanti paupertatem faciebat, niſi vt ex his conſiceremus, quam pretioſo ornatam mundo Animam illam eſſe velit, qui auguſtiſſimo huic conuiuio condixit?

Videndum igitur in primis tibi priuſquam ad ſacroſancta myſteria participanda venias, ne quid in te ſit, quod diuinis oculis parere poſſit offenſionem, maximè verò, ne vllius mortiferæ noxæ conſcientia premaris.

Digitized by Google

Huic præire ſolet Confeſſio, vt Lucifer Soli; vt nimirum omnes flagitiorum tenebras depellat, & diſſipet; quare illam ſemper communioni præmittes, niſi fortè aliquando moderator tuus aliud ſentiret, vt contingere poterit, ſi quando duobus continuis diebus erit adeundum hoc Sacramentum.

Vberiorem vt ex ea fructum colligas, pius aliquis ſcopus tibi ſẽper debet eſſe propoſitus; vt ſi ea mente communices; vt arctiore cum Deo amoris vinculo iungaris, vt eas expugnare poſſis cupiditates, quas minùs domitas & compreſſas habes; vt labes omnes tuas diligentiùs valeas eluere; vt eas redimere pœnas poſſis, quibus te tua delicta addixerunt; vt diuinæ bonitati gratias agere atque habere poſſis acceptiores; vt in rebus aduerſis præſidium inuenias opportunum; vt priuatam aliquam gratiam tibi vel aliis mereare; vt animabus in expiatoriis ignibus poſitis aliquod impetres leuamentum; denique vt alia huiuſmodi beneficia à Deo conſequaris.

Beatæ Catharinę Senenſi in more poſitum fuit, vt pridie illius diei, quo erat

cœleſtibus epulis reficienda, duplicem in voluntate motum excitaret, deſiderij alterum, alium amoris. Primus ſanctam illam famem incitabat, qua panem Angelorum vehementer expetebat: ſecundus ad multiplicem gratiam à Deo impetrandam animum eius præparabat: quid vetat te eius in hac exercitatione veſtigiis hærere?

Illuceſcente eo die, quo diuinæ menſæ accumbere propoſuiſti, meditationi conſuetæ (ſed non ex conſuetudine tantùm inſtituendæ) inſerendæ ſemper maximè ſub finem erunt conſiderationes aliquæ de altiſſimo hoc myſterio, quæ te ad ritè commmunicandum ſuauiter diſponant. Sex igitur proximas ſatis ad pietatem accendendam idoneas habeto.

Digitized by Google

Sex conſiderationes ad communionis diem.

CAP. LI.

1. CONSIDERABIS ſupremum illum rerum omnium Dominum, regémque glorioſiſſimum, non ſatis habuiſſe mortalitatem induere, hominum vt ſalutem procuraret, ſed inſuper adeò ſe demiſiſſe, vt ſedem apud nos in hoc Sacramento defigere voluerit, vt aliquem diuinæ miſericordiæ thronum in oculis ſemper haberemus, antiqua illa fœderis arca longè nobiliorem, quem in anguſtiis poſiti adiremus.

2. Eandem in hoc Sacramento Saluator noſter potentiam, eandem obtinet bonitatem, quam dum in viuis eſſet præferebat, tum cùm ſanitatem corporibus, animis ſalutarem doctrinam impertiret. Cur igitur in ſpem illam non veniemus, ipſum ſuo ad nos acceſſu, mira quædam ſuarum gratiarum dona, ſi ritè diſpoſiti ſimus, largiturum?

3. Vt olim ad ſolum æneì ſerpentis

Digitized by Google

cõſpectum venenati Iſraëlitarum morſus curabãtur, vt ad leuiſſimum fimbriæ ſeruatoris contactum confeſtim exaruit cruentum Hæmorrhoiſſæ profluuium, ita nullo negotio poterat ſuauiſſimus idem Dominus noſter inſtituere, vt viſu, vel oſculo libata hoſtia, ſacramentum hoc ſuum ſortiretur effectum; tanta tamen, & tam effuſa fuit eius in nos charitas, vt nobis voluerit adeò arctè coniungi, vt quandam cibi naturam, quo paſceremur, induerit.

4. Quò ſuauiùs nos, blandiúſque ad ſanctiſſimum hoc pabulum alliceret, illúmque horrorem detraheret, quem natiua carnis ſanguiniſque in ſe ſpectati ſpecies afferret, admirandum beneuolentiſſima eius ſapientia inuentum excogitauit, vt eorum ſpeciem externam alimentorum ſumeret, quibus communiter homines, non modò ſine horrore, ſed etiam cum voluptate vti ſolent: non ſecus vt prolectandorum puerorum cauſa, mundiſſimo & illicienti candore ſanguinem illum puriſſimum tinxit, quem infanti nutrix erat propinatura.

5. Non alicuius emolumenti commodive ſui cauſa ad nos benigniſſimus

Digitized by Google

Dominus accedit, ſed vt miſerias noſtras ſubleuet, eadémque in nos beneuolentiæ præbeat argumenta, quæ mortalis olim inter Iudæos edebat: vt redemptoris munus peccata condonando exerceat; Regis gubernando, medici ſanando; dirigendo Paſtoris; docendo magiſtri; ſummi denique Pontificis merita ſalutiferæ crucis nobis communicando.

6. Quemadmodum videmus pias & religioſas animas hoc cœleſti pabulo ſaginatas, meros quoſdam, & inſolentes illius in ſe effectus experiri, intellectus ſiquidem illarum illuſtriori luce complectur, calentioribus diuini amoris flammis voluntas rapitur, memoria Deum ſibi longè faciliùs obiicit, fides valentior, ſpes erectior, multò ardentior charitas exiſtit, itaut in propulſandis tentationibus vegetiores, ad laborem, & incommoda robuſtiores, ad virtutem operúmque bonorum munia proniores & exercitatiores euadant; ita nobis quoque ſperandum eſt iiſdem beneficiis cumulandos, ſi nobiliſſimarum iſtarum mentium pietatem & religionem æmulemur.

His & ſimilibus cogitationibus teipſam excitabis, miſſóſque ad te à Deo cœleſtes nuntios reputabis, qui tibi ad lautiſſimum filij ſui conuiuium illis verbis condicant: *Ecce prandium meum paraui; venite ad nuptias; venite, comedite panem, & bibite vinum, quod miſcui vobis.*

Hæc cogitans velut cœleſtibus ſtipata choris templum adibis, ſacrum Miſſæ ſacrificium eo ritu auditura, quem ſuprà expoſui, ita tamen, vt quæ de ſpiritali communione ibi dicta ſunt, ad veram & reapſe inſtituendam transferre ſtudeas.

Quid agendum ſit circa Communionis tempus.

Cap. LII.

NOMINATIM verò memineris, cùm ad ſacras epulas propiùs accedes, vt vtilitatem abiectionémque tuam demiſſiſſimè agnoſcas, dicáſque cum ſenſu poſt ſacerdotem, *Domine non ſum dignus.* Atque vti os tuum ieiunum eſſe debet, itaut poſt mediam noctem

cibi nihil, potúſve ſumpſerit, ita corpus totum quàm modeſtiſſimè compoſitum eſſe par eſt, oculis demiſſis, ore honeſtè aperto, lingua leuiter prominente, iunctis ſub linteo ſuppliciter manibus, atque ita nullo ſingultu edito, aut vehementiore ſuſpirio, magna cum veneratione, panem hunc Euchariſticum, diuinum cibum, hoſtiam pacificam excipies, & ſolemnibus illis Eccleſiæ verbis, peruetuſtáque precatione ſalutabis, *Aue ſalus mundi, verbum Patris, hoſtia ſacra*, &c. ſed adeò feruenter conceptis, vt quot verba, tot diuini amoris ſagittæ videantur, quibus amantiſſimi Domini cor ferias, & vulneres.

Quam etiam ad rem breues quaſdam, ſed feruentes aſpirationes, velut iacula validiſſima contorqueris; vt ſi dicas, *Incende ignis conſumens, quidquid in me videris diuino tuo conſpectu indignum, quicquid diuinæ tuæ gratiæ aduerſatur.*

Exple animæ meæ famem panis Angelorum, vt quæ tibi ſunt ingrata faſtidiat.

Dulciſſime Ieſu dic amabo nunc Animæ meæ, quod olim Zachæo, hodie ſalus facta eſt huic domui.

Deus cordis mei da, vt quanta quanta

ſum, tota tua ſim, in te vno ſic acquieſcam, vt tu vnus ſine ſocio me totam poſſideas.

Agenda poſt communionem.

Cap. LIII.

CHristi corpore percepto, quartam horæ partem dabis colloquiis cum hoſpite ſuauiſſimè miſcendis.

1. Igitur gratias habebis immortales, quòd diuinæ ſuæ maieſtatis velũ ad tam abiectum hoſpitium demiſit. *Gratias Domine Deus ago infinitas, cœleſtéſque ſpiritus, vt mecũ agant oro, atque adeo obteſtor, pro tã inſigni quod nunc in me liberaliſſimè cõtuliſti beneficio: nam licèt ineptiſſimis lingua mea indulſerit nugis, licèt os meum intemperantia ſæpè polluerit, licèt pectus meum immunditia contaminarit, nihilominus quæ tua ſingularis eſt bonitas, linguam tangere, intrare os, in pectore habitare voluiſti. Age igitur lingua, os, pectus, agite oſſa, venæ, nerui, & omnia interiora mea benedicite Domino, & effuſam eius liberalitatem extollite,* &c.

2. Excita mentem tuam ad vehementem quandam admirationem. *Quis ego*

ſum, & quis Deus meus, vt ille me inuiſat? Deus æterne, quid eſt homo, aut quid apponis erga eum cor tuum? Quis autem filius hominis, in cuius corde pretioſiſſimam carnem tuam, ſanguinem, animam, diuinitatémque tuam tanquam in iucundiſsimo domicilio recondis?

3. Erumpe effuſiſſimas laudes. *Laudate Dominum omnes gentes, laudate, & ſuperexaltate eum in ſæcula. Laudate Dominum omnes populi, laudate nomen Domini. Quoniam confirmata eſt ſuper me miſericordia eius, & cumulato amore ſuo, me gratiarum ſuarum torrente recreauit. Nunquam ô Anima mea, nunquam excidant tibi immenſa beneficia eius, ſed innumeras pro illis laudes æternùm repende. Adorate Dominum, & glorificate eum omnia interiora mea, quippe quæ omnia diuinæ munificentiæ dona ſenſiſtis.*

4. Offeres deinceps Deo quicquid illi gratiſſimum eſſe duxeris. offeres ſincerum & veriſſimum propoſitum amicitiæ eius retinendæ, mortíſque priùs ſubeundæ, quàm in te flagitium vllum admittas, maximè quod diuina te gratia exuere poſſit. Statue coram illo fidele ipſi deinceps obſequium ardenter &

conſtanter ad extremum vſque ſpiritum deferre, eámque animi cupiditatem domare, quæ te ab eius obſequio frequentiùs auocat, &c.

5. Denique, quæ tibi neceſſaria ſunt, impetrare ſtude: expone infirmitatem tuam & irruentis in te dæmonis impetum: obſecra vt illa ſacratiſſimi corporis eius cum tuo coniunctio, tam arcto perfectóque nexu animum tuum ipſius aſtringat voluntati, vt ab ea nullo temporis momento vnquam diſcedat: ſuppliciter ab illo contende, vt tam perfectè vitam inſtituas, vt eam ſancto exitu concludere, & laudes eius in omni æternitate cum Angelis celebrare poſſis, quem ad finem ſanctiſsimæ Paſsionis eius merita exhibebis, in cuius memoriam auguſtiſsimum hoc Sacramentum Eccleſiæ ſuæ velut pignus immortalitatis reliquit.

Digitized by Google

Vſus proximarum meditationum ſuadetur.

Cap. LIV.

CVM triplicem vitæ ex Dei nutu inſtituendæ viam initio propoſuerimus, duplex tam abſoluta eſt, & ad exitium perducta: tertia ſupereſt, quæ meditationes aliquot adornat, quibus Anima ad Dei cognitionem & amorem magis ac magis in dies exardeſcat.

Non ſatis fuit nobiliſsimo illi humani corporis architecto, gemina oculorum ſpecula caput exornaſſe, & inſtruxiſſe, animámque ſenſu quodam communi, & imaginum effingendarum vi præditam condidiſſe: mentem præterea in illa eſſe voluit, qua non modò res ſenſibus obiectas ad vitæ huius tuitionem perciperet, ſed à ſenſibus quoque remotas mirabili quadam intelligentia aſſequeretur, vt futuram ad vitam aſpiraret. Quare vt duo præcipua in cœlis luminaria fulgere iuſsit, ita inter ſe comparata, vt nocti Luna; operi diurno Sol præeſſet; ſic in no-

Digitized by Google

bis præter eam, quam ſenſibus venamur cognitionem, intellectum quoque addidit, ea tamẽ lege, vt ſenſus per obſcuram rerum inferiorum caliginem aliquam facem præferrent, mens verò clariſſimam lucem ſpargeret, qua res quoque cœleſtes illuſtrarentur. Quæ certè duo opera tanto artifice digniſsima ſunt, licèt inter ſe adeò diſtincta, ſicut ex rebus vtrique obiectis intelligimus, vt alterum alteri tantum concedat, quantum Soli Luna, aut pura ſerenáque nox meridianæ luci nullis nubibus obductæ.

Hîc verò qua ratione ſe humana gerit nequitia? leges à diuina ſapientia ſancitas, ordinem ab ea tam prudenter poſitum turbat atque peruertit, adeóque turbulentis plerique omnes cupiditatibus occœcantur, vt omnis eorum in ſenſibus hæreat cogitatio, mentémque ſuam ita deiiciant, vt præter ea quæ ad ſenſus pertinent nihil vt plurimum de cæteris omnibus laborent: quæ ſanè in humana vita non minor eſt perturbatio, quàm ſi in natura nocturnum ſidus, in Solem dominatum affectaret. Huius verò confuſionis non alium opinor fontem eſſe, quàm orationis eius, quæ men-

te ſit contemptum.

Deſolatione, aiebat Ieremias vates, *deſolata eſt terra, quia non eſt, qui recogitet corde*; id eſt, qui attentè res diuinas expendat. Norat hoc rex ſapientiſsimus, qui ſalutare hoc remedium aduersùs peſtem, quæ graſſabatur in vulgus, adhibere ſe illis verbis profitebatur: *Præuenerunt oculi mei ad te diluculo, vt meditarer eloquia tua.* Et rurſum; *Anticipauerunt vigilias oculi mei. Cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui. Et meditatus ſum nocte cum corde meo: memor fui operum Domini, quia memor ero ab initio mirabilium tuorum.* Hæc erat adoleſcentis Eccleſiæ exercitatio, de cuius filiis hæc B. Lucas, *Erant perſeuerantes vnanimiter in oratione.* Philo verò Iudæus in id eos potiſsimùm incubuiſſe narrat, diuinam vt legem aſsidua meditatione verſarent. Sanè Plinius iunior nullam in iis culpam ſe deprehendiſſe teſtatur, niſi quòd ſingulis diebus ad Chriſtum orandum (quem Deum eſſe putabant) conuenirent. Sanctus Auguſtinus, vt veritatem à ſuis partibus ſtare contra Manichæos probaret, à Chriſtianorum ſanctimonia repetebat argumentum, quam multis verbis depingens hęc

Digitized by Google

habet. *Quis enim neſcit ſummæ continentiæ hominum Chriſtianorum multitudinem per totum orbem in dies magis magiſque diffundi, & in oriente maximè atque Aegypto, quod vos nullo modo poteſt latere. Nihil de iis dicam, quos paulò antè commemoraui, qui ſecretiſſimi penitùs, &c. Sed quis illos nō miretur, & prædicet, qui contemptis atque deſertis mundi huius illecebris, ſimul ætatem agunt viuētes in orationibus, lectionibus, &c.* Tum igitur implebatur, quod ab Iſaia fuerat prænunciatum: *Conſummatio abbreuiata inundabit iuſtitiam.*

Verùm heu! quomodo euanuit, qūò abiit hæc vitę ſanctimonia? quò fugit hic præcandi, hic meditandi ardor? quas in oras migrarunt? *Nazaræi iſti candidiores niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, ſaphiro pulchriores*: heu quàm rari in plateis noſtris incedunt!

Seceſsionem à Deo fecimus, annon meremur, vt ipſe quoque ſecedat à nobis: ſed ô miſericordiſsime Domine noli, imò *innoua dies noſtros ſicut fuerunt à principio*? Ecce, Anima Chriſtiana, ecce Deus manum porrigit, vt te ſubleuet, imò vt tibi blandiatur *in domo orationis ſuæ*, ſi eam ingredi non pigeat. Quid verò

eſt quòd cunctèris? *Domine Deus virtutum* (aiebat ille, qui in ſanctiſsimam hanc domum ſæpè penetrarat) *quàm dilecta tabernacula tua concupiſcit, & deficit Anima mea in atria Domini. Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum: etenim paſſer inuenit ſibi domum, & turtur nidum ſibi, vbi ponat pullos ſuos*: quomodo ergo meum ego non inuenerim? nidus meus, & domus mea, *altaria tua Domine virtutum, rex meus, & Deus meus, Beati qui habitant in domo tua.* hoc eſt, qui ſupplices ad altare tuum accedunt, vt laudent te, & preces fundant: ad illud altare tunc adierat, cùm in has voces erumpebat, *Domine Deus virtutum, exaudi orationem meam, auribus percipe Deus Iacob.* vnde tandem ſic concludit, *Melior eſt dies vna in atriis tuis ſuper millia. Elegi abiectus eſſe in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.*

Quod enim in tabernaculis iſtis emolumentum eſſe poteſt, niſi vt cum lupis vlules, & cum impiis impius euadas? At in domo Dei, ad eius altare diuinæ lucis radios excipies, Angelos comites & auxiliarios habebis, Sanctorum propitios cœtus, Deus tecum amicè & familiari-

tèr

ter aget, omnem ab animo tuo næuum abſterget, te virtutum præſidiis confirmabit, patefaciet arcana ſuæ legis, rebus aduerſis opem adhibebit, muniet aduerſùs tentationes, anticipatum gloriæ ſuæ guſtum dabit ſuauiſſimum, totam denique te exuto veteri homine perficiet, atque renouabit.

Veni in partem tantorum bonorum Anima cariſſima, ſtant in atriis ſanctiſſimæ huius domus cœleſtes genij, qui tè cum Domino euocant, noli procraſtinare, noli obiicere perfectorum eſſe illas ſedes, à quibus longiſſimè abſis; erit illis ſuus in hoc domicilio locus, nec tamen excluderis: illis ſi liberaliora munera præbebuntur, nihil proinde tibi decèdet; illi rore ſuauiſſimo perfuſi delectabuntur, tu balſamo vngeris, quo vlcera tua ſanentur.

Neque verò eſt, quòd vllum hinc rebus domeſticis detrimentum imminere verearis. Erit potiùs gratum quoddam illorum hęc viciſſitudo leuamentum, atque ita dum nunc cum Martha ſollicita concurſabis, nunc cum Maria ſedebis ad Domini pedes, operoſo in negotio filio-

rum Dei otio ſancto perfrueris: vsúque ipſo, & experientia diſces veram eſſe illam pſalmographi vocem, eum nimirum qui in lege Domini meditatur, futurum *tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo, & folium eius non decidet, & omnia quæcunque faciet, proſperabuntur.* Quid igitur hæres? cur non incenſa voluntate in ſanctiſſimum aduolas domicilium? ingredere Anima, certóque tibi perſuade, te, ſi in eo conſtanter perſeueres Beatorum gaudiis in terra cumulandam, quę te ad illud magni Iacob decantandum impellant: *Verè Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam.*

Digitized by Google

PARS III.

VARIÆ MEDITATIONES IN SINGVLOS DIES MENSIS DISTRIBVTÆ.

MEDITATIONES primæ Hebdomadæ.

MEDITATIO IN DIEM LVNÆ.

De fine, propter quem homo conditus eſt.

ORATIO præuia hunc in modum concipietur. En ego humillima & abiectiſſima res à te creata ſupplex ad te venio, Domine Deus, vt de ſalute Animæ meæ tecum

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA NAZ. ROMA

agam, & ad laudes tuas quantum in me erit celebrandas accedam: ſed non decorè verſatur laus tua in ore peccatoris, nec flagitiorum meorum ſordes impuritatem meam diſſimulare patiuntur: vellem igitur Deus meus gloriam tuam prædicare, niſi me mea flagitia deterrerent. At cùm eximiam bonitatem tuam attendo, quæ deſperatiſſimis quibuſque animos addit, vtcumque confirmor, in eáque ſpem collocans, ad thronum infinitæ miſericordiæ tuæ proſternor, meorúmque vt mihi ſcelerũ veniã facias demiſsiſsimè flagito, nominatim verò illius, & illius (quæ exprimes) diuinámque clementiam tuam enixè rogo per ſupplices Virginis beatiſsimæ, Angeli tutelaris mei, ſanctorúmque patronorum N. N. (quos itidem nominabis) preces, omnes vt huius diei actiones, præſertim verò hanc mentis exercitationem, quam inſtituo, tuam ad gloriam, animique mei ſalutem dirigi velis, & conſtantiſsimè referri.

Digitized by Google

CAPVT I.

EXPENDAM finem, quem Deus mihi propoſitum eſſe voluit, cùm me condidit: nimirum, vt eum laudarem, reuererer, & colerem, atque ita felicitatem æternam mihi compararem.

Condidit me non vllis meis meritis, ſed ſola bonitate ſua adductus. Quid enim ego promereri poſſem, antequam eſſem?

Cùm autem naturæ conuenientẽ duntaxat ſcopũ conſtituere poſſet, prout humanæ vitæ ratio poſtulare videbatur, ad alium tamen longè nobiliorem aſpirare me voluit, vt eo ſcilicet vnà cum Angelis (ſiquidem ei dicto audiens eſſe vellem) æternùm frui poſſem.

Quàm exaggeratus eſt ille amor, qui tantulum vermiculum ad tantam extollere gloriam non dubitauit?

Quas me eam ob rem gratias Deo meo rependere æquum eſt?

Quibus verò lacrymis cœcitatem meam proſequi me conuenit, quæ tanti immemor beneficij, vnis duntaxat honoribus captandis, comparandis opibus, voluptatibus venandis operam ſtudiumque

que omne deuoui? imò verò iis me flagitiis addixi, quæ me à Deo auocare, & ea felicitate poſſent excludere, cui vni parandæ intentam me ſummum Numen eſſe voluerat.

O Anima, Anima mea, qui fecit te ſine te, non ſaluabit te ſine te.

CAPVT II.

LVSTRABO oculis res omnes vniuerſitatis, atque attendam eas ideo conditas vt mihi ad finem meum conſequendum adiumento eſſent: inde conficiam earum mihi vſum interdictum eſſe, niſi iis tanquam ſubſidiis vtar ad obſequium Dei, & felicitatem æternam obtinendam.

Diuinum igitur Numen in ſingulis agnoſcere conabor, cognitum amare, & colere, vt amorem & cultum meum beatitate ſua remuneretur.

Feciſſem heu maturiùs! quæ vſque adeo inſaniui, vt in exitium meum, & Dei offenſionem eius opera toties conuerterem!

O me ingratam! itáne verò nequitia mea corrumpere debuit, quod ſingularis

Dei bonitas liberaliter erogarat, diuinæque beneficentiæ pignoribus ad malitiæ meæ licentiam abuti?

Capvt III.

Ex his conficiam, quantam in creatarum rerum vſu moderationem afferre debeam, ita vt æquè valetudinem, & incommoda, contemptum & honores, aduerſa ac proſpera excipere parata ſim, cùm, ſi ita Deo viſum fuerit, non modò non officiant, ſed ad deſtinatam quoque metam aſſequendum, non parum ſint profutura.

Cui igitur, Anima mea, bono tantus & tam effuſus in creaturas amor? quorſum tam anxius rerum aduerſarum & incommodorum timor?

Colloqvivm.

Ecce igitur animi mei ſenſa Deus meus, & meliora vota, quæ in conſpectu diuinæ tuæ maieſtatis effundo, iis vt benedicas, præſtéſque ne inania ſint, & irrita. Fateor equidem toto ſuperioris vitæ tempore cor meum rebus creatis quàm par eſſet, arctiùs fuiſſe deuinctum, neque

dum expediri à me poſſe niſi à te vincula ſoluantur. Da igitur obſecro, Deus optime maxime, vt amem te, vt colam te omnibus ſtudiis, & officiis, ſicuti me facere voluiſti, cùm me inter viuos eſſe iuſſiſti. *Pater noſter, Aue Maria.*

DIE MARTIS.

De beneficiis diuinis.

ORATIO præuia, vt heſterna die fiet.

CAPVT I.

CONSIDERABO Deum, etſi ſit ſummum bonum, quod cum aliis communicari, maximè conueniat, tamen neque vi, neque neceſſitate compulſum, ſed ſola ſuadente bonitate id agere, neque vllius ſui emolumenti, commodiue gratia, cùm aliunde quàm à ſe ſuam non repetat beatitatem, ſed tantùm vt nobis conſulat.

His attentè ponderatis, accendes in te Anima mea ardentiſſimos amoris igni-

culos, tam bonum vt Deum diligas, qui non alia de cauſa te amauit, quàm quòd bonus ſit, téque tam multis cumulauit beneficiis, licèt nullam à te vtilitatem poſſet exſpectare.

Capvt II.

Contemplabor Deum non eadem, qua hominem ratione res cæteras creatas ſui participes eſſe voluiſſe. Rebus inanimis corpus duntaxat dedit, plantis prçter corpus vegetandi creſcendíque vim, animantibus ſenſum addidit, quibus vitam ſuam conſeruarent; hominem verò quem multo nobiliorem eſſe volebat, his omnibus inſtruxit, illique præterea mentem adiecit quæ cœleſtibus illum ſpiritibus exæquat.

Hinc eliciam motus
Admirationis,
Gaudij,
Gratiarum actionis.

Sed maximè Amoris, atque adeo illius amoris, quem Deus expoſcit, liberi nimirum, ſinceri, & ardentis, eum vt toto corde, tota anima, viribus totis, & tota mente diligam, atque complectar.

Digitized by Google

Toto corde, ob corpus, quod ab illo accepi.

Tota anima, ob vitam, quam eiuſdem animæ beneficio duco.

Totis viribus, ob ſenſus datos, quibus vita conſeruetur.

Tota mente ob rationem, & iudicium, quibus me nobilitauit.

CAPVT III.

NON ſolis naturæ donis humanam Deus naturam ornauit, cœleſtibus præterea multò clarioribus & pretioſioribus illam locupletauit: in his

Primum eſt gratia, cum qua charitatem, cæteráſque virtutes infuſas, & Spiritus ſancti dona coniungo.

Secundum, gloria æterna, iis à Deo parata, qui à peccatis vacui ex hac vitæ conditione receſſerint.

Tertium, perſona diuina humanæ naturæ per Verbum communicata, vt iuſtum æquitati diuinæ pro peccato pretium repræſentaretur.

Quartum, eſt numquam ſatis æſtimandum altaris ſacramentum, quo Verbum caro factum hominibus datur, vt hoc diuino cibo reficiantur, & vires Animæ in-

Digitized by Google

ſtaurẽtur. Quare ſi pro tot tantíſque beneficiis poſtulat Deus, vt eius legibus obtẽperes. ideo poſtulat quia diuinæ iuſtitię non repugnat liberalitas. Imò verò ſic præbet illuſtrius munificentiæ ſuæ argumentum, neque enim alio fine præcepta imponit, quàm vt ex illorum obſeruatione, maior ad gloriam noſtram fiat acceſſio, ipſo nouis muneribus obſequia noſtra proſequente.

Par igitur eſt niſi ingrato animo eſſe velis, vt tantis in te collatis meritis reſpondeas, vt quemadmodum omnia liberaliſſimè tibi contulit, ita nihil ipſum à te deſiderare patiaris.

Dabis ergo omnia, ídque non frigidè, non ægrè, non inuita, vt ij aſſolent, à quibus tributa & vectigalia penduntur, ſed grata, hilari, & maximè ſpontanea voluntate.

Si verò te parcam hactenus, & illiberalem erga eum præſtitiſti, flagitium & ſordes tuas lugebis, in concluſione, vt magis conſideratè deinceps te geras, poſtulabis, *Pater noſter, Aue Maria.*

Digitized by Google

DIE MERCVRII.

De peccatis.

CVM orationem præuiam inſtituam, Deum mihi defingam, vt iudicem in tribunali ſedentem, è quo torrens ignis erumpat, qui ſceleſtos vltricibus flammis comburat, me verò, vt grauiſſimorum ſcelerum ream, funibus flagitiorum vinctam: hac cogitatione mihi obiecta Deum rogabo, vt notitiam lucémque infundat, qua peccati grauitatem concipiam, vt ingentem illius horrorem voluntati meæ iniiciat, & contritionem ſcelerum meorum magnitudini æqualem.

CAPVT I.

RECOGITABO quis ille ſit, quem flagitiis meis prouocaui. Deus nimirum ille eſt adeò munificus, à quo omnia illa tum naturalia, tum diuina beneficia accepi, quæ ſuperioribus meditationibus recenſui.

Ille omnipotens, qui me peccantem

Digitized by Google

perdere nullo negotio potuit.

Ille omnia ſciens, quem nulla res latere poteſt.

Ille bonitatis amantiſſimus, qui à malitia omnibus modis abhorret.

O Anima mea, an non eum amare præſtabat, qui nihil niſi bonitatem pręfert.

An non eum omni obſeruantia colere debueras, qui ſapientiſſimus eſt?

An non illius timore à peccato debebas auocari, quem potentiſſimum eſſe noras?

Agnoſce ergo Anima, & venerare diuinam eius iuſtitiam, quæ tecum mitiùs nunc quàm olim cum Angelis egit, quos licèt longè nobiliores, vnico ſuperbiæ peccato contaminatos ferre non potuit, ſed ad ſempiterna inferorum ſupplicia, nulla veniæ ſpe relicta, detruſit.

CAPVT II.

QVÆ verò, qualíſve ſum, quę Deum offendi, quid ſum, inquam, ſeu animum, ſeu corpus attendam?

Si quid ſum, illius beneficio id ſum: ſi nihil ſum, hoc verò à me eſt, id mihi debetur. Quòd ſi eius beneficio & gratia

aliquid ſum, cur ab eoſta tim in nihilum meum non deuoluta ſum, cùm eius gratia ſum orbata?

Si nihil ſum, vnde tanta nihilo confidentia, vt in omnipotentem inſurgeret? quò abiectior eſt, qui prouocat, tantò capitalior illius temeritas habenda.

Vbi à Dei mandato ſemel diſceſſit primus humani generis parens, ſtatim ab horto amœniſſimo exturbatus, cœleſti iuſtitia nudatus, hoſtis Dei renunciatus, exulare, & mortem ſubire iuſſus eſt.

Agnoſce iterum, & adora iuſtitiam diuinam, quæ te non ſemel, ſed ſæpiùs legis ſuę violatæ ream ad pœnitentiam vocat, imò ad ſupremam beatitatem inuitat?

CAPVT III.

AT cur in Dei offenſionem incurri? Heu!

Vt vaniſsimum honorem aucuparer,
Vt belluinæ voluptati indulgerem,
Vt tantillæ rei acceſsione ditarer.

Quòd ſi vel inſcitia mihi impoſuiſſet, aut obrepſiſſet infirmitas, eſſet aliquid, quod intemperantiæ meæ poſſet obtendi.

Digitized by Google

Nunc meram video fuiſſe malitiam,& prauæ pertinaciam mentis, quæ conſcientiæ refragantis ſtimulos,& infuſum à Deo lumen obſtinatè reiecit.

Quòd ſi Eſaü inſaniam ferre non poſſum, qui primogeniti ius cum lentis pabulo commutauit; quid de me ſentire debeo, quam non puduit cœleſtem hæreditatem pro viliſsimo quæſtu repudiare?

Eſaü ſe primogeniti iure abdicauit, vt vitam ſuam tueretur, ego meum abieci, vt æternæ me morti manciparem.

Quòd ſi nullus ei fuit pœnitentiæ locus, nec vnquam ei contractum initum licuit reuocare, quantò minor ſpes reliqua mihi eſſe deberet, cuius longè magis craſſum & ſupinum fuit delictum?

Redi nihilominus, Anima mea, ad Deum tuum, excipiet enim te infinita eius miſericordia? Periculoſa in tanto periculo eſt omnis procraſtinatio.

COLLOQVIVM.

Chriſtum compellabit, ſupplicitérque rogabit, vt illo ipſo ſanguine, quem ad delenda hominum peccata effudit, Animæ quoque meæ ſordes abſtergat.

Digitized by Google

Hoc eo vehementiùs à te contendo, Domine Ieſu Chriſte, quo altiùs menti meæ inſidet peccati grauitas, cùm in te oculos defigo. Agne innocentiſsime, quem non tuorum, ſed noſtrorum ſub peccatorum onere gementem, tam grauibus addixit ſuppliciis parens ille tuus, tuíque amantiſsimus, quòd pro nobis vadimonium obiiſſes.

Si ergo filium dilectiſsimum alienas præſtantem culpas, tam ſeuerè Pater exercuit, quas de ſeruo tam multorum ſcelerum reo pœnas repetet?

Miſerere Domine, miſerere, &c. *Pater noſter, Aue Maria.*

DIE IOVIS.

De morte.

ORATIO præuia more ſolito fiet, cum hac tamē acceſſione, Deum vt obſecrem mortis vt eam notitiam imprimat, quæ vitæ rectè ducendæ ſit magiſtra.

CAP

Digitized by Google

Capvt I.

Tametsi firma ratáque ſit moriendi lex in omnes homines lata, mortis tamen hora, loco & modo nihil incertius eſt. Prorogantur quidem aliquorum dies longiùs; omnium tamen vita, certa eſt ad mortem via, quæ mors ſemel tantùm hominem inuadit, momentóque opprimit, è quo pendet æternitas.

Ex his duo conficiam:

Alterum eſt nullum eſſe morti flagitioſè obitæ remedium.

Alterum tam ancipiti aleę tam magnas ſpes committere, periculoſiſſimam eſſe illuſionem.

Accumbebat menſæ Balthazar cum Optimatibus ſuis, quando digitus Dei in triclinij muro exarauit hæc verba: *Mane, Techel, Phares*. Numeratus, appenſus, diuiſus. Horrenda ſanè verba, quæ extremo illum ſupplicio addicebant: eadem quippe hora regnum cum vita exuit, & funditus amiſit.

Ergóne alium temeraria exitum ſperabo, niſi ab inſtituto vitæ turpis itinere deflectam?

Digitized by Google

Capvt II.

Invicta moriendi neceſſitas vel ſola, terrorem iniicere grauiſſimum deberet. Aderit enim (incertum quando, fors die craſtina) aderit, inquam, illa dies, qua ego, quę lætam & luxuriantem vitæ meę ſegetem nunc meto, videbo me in lecto iacentem, cereóque in manu accenſo, mortis telum exſpectantem, niſi fortè priùs illa me ſuffocet, quàm de ea liceat cogitare.

Orbabit me illa opibus, voluptatibus, dignitatibus, liberis, amicis, iis denique omnibus, quæ mihi in hac vita chariſſima fuerunt.

At infelicitati meæ non leue accedet augmentum ex recordatione ſcelerum, maximè verò illius negligentiæ, qua oblatas reſipiſcendi, & ſalutis æternæ conſequendæ occaſiones ignauiſsimè reſpui.

Quid, cùm de adeundo diuinæ iuſtitiæ tribunali cogitabis, ô Anima, quam carnificinam conſcientiæ tuæ experieris, cùm illa tot iniquitates obiiciet in Deum perpetratas, quem placare poſtea neglexiſti?

Eheu! Anima mea; quo pretio diem vnum, quid dico diem, horam fortaſſe, aut etiam aliquid hora breuius; illius temporis redimeres, quod tam otiosè contriuiſti, nec illud valebis impetrare?

Intelliges eo tempore, ſed apertè, quàm grauia ſint illa peccata; quæ nunc adeò leuia ducis.

Agnoſces tunc quanta ſit fluxarum huius ſæculi rerum inanitas, ſi cum æternis comparentur.

Tunc ſatis mirari non poteris, quomodo vſque adeo inſanires, vt viliſſimæ cuiuſpiam rei retinendæ cauſa, immenſæ felicitatis periculum adire non dubitares.

Tunc aderit dierum tuorum meta, vt dies Domini illuceſcat: cuius ſi miſericordiam attendas, quoties ea ſis abuſus, quotiéſque eum ad iram accenderis, in mentem veniet; ſi iuſtitiam ſpectes, vultum eius ferre non poteris, quæ in ſcelerà tua vindex inſurget.

Tunc te fortè gemitus mortis, & dolores inferni circundabunt.

O quàm iis in anguſtiis diſſimilia erunt ab iis cogitationibus, quas modò animo verſas pietatē ſuperſtitioni, aut ſtupidi-

tati non aſcribes; vaniſſimam vitæ ratio-nem, elegantiam, & vrbanitatem eſſe non prædicabis.

Obſecro igitur Anima, ne te triſtiſſima dies occupet, anteuerte, & ſeriò de ea cogita, vt ea nunc opere compleas, quæ tunc feciſſe tantopere optares.

CAPVT III.

OBSERVABITVR ob oculos triſtis illa ſpecies, quæ animum ab ergaſtulo corporis ſolutum Deo ſiſtet, extremam vt de ſe ſuiſque operibus ſententiam audiat: hinc cadauer exangue pheretro clauſum, vili tectum linteolo, baiulorum humeris imponetur, vt in foſſam aliquam deiiciatur, vermium vndique ſcaturientium pabulum, atque his damnatum tenebris ad eam diem iacebit, qua horrenda Principis Angeli tuba, mortuos à ſomno & ab inferis excitabit.

Hîc ego illorum imprudentiam aduertam, quibus cùm adeò curæ ſit ſuperba cadaueribus ſuis erigere mauſolæa, nihil tamen admodum ſolliciti ſunt, certum vt ſecurúmque immortali Animæ ſuæ domicilium parent: ſed illam hæredum ſuorum malè tutæ fidei com-

mittunt, eorúmque orationibus & eleemoſynis ſe ad æterna tabernacula traducendos eſſe confidunt. Atenim ſi rebus illi ſuis, ſalutíque dum viuerent, minimè conſuluerunt, cuius dementię eſt ſperare poſtquam ipſi exceſſerint alios eſſe conſulturos?

COLLOQVIVM.

Potentiſſime benigniſſiméque Domine, da quæſo, vt horum memoria nunquam ex animo meo deleatur, ſed ita extremam vitæ periodum reuoluam, vt illa cogitatio ad frænandum domandúmque corpus aculeos ſubdat, animíque cupiditates extinguat, veram vt vitam poſt hanc mortem aſſequatur. Cùm verò ad conſtitutum illud, certúmque tibi momentum deuenero, & defecerit me virtus mea, ne delinquas me Deus meus, ſed præſta vt in te vno ſpes præſidiúmque meum omne collocentur.

Ne mortis inſtantis horror mentem percellat, ne dolores animum frangant: ne me necopinantem mors inuadat: ne dæmonum pateam inſidiis: vt in omnibus æquiſſimæ tuæ voluntati libenter acquieſcam: vt ſincero demiſſiſſimóque

corde vitam meam, omnéſque vitæ rationes ad expiandas noxas offeram. Vt acerbiſsimorum dolorum tuorum merita in me deriuentur, eorúmque iugi memoria reficiar. Vt omnes eluam labes, quibus oculi à me tui poſſent auerti.

Vt denique in manus tuas Animum meum, opus manuum tuarum tandem aliquando committam. *Pater noſter, Aue Maria.*

DIE VENERIS.

De iudicio.

ORATIONEM præuiam hæc comitabitur poſtulatio. Rogabo ſcilicet ſummum illum, ac præpotentem rerum omnium arbitrum, vt diuini ipſius iudicij tribunal formidandum contemplans ita promoueri poſsim, vt ſanctis eius conſiliis, & præceptis prompto deinceps animo acquieſcam, & ſaluti comparandæ diligenter inſiſtam.

CAPVT I.

REVOCABO in mentem ſigna illa, quæ iudicij extremi diem ſint præmonſtratura. In cœlis Sol deficiet, rubebit cruore Luna, præcipites agentur ſtellæ, cœlorum virtutes mouebuntur.

Aër fœda tempeſtate, tonitruis, prodigiis, ſpectriſque plenus omnium animos horrore perfundet.

Mare ventorum flatibus agitatum, vndas longè latéque iactabit.

Tellus horrendis hiatibus diſcedet: erumpent ex antris latibuliſque ſuis feræ, rugitibúſque, & vlulatibus triſtiſſimis vrbes implebunt: areſcentibus interim hominibus præ timore, & in ipſa morte mortem quærentibus, quippe qui ſe damnatos vel ante latam ſententiam ducant, periculúmque ſuum è timore ſuo metiantur, itáque omnis eorum ratio abſorbeatur, vt parentes liberorum, liberi parentum memoriam abiiciant.

O æquiſſime iudex, è cuius facie fluuius igneus manabit, omnia quæ tunc ita fouentur abſumpturus, da vt prodigiorum iſtorum terrore ſic percellar, vt è tetra ſceleratorum colluuione, cui hæ

peſtes imminent, & minitantur abſcedam.

Capvt II.

IVdicem intuebor:

E cœlo magna cum maieſtate ſeſe efferentem:

Præuio venerando Crucis vexillo.

Paludamentum eius candidiſſima niue ſplendidius nitebit:

Cingent latera innumeræ Angelorum cohortes.

Stipabit denſum Sanctorum agmen:

Curru vehetur è nubibus contexto, flammeiſque rotis inuecto.

Exiliet ex ore gladius anceps, admodúmque acutus.

Ardebunt oculi furore, & inſtar geminæ lampadis micabunt.

Lorica iuſtitiæ inductur.

Totúmque, vt vates ait Nahum, orbem horrore concutiet.

Quantum à prima eius in mundum ingreſſione hæc ſecunda diſcrepabit?

Non iacebit in abiecto ſtramine humilis, ſed in vindice tribunali iudex omnium futurus.

Non Herodis ſatellitúmque perdito-

rum ludibriis iactatus, ſed Angelorum obſequio glorioſus.

Non funeſtæ addictus arbori, ſed ſceleſtos æternis catenis obſtricturus.

Corporis quidem exuuiis indutus, at corporis ab omni corruptione & mortalitate alieni, imò verò omni gloria, & diuino quodam ſplendore fulgentis.

Quare ſi tum cùm adeò demiſsè incedebat, tantum tamen in eius oculis & voce terroris fuit, vt militarem cohortem ad eum in horto vinciendum irruentem proſtrauerit; quis & quantus, ô Anima mea, hic exiſtet,

Cùm totam inter loquendum vim maieſtatis expromet.

Cùm ira & furore ſuo perculſos & ſceleribus conuictos damnabit?

Cùm horrendo vocis tonitruo ſententiam feret, æternæque damnationis fulmen in ſceleſtorum capita vibrabit?

Quid facietis, ait Eſaias, *in die viſitationis, & calamitatis de longè venientis? ad cuius confugietis auxilium, & vbi derelinquetis gloriam veſtram, ne incuruemini ſub vinculo, & cum interfectis cadatis?*

CAPVT III.

STABVNT in conſpectu meo electi ad dexteram iudicis, reprobi ad ſiniſtram: cum Sanctis humilem pauperémque Lazarum intuebor; cum dæmonibus diuitem epulonem. Erigam deinde aures, & attentè vtriuſque partis voces excipiam. Atque hîc occurrent mihi illa Sapientiæ verba: *Tunc ſtabunt iuſti in magna conſtantia aduersùs eos, qui ſe anguſtiauerunt, & qui abſtulerunt labores eorum: videntes* (reprobi ſcilicet) *turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in ſubitatione inſperatæ ſalutis, dicentes intra ſe, pœnitentiam agentes, & præ anguſtia ſpiritus gementes: Hi ſunt quos habuimus aliquando in deriſum, nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore. Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter Sanctos ſors illorum eſt*, &c.

Hîc ſententiam iudicis expendam.

Alteram quidẽ in electorum gratiam, *Venite benedicti Patris mei*, &c.

Alteram in reprobos latam, *Ite maledicti*. &c.

Attendam quam expeditè facta vocem ſequantur, probis in cœlum extem-

plò euolantibus, vt poſſideant paratum ſibi regnum: diſcedente terra, vt flagitioſos abſorbeat, ſempiterníſque ignibus vnà cum dęmonibus tradat deuorandos. ô Anima mea, quàm felices ſunt iuſtorum labores, qui tantum illis præmium pepererunt? Quàm deteſtabiles peccatorum illecebræ, quæ tantum ſuis exitium important?

Vt concludam, proſtrata demiſſiſſimè ad pedes Saluatoris magno cum tremore rogabo ſupplex, vt meminerit ſe patroni, priuſquam iudicis partes ſuſtinere voluiſſe; quare orare me ipſum atque obſecrare vehemēter, vt ita cauſam meam nunc propugnet, vt illius tribunalis tam ſeueri fulmen me non attingat.

Quòd ſi de peccatis meis pœnas ſumere ſtatuit, vindex in me quamdiu viuam inſurgat; numquam enim ſic in viuos iuſtitia exardeſcit, quin de eius ſeueritate multum miſericordia demat: *Pater noſter, Aue Maria.*

Digitized by Google

DIE SABBATI.

De pœnis inferorum.

ORATIONI prȩuiæ accedet iſta, qua à diuino Numine contendam, vt pœnas, & ſupplicia reprobis parata ſic conſiderare, & altè defigere in mentem poſsim, vt illorum terrore perculſa, fibras omnes prauarum cupiditatum reuellam.

CAPVT I.

CONCIPIAM animo grauiſsima quæcumque tormentorum genera, quibus aliquis exerceri in hac vita poſſet.

Hac imbuta cogitatione penetrabo mente in tenebricoſum illum, & horrendum lacum, quem ad impiorum cruciatum & carnificinam Deus parauit.

Illic omnia illa tormentorum genera offendam, quæ cogitatione præceperam, imò longè grauiora, & exquiſitiora, quorum in comparatione cætera velut inania, & picta videri poſsint: quę cùm attendero, exclamabo cum Dauide,

Quis nouit poteſtatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare?

Inde conficiam quo horrore & deteſtatione proſequendum ſit lethale flagitium, à quo velut ex fonte hæc omnia pœnarum genera profluxerunt.

CAPVT II.

INVESTIGABO an in tanta malorum dolorúmque colluuie vlla conſolationis guttula reliqua facta ſit.

Atque hîc audire mihi videbor damnatorum eiulatus, quos quaſi cùm aliquo miſerationis ſenſu perciperem, ad Deum conuertar, & dicam.

Domine Deus, annon Animæ iſtæ ſunt opus manuum tuarum? nunquid natura tua bonitas eſt, & opus tuum miſericordia? cur igitur aurem miſerationis tuæ non admoues tam effuſis & continuis eiulãtium gemitibus, rugitibúſque.

Reſpice Pater miſericordiarum, & attende quid à te poſtulent: gloriam tuam, æternámque felicitatem nequaquam flagitant, compedes ſuas ſolui, aut ad aliquot dies ſupplicia remitti minimè petunt: exiguum duntaxat leuamentum, guttulam aquæ indulgeri ſibi ſupplici-

ter rogant, & iam à mille, & iterum mille annis in iis precibus perſeuerant. Nunquámne, clementiſsime Pater, exorari te ſines?

Nunquam ait: imò verò tantum abeſt, addit, vt eorum precibus acquieſcam, quin potiùs in eorum calamitate exultabo.

Quin & ſupplicia æterna aliis ſuppliciis cumulabo.

Quod cùm fecero, nondum tamen ſatis graues de iis pœnas repetiero.

Hæc cùm ita ſint, quam, & quantam peccati grauitatem eſſe cenſes Anima mea? Annon horrendum admodum, & deteſtandum illud eſſe oportet, quod cùm Animam contaminauit, tantum in illam Dei odium mouet, vt licèt miſericordiſsimus ſit, animámque illam filij ſui pretioſiſsimo ſanguine redemptam ſciat, nullo tamen miſerationis erga illam ſenſu tangatur, etſi iam in tantis poſitam anguſtiis videat, ſed è cœlo ſpectet immotus, imò in illius exitio rideat, & exultet.

Si quis matrem aliquam ſapientiæ laude prę́ſtantem ad moram profundæ alicuius, & tenebricoſę voraginis conſtitu-

tam cerneret, quæ filiam ſuam in ea iacentem, viperarum morſibus expoſitam, omni dolorum genere oppreſſam, non modò ſiccis oculis intueretur, ſed etiam miris ad id ſpectaculum lætitiis incederet, imò & miſellam lapidibus oneraret, qui hæc attenderet, ſi parentis ſapientia, & probitas illi perſpecta eſſet, & explorata, annon immane aliquod, & ſupra modum execrandum facinus à filia perpetratum eſſe iudicaret?

CAPVT III.

AETERNITATEM eorum ſuppliciorum velut quoddam ipſorum ſigillum expendam: quam vt faciliùs concipiam, fingam animo omnes plumas, quibus poſt orbem conditum aues indutæ ſunt, omnes characteres, qui ſcripti, vel excuſi vſpiam ſunt, ſtirpes omnes, quæ è terra extiterunt, totam, quantacumque eſt in oceano, & littoribus eius arena, in vnũ omnia coaluiſſe aceruum, tum poſt ſingulas mille annorum decadas vnum aliquod de iſtis ſubduci, certè enim licèt annorum infinita quædam multitudo voluenda videatur, exitum tamen aliquando eſſet habitura.

Digitized by Google

Quod cùm in his pœnis vſuuenire nequaquam poſsit(quas cùm per tot annorum myriadas, quot aceruus ille continere poteſt, toleraris, nihil egiſti, ſed iterum atque iterum idem aceruus exhauriendus, imò nunquam vllus illius exhauriendi erit terminus) hinc iuſtitiæ diuinæ ſeueritatem agnoſcam.

Quæ ad cæteras pœnas illam quoque addit, vt ſcilicet infelices illæ animæ, hanc ſuarum pœnarum perennem æternitatem perpetuò in oculis habeant: nec momentum temporis ab ea cogitatione vacare poſsint, quæ ſupplicia nunquam relaxanda, aut remittenda repræſentat.

COLLOQVIVM.

Gratias agam Deo meo, quòd in me illorum ſcelerum ream, ob quæ æternis his ſuppliciis addicere meritiſsimè potuiſſet, cùm toties me flagitioſæ vitę licentia in ea pręcipitem egerit, grauius nihil ſtatuerit, ſed cohibuerit iram ſuam, & pœnitentię dederit locum.

Recogitabo itaque apud me quantopere ſe gratam exhibere illa Anima conaretur, quam ab illis inferorum cruciatibus Deus eripuiſſet, vt pręteritę vitę labes

eluere poſſet: quid non ageret illa, quid non excogitaret, quid non perficeret? imitabor ego illius ſtudia, ſerióque apud me ſtatuam, toties id beneficij à Deo mihi eſſe collatum, quoties poſt lethalem noxam non ſtatim me in illud ergaſtulum inferorum detruſit.

Rogabo igitur vt mihi faciat poteſtatem implendi partem aliquam eorum, quæ illa Anima ab inferis reuocata ageret: ſic enim ſpes aliqua mihi iniicietur, fore vt opitulante diuina miſericordia, in immenſum illud infelicitatis pelagus non ruam, neque in illa regione mortis cum dæmonibus ſacrilegas in Deum voces effundam, ſed cum beatis mentibus in terra viuentium perpetuas ei laudes decantem. *Pater noſter, Aue Maria.*

Digitized by Google

DIE DOMINICA.

De gloria cœleſti.

COROLLARIVM hoc orationi præuiæ addam. En ego Domine aciem oculorum meorum, ad gloriæ tuæ maieſtatem, & felicitatem, quam præparaſti diligentibus te, contemplandam conuerto: ſed quoniam non niſi in lumine tuo videri lumen tuum poteſt, emitte lucem tuam, vt me deducant in montem ſanctum tuum, & in tabernacula tua: aperi aurem meam, vt audiat, & ſentiat, quanta ſit dulcedo, quam abſcondiſti timentibus te, vt his velut ſtimulis excitatus, amor meus eò rapiatur, omniáque vitæ huius incommoda conſtanter ferat, vt æterna illa ſibi gaudia parare poſſit.

CAPVT I.

COELI empyrei pulchritudinem obſeruabo, eam eſſe, quæ proprium deceat Dei domicilium, in quo maieſtatem ſuam ſpectandam præbet,

Digitized by Google

& ſic apud me ſtatuam; ſi Deus in his infelicitatis ruderibus, in hac exilij valle, quam ferarum pariter ac hominum, piorum iuxtà ac impiorum commune quaſi latibulum eſſę voluit, tam pulchra tamen, & eleganter elaborata quędam eſſe iuſſit, vt mentes noſtras in admirationem rapere, cupiditatéſque noſtras ardentiſſimo ſui deſiderio queant inflammare, quæ amabo, & quàm egregia & decora eſſe voluerit ea quæ condit, vt ornarent

Regiam ſuam,
Sedem gloriæ ſuæ,
Thronum maieſtatis,
Domicilium Beatorum,
Deliciarum ſuarum paradiſum.

Nominatim verò inſiſtam deliciis illius regiæ contemplandis, quam vt ſanctus Ioannes proponeret, Ieruſalem quandam cœleſtem informat, cuius pauimentum auro niteat: muri gemmis pretioſiſſimis extollantur, portæ margaritis & vnionibus lectiſſimis compingantur.

2. Implebit oculos meos immenſa illa claritas, cuius radij non ab alio ſole, quàm Deo ipſo dimanant, & empy-

reo nomen affingunt.

3. Conſtantem, & perpetuam illius ciuitatis æternitatem mirabor, quam nullus vnquam rerum aduerſarum turbo afflabit: abſterget enim Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & iam non erit ampliùs neqùe dolor, neque luctus vllus, qui corpori, animæve moleſtus vllo modo eſſe poſſit.

O verè beatas ſedes, ô dilecta tabernacula! Obliuioni detur dextera mea, ſi non meminero tui Ieruſalem!

Auolate à conſpectu oculorum meorum omnes mundi huius illecebræ, quid enim adeò eximium pulchrúmque eſt, quod cum pulchritudine cœleſtis huius Sionis conferatur?

Capvt II.

Gloriosvm Beatorum ciuium ſtatum conſiderabo:

In hoc noſtro ſolo Anima mea, nullæ ſine ſpinis roſæ, nullum ſine ſiliqua granum, nullum ferè ſine lolio frumentum eſt: in cœlo alia omnia; pura illic, integra, & illibata omnia: ſpinæ, ſiliqua, lolium à cœlis excluduntur, vt ſint pabulum inferorum.

Digitized by Google

Turbæ nullæ in tam numeroſa cœleſtium ciuium turba.

Simul omnes familiariter in altiſſima pace tranquilli ſecurique verſantur.

Sanctitas, nobilitas, comitas, ſapientia in omnibus eximia, in aliis tamen pro ratione meritorum clariora quædam, & illuſtriora dona cernuntur.

Abeſt nihilominus omnis ab omnibus contentionis, aut æmulationis ſuſpicio, adeò enim arcto charitatis & ſinceræ amicitiæ vinculo copulantur, vt non ita firmis compagibus membra membris colligentur: communi enim ſpiritu reguntur, à quo vnam eandémque beatam vitam hauriunt, & concordiſſimè perſiſtunt.

O vrbs pacis, ciuitas pacifici Salomonis, quando mihi ad plateas tuas aditus patebit, vt in ſuauiſſimæ huius ſocietatis gaudia venire poſſim!

Age Anima mea, ſi vel minimo Angelorum totus orbis multùm de pulchritudine concedit, quibus lætitiis incedes, cùm tantam eorum multitudinem licebit intueri?

Quid cùm ſeſe Archangeli multò illuſtriores in conſpectum dabunt?

Digitized by Google

Quid cùm Virrutes, Principatus, Poteſtates, Dominationes, Throni, Cherubin quoque, & Seraphin ſeſe tibi obiicient, vt natura diuerſi, ita pulchritudine alij aliis ſuperiores?

Quòd ſi tanta eſt, quanta vix poſſit exprimi in ea animorum coniunctione ſuauitas, quæ bonos inter & ſapientes intercedit, qua tum lætitia perfunderis cùm Apoſtolis adiungeris, Prophetas compellabis, inter martyres incedes, Confeſſoribus & Virginibus familiariter vteris: quid cùm ad colloquia cum Virginum Virgine, eiúſque filio rege gloriæ frequentanda admitteris, quanta putas ſuauitate deliqueſces?

CAPVT III.

APERIAM cordis mei aurem, vt Deum de cœleſti hac gloria verba facientem audiam, eíque ad hunc me compellanti modum auſcultabo: ama me Anima multis nominibus mea, & eius theſauri te poſſeſſione ditabo, qui multis ſuperat partibus ea omnia, quæ hactenus oculis perluſtraſti.

Ego me tibi indicabo.

Ego te mei participem faciam, mei in-

quam, in quo ſunt omnium bonorum, & deſiderabilium rerum fontes inexhauſti.

Ego te in me ipſum quodammodo commutabo, itaut quemadmodum ferrum in ignem deiectum igneſcit, ita tu in Dei tui ſinum proiecta Deo ſimilis eſſe videaris.

Nulla vnquam cuiuſquam rei ſpecies te à dulciſſimo conſpectu meo auocabit.

Tunc non ampliùs per fidē me meáque conſpicies, ſed clariſſimo gloriæ lumine illuſtrata, altiſſima illa intueberis myſteria, quæ nunc per ſpeculum duntaxat, & in ænigmate videbas.

Acquieſcet in me vno iucundiſſimè voluntas tua, atque vt ego à me vno felicitatem meam haurio, ita in me vno tuam ſenties eſſe collocatam.

Imò & corpus tuum ob eam, quæ tibi cum illo intercedit neceſſitudinem, tuę quoque beatitatis particeps eſſe volo. Quare illud quatuor nobiliſſimis dotibus exornare certum eſt mihi, indolētia ſcilicet, claritate, ſubtilitate, & pernicitate mira; ad ſingulos eius ſenſus cœleſtis quædam voluptas accedet.

His à Deo auditis, niſi me omni grati

Digitized by Google

beneficiorum memoria, fidei imbecilli-tas tenuitáſque ſpoliarit, annon par eſt? vt cor meũ in conſpectu eius effundam. Vt ſanctiſſimè teſter pœnitere me vehementer, quòd tanto eius amori tam illiberaliter hactenus reſponderim, firmiſſiméque aliam deinceps viam inſiſtere proponam.

COLLOQVIVM.

Abſorbeat me Domine amoris tui æſtus, vt amore amoris tui moriar, quò tuis promiſſionibus fruar.

Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.

Da Domine, vt in ea ſedem aliquando inuenire poſſim, & potari torrente voluptatis tuæ. O dies optatiſſima! quando illuceſces? quando inebriabor ab vbertate domus Dei? quando illam, in quam deſiderant Angeli proſpicere, faciem intuebor?

Irruant in me ocyùs terrores mortis, nihil recuſo, dummodo ad optatum illum portum appellam.

Non rarò liberorum habendorum deſiderium leues partus dolores, imò optandos mulieribus facit: quid igitur

dolores illos reformidem, qui viam mihi ad te munient Deus meus, ſummum, & vnicum bonum meum, cuius in comparatione cætera omnia ne boni quidem nomine digna ſunt?

Illam igitur horam dum in huius vitæ tenebricoſa Ægypto præſtolor, ad terram illam cœleſtem lacte & melle manantem conſtanter anhelabo, dabóque operam te propitio, ne à filiorum tuorum albo vnquam delear, vt adoptionis legitimæ iure, tandem opimam illam cœlorum hæreditatem adire poſſim. *Pater noſter, Aue Maria.*

Digitized by Google

MEDITATIONES SECVNDÆ HEBDOMADÆ.

DIE LVNÆ.

De myſterio Incarnationis.

EXTREMA orationis præuiæ clauſula ſanctiſſimam Trinitatem (ad cuius tribunal ſupplex iacebis) exorabit, vt diuina te luce illuſtret, altiſſimi vt illius conſilij rationes expendere poſſis, quibus adducta eſt ad Incarnationem decernendam.

CAPVT I.

CONSIDERABO Angelum pariter & hominem deliquiſſe, Deum verò in Angelum vindicem iræ ſuæ gladium diſtrinxiſſe, nullóque pœnitentiæ loco ei relicto, præcipitem illum in tartara detruſiſſe.

At erga hominem eadem commeritum ſupplicia, theſauros liberalitatis ſuæ explicare, illúmque manu porrecta è præſenti periculo, & æternæ mortis faucibus eripere ſtatuiſſe.

Hæc ego primùm tacita demirabor, tum effuſiſſimas habebo gratias, & tam pronam in nos miſericordiam adorabo, quæ naturæ noſtræ vilitatem Angelis multo inferiorem, vt clementiæ ſuæ theatrum eſſet elegit, Angelis iuſtitiæ ſuæ ſeueritati permiſſis.

Confitemini Domino omnia opera eius, confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius, &c.

CAPVT II.

VENIENT in mentem variæ rationes, quibus Deus hominum poterat ſaluti conſulere.

Poterat pro poteſtate ſcelus omnino condonare.

Poterat ſatis habere, ſi creata res aliqua ſuam ei rei operam conferret; Princeps tamen, & palmare hoc gratiæ opus Verbi ſui eſſe, illúdque mortalitatis noſtræ exuuiis indui voluit, vt quæ natura

infinitum contraxerat debitum, infinito itidem ære perſoluto, & repræſentato leuaretur, itaque diuinæ iuſtitiæ fieret cumulatiſſimè ſatis: at non niſi ex infinitæ perſonæ opibus tanta vis alieni æris diſſolui potuiſſet.

Qua in re elucet in primis immenſa quædam vis amoris diuini, qui ſeſe tam effusè communicarit.

Eminet deinde infinita quædam potentia, quæ res adeò diſiunctas tam arcto nexu, Deum ſcilicet, & hominem, æternum, & tempori ſubiectum, immortalem & mortalem colligarit.

Accedit ad hæc nunquam ſatis commendandæ diuinæ ſapientiæ magnitudo, quæ tam ſubtilem rationem excogitauit, qua ita abſolutiſſimæ miſericordiæ locus eſſet, vt nihil de ſummo iuſtitiæ iure decederet.

CAPVT III.

REVOCABO in memoriam, qua ratione hæc perfecta ſint, miſſo in vrbem Galilææ Nazareth, Archangelo Gabriele poſt quatuor circiter annorum millia ab Adami caſu:

Vt tot annorum decurſus culpam

ſuam homo agnoſceret:

Vt intelligeret non caſu, aut neceſſitate vlla id remedij oblatum ſibi eſſe:

Sed à liberali Patris miſericordiarum voluntate, quæ diſſimulatis tot & tam grauibus mundi flagitiis, cùm illum iterata illuuione abſorbere, aut vltricibus flammis, vt olim Sodomam & Gomorrham, addicere potuiſſet, ac debuiſſe videretur, tunc laxatis miſericordiæ ſuæ repagulis, largiſſimum gratiarum imbrem, & ardentiſſimas Amoris flammas effudit, dato vnico, quem habebat, filio, qui ſuo nos ſanguine redimeret, atque purgaret.

Quem tam mirifico Amori amorem rependere te, Anima mea, decet?

COLLOQVIVM.

Gratias Domine immenſæ tuæ charitati ago habeóque infinitas, à qua priuatim illud in me non ſemel collatum agnoſco beneficium, quod publicè toti mundo contuliſti: quoties enim me in flagitia ruentem, & numen tum noua ſcelerum acceſſione prouocantem cœleſtibus donis proſecutus es, vt muneribus oblatis ad te reuocares, quem ab-

iicere delicta ſuadebant?

Age ergo clementiſſime Domine, & hunc in me amorem conſerua, non quòd ego in peccatorũ cœno hærere ſtatuam, ſed quòd infirmitatis meæ conſcia, ignorantiæ tenebras vereor, ne me in ruinam nec opinatam inducant.

Auxiliares igitur manus porrige, ô ſalus mea, ſi me cadentem videris, nec à me clementia tua auertatur, ſi præter propoſitum, deſideriúmque meum violento aliquo flagitiorum æſtu abripiar. *Pater noſter, Aue Maria.*

DIE MARTIS.

De B. Virgine viſitante Elizabeth.

PRIVSQVAM orationi præuiæ finem imponam, petam à B. Virgine, vt in gratiam piæ illius viſitationis, quam ſuſcepit, me quoque inuiſere non grauetur, atque aliquam eius ſenſus particulam impetret, quem S. Elizabethæ, ſanctóque puero Ioanni, eius ſalutatio importauit.

Digitized by Google

Capvt I.

Qværam à B. Virgine, quibus ſit adducta rationibus, vt tanta cum feſtinatione ad loca montana properaret, inuiſura conſobrinam poſt fœtum tam recenter conceptum, cùm eo tempore maximè, quieti ſe mulieres dare conſuerint?

Hoccine ſanctiſsima domina faciebas, vt oſtenderes alia te longè ratione concepiſſe, quàm vulgus matrum ſoleat, & proinde earum lege te minimè teneri?

An vt motioni filij tui obtemperares, qui te ad hoc iter extemplò arripiendum hortabatur, vt maturè Redemptoris partes impleret abſterſa originis labe, qua ipſius præcurſor pollutus iacebat?

An te velut inſtrumento vti voluit, ad eam quam primùm collaturus erat gratiam, vt intelligeremus, ipſum (qui etiam abſens abſentem Ioannem expurgare poterat) ſtatuiſſe te ad delenda peccata internuntiam & adiutricem adhibere.

An verò id laboris ſuſcepiſti, vt doceres eam eſſe gratiæ in Animum ſubeuntis naturam, vt eum ad virtutes exercendas, atque ad altiſſimum perfectio-

Digitized by Google

nis verticem impellat. Sed vbi his omnibus de cauſis viæ ſe commiſiſſe mater ſanctiſſima mihi ſignificarit, addam extemplo: feſtina igitur mater optima, & in ardua & difficili hac via eſto digniſsimus veri Salomonis currus, columnas argenteas præbeant ſublimes tuæ cogitationes, ſit tua contemplatio ſedes aurea, aſcenſum purpureum veſtiant humilitas, patientia, & manſuetudo tua, cor tuum in quo ſedet ille, qui vera charitas eſt, media charitate ſternatur.

Patere inſuper ô Regina, vt tibi ego mente comiter, vt à te diſcam inſignem illam modeſtiam, quam inter incedendum tenes, collectam illam mentem, quam multiplex viarum concurſatio non diſtrahit, conſuetudinis tuæ iucunditatem, pietatis ardorem, quem ſemper foues, aliáque virtutum ornamenta quæ in tua hac peregrinatione effloreſcunt.

Digitized by Google

CAPVT II.

QVIS hanc profectionem conſecutus ſit effectus attendã, & conſiderabo Verbum carne veſtitum verba matris ſuę tanquam inſtrumentum adhibuiſſe,

Vt noxam Ioannis Baptiſtæ origine contractam expiaret:

Vt ei gratiam infunderet, iuſtitiæ conciliatricem:

Vt eum Spiritu ſancto impleret:

Vt rationis vſum in tantula ætate maturaret:

Vt ei ſe cognoſcendum, & adorandum exhiberet:

Vt ipſum ad edendum illud teſtimonium excitaret, quod præbuit, cùm in matris vtero exiliit, & exultauit.

Quæ itidem mater Spiritu ſancto impleta eſt:

Et dono Prophetiæ illuſtrata, necnon myſterij Incarnationis particeps facta.

Mirabiles ſanè effectus! ſed quos tu quoque (quamquam diuerſa ratione) experiri potes Anima mea, ſi diuertenti ad te Deo tuo aditum non obſtruas, maximè ſi cùm per Confeſſionis & Communionis Sacramenta ad te adit, cordis tui

Digitized by Google

domicilium ritè decentérque compoſitum, conſcientiámque mundam oſtendat.

Senſit etiam Zacharias diuinorum beneficiorum fructum: quamuis non tam citò, ne qua in diuinæ iuſtitiæ ordine eſſet perturbatio. expectandus ergo erat Circuncifionis dies, quo ſoluto ſilentij vinculo laxata eſt propheticis ſermonibus lingua.

Ex his diſces non eſſe animo cadendum, ſi quando vltricem Dei manum ſentias, ſed veneranda iudiciorum eius arcana, & demiſsè ceruices iugo eius ſubmittendas, exſpectandûmque patienter dum placatior tibi fiat.

CAPVT III.

COLLOQVIIS ſuauiſſimis Virginem inter & Elizabetham mixtis auidam aurem adhibebo, maximè verò inſiſtam expendendo dulciſſimo illi Cantico, quod Parens, & Virgo ſanctiſſima cecinit, cùm admiranda laudum præconia audiuit, quibus eam cognata ſua cumulabat: Deum enim vnum in oculis habens exclamauit, *Magnificat anima mea Dominum*, &c.

Atque vt è voto ſuccedat hæc meditatio, dabo operam, vt ad ſingulos huius Cantici verſus, incendam me ad laudes diuinas cum B. Virgine prædicandas.

Expendam itaque beneficiorum magnitudinem, quæ B. Virgo commendat.

Gratias agam, quòd ea ſanctiſſimæ Virgini Deus impertierit.

Stimulabo denique meipſam, vt ardentiùs deinceps tanto Domino obſequar, qui tam copiosè, liberaliter, & diuite manu ſuos remuneratur.

PERORATIO

Fiet per obſecrationem ad S. Ioannem, quem rogabo, vt in memoriam beneficiorum olim à ſalutante Virgine acceptorum ab ea contendat, vt ſe in meam cum filio pacificationem interponat.

Atque vt matri eius Elizabethæ præſtò eſſe voluit, ſubſidium allatura, cùm parturiret, ita mihi quoque auxilio eſſe non grauetur, quoties alicuius boni operis partus inſtabit. *Pater noſter, Aue Maria.*

Digitized by Google

DIE MERCVRII.

De Chriſti ortu.

IN oratione præuia petam à Chriſto, vt eam in animo meo ortus ſui ſpeciem informet, vt in illo meditando mihi aliena nulla ſpecies occurrat, ſed ea tantùm ſeſe obiiciant, quæ ad tantum myſterium capiendum facere videbuntur, quæ me ad eas virtutes imitandas accendant, quæ innumerę in eo eluceſcunt.

CAPVT I.

OBVERSABITVR oculis meis ſanctiſſima parens, & Virgo Bethleemiticam vrbem perluſtrans, vnà cum chariſſimo ſponſo Ioſeph, diuerſorium in quo accipiantur requirens, cuius vbi copiam ſibi fieri non poſſe videt, ſe recipit in ſtabulum vrbi proximum, apertum vndique, & ventis peruium, ſordidúmque valde, vt quod vicinorum armentorum eſſe commune receptaculum ſoleret.

Digitized by Google

Eò vbi pedem intulit integerrima Virgo, ſtatim intellexit ſapientiam æternam eum ſibi natalem locum delegiſſe; & præſepe, lectulum eſſe floridum, in quo verus Salomon eſſet collocandus.

Componit ergo locum illum, quàm honeſtiſſimè fieri in tanta rerum anguſtia poterat: orationíque ad mediam noctem ardentiſſimè inſiſtit, qua ipſa hora incredibili ſnauitate perfuſa, diuiniſque conſolationibus colliqueſcens, ſenſit adeſſe tempus, quo benignitas & humanitas Saluatoris noſtri hominibus apparere decreuerat.

Et ecce momento, illibato & integro virginitatis clauſtro, prodit è puriſſimis viſceribus, tanquam è benedicta terra, germen illud optatiſſimum omnium retrò ſæculorum deſiderium, quod velut deciſum ab arbore pomum beatiſſima Virgo ſpectauit.

Quis amabo tunc fuit cordis tui ſenſus, ô integerrima Virgo, parénſque fœcundiſſima? Quæ voluptas cùm eum corporis oculis cerneres, quem in ſinu æterni Patris quieſcere non dubitabas?

Quàm demiſsè illum adoraſti? quas gratias pro tam illuſtri in genus huma-

num beneficio non habuiſti?

Qua veneratione illum puriſſimis manibus ſuſtuliſti, & faſciolis in eum finem paratis conſtrinxiſti? quàm amanter oſculata fouiſti?

Tuus verò beatiſſime Ioſeph, quis erat ardor, quàm immenſa pietate flagrabas? Hæccine capis anima mea? cur igitur tam frigidè te geris in hoc beatorum contubernio? adora ſubmiſsè Deum tuum, gratias age profuſiſſimas, omniáque officia ei defer, qui non horruit in fœno iacere vt tuæ ſaluti prouideret.

Capvt II.

Attendam ad puelli huius maieſtatem, qui licèt in præſepio medius bouem inter & aſinum gemat, eſt tamen Deus præpotens, cuius cœlum ſedes eſt, cuius miniſtri & ſatellites ſunt Angeli.

Tametſi verò elinguis videatur, materníque lactis indigens, eſt tamen Patris æterni Verbum, portans omnia verbo virtutis ſuæ.

Lacrymas licèt ocellis voluat ſuis, beatarum nihilominus mentium, vnica eſt voluptas, vnicum ſolatium.

Alget quidem pauperculo in panno, faſciolíſque pedes & manus habet implicitas: at fons eſt, & origo totius vitæ, & caloris, ſplendor gloriæ Patris, qui decore cuncta veſtit, qui omnia quæcumque voluit fecit in cœlo, & in terra, in mari, & in omnibus abyſſis, qui denique hæc incommoda non niſi volens libénſque patitur, vt humanis commodis ſtudeat; vt humanæ prudentiæ leges abroget; vt eius exemplo diſcant homines, quàm à veritate longiſſimè aberrent, cùm diuitias, voluptates, honores, & id genus alia tanti faciunt, quæ tamen in dies videmus vmbra citiùs diffluere, euaneſcere, perire.

Hæc vbi expendero, erubeſcam vehementer, quòd hactenus ita vitam inſtituerim, quaſi horum nihil vnquam menti occurriſſet.

CAPVT III.

FLECTAM oculos ad alias perſonas huic myſterio præſentes.

Spectabo itaque primùm Angelos admiratione defixos ad tantam nouitatem, nec ſatis capientes, quomodo maieſtatis Dominus in tam vili iaceat præſepi: qua-

Digitized by Google

ſi ergo puderet illos in cœlis agere, cùm Dominus ipſorum tam humile habitet tuguriolũ, ſe deſertis cœlis effundunt, vt tantũ regẽ adorent, eique famulentur.

Hinc illæ illorum voces: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*

Conuertam me deinde ad Paſtores, qui vbi in fidem & clientelam noui huius Regis Iudæorum, omniúmque nationum venerunt, redeunt hilares ad caſas ſuas, Deóque gratias agentes, pro iis quę in Bethleem vidiſſent.

Quid igitur ceſſas Anima mea, cur Altiſſimum numen pariter non colis?

Demitte te vnà cum Angelis, & ſanctum præſepe venerare:

Gratulare tibi ipſi de bona, quam in te ſentis, voluntate:

Offer munuſcula tua cum paſtoribus: gaude quòd videas pauperculos, & tenues admodum homines ad aulam noui Regis primos eſſe euocatos.

Mollitiem tuam accuſà, & ſtatue ſeriò, nequaquam ita deinceps delicatè haberi velle, cùm tam aſperum vitæ genus pro te Deus tuus inſtituat, & conſtanter inſiſtat.

Digitized by Google

CONCLVSIO.

Inardeſcente his affectibus animo, gratias habebis Seruatori tũ primùm nato, quòd exultarit vt gigas ad currendam viam, viam inquam adeò aſperam, & ſpinoſam à prima vitæ linea ad extremam mortis metam.

Obſecrabis item, vt quando tetrum ſtabuli odorem naſcendo non exhorruit, ita eadem vrgente charitate, ad animam tuam diuertere non refugiat; ſit licèt abiectiſſima, & omnium flagitiorum fœtore corrupta: ſed vt ſtabulum tunc in Empyreum commutauit, ita cordis tui ſentinam expurget, vt in templum ſanctum nomini eius dicatum poſſit conuerti. *Pater noſter, Aue Maria.*

Digitized by Google

DIE IOVIS.

De Magorum adoratione.

O Anima mea, en Angeli naſcentem Chriſtum adorarunt, Paſtores venerati ſunt, Magi, vt idem præſtent ex oriente aduolant: ingredere & tu cum illis, eorúmque te exemplo in hac meditatione conforma.

Reſera pectoris tui apothecam, & profer munera tua: concipe verba, quibus te in fidem & obſequium eius perpetuum tradas.

Vide ne te bos, & aſinus ad præſepium ſtantes, neglecti officij arguere videantur.

O dulciſſime & amantiſsime Ieſu, cùm neminem ad te adeuntem charitas tua excludi patiatur, ne quæſo, ne me hodie à conſpectu prohibeas tuo, nec tenuia, quæ cum Magis offero munuſcula, à tua maieſtate repudientur.

Digitized by Google

Capvt I.

GAspar, Melchior, & Balthaſar Regia dignitate ad orientem inſignes ſpectata mirabili ſtella, de qua vaticinatum eſſe Balaam acceperant, nihil hyemis acerbitatem veriti ſe itineri committunt; Ieroſolymitanam ad ciuitatem vbi deuenerunt, Regem Iudæorum ortu recenti editum requirunt, quod magnam tum Herodi, tum ciuitati toti trepidationem iniecit.

O altitudo ſcientiæ & ſapientiæ Dei! Cur impius Balaam admirandum Meſſiæ ortum, & ſanctum Sanctorum enuntiat?

Cur Reges è tam remotis diſiunctiſque nationibus accerſuntur, cùm Herodes, cùm Romanorum Præſes tam propè abſint?

Cur doctiſsimi ditiſsimíque apud exteras gentes, poſt pauperrimos, & omnium Iudæorum maximè rudes adeſſe iubentur?

Cur tam pauci ex oriente, cùm tam multi ſtellam vidiſſent, quídque ea portenderet, intellexiſſent?

Hæc omnia expendes Anima mea, &

ſeriò attendes, ſydus hoc eodem quo apparet die, eodem Magos commouere, vt intelligas eam eſſe gratiæ vim, vt cùm primùm exoritur, è veſtigio ad authorem ſalutis noſtræ quærendum, eiúſque paupertatem, demiſsionem, patientiam, cęteráſque virtutes amplectendas inflammet.

CAPVT II.

VBI è legiſperitorum reſponſo acceperunt Magi à Michęa Propheta ſcriptum eſſe, Bethlehemiticam vrbem naſcentem Chriſtum excepturam, extemplò viæ ſe commiſerunt, eò vt pergerent, illíſque è ciuitate pedem efferentibus, iterum ſe ſtella in conſpectum dedit, quæ abdiderat ſe dum in vrbe verſarentur.

Sic enim tua, ô rerum omniũ moderator, aſſolet prouidentia ſe gerere, vt inuſitata ſubtrahat auxilia, cùm conſueta in medio poſita ſunt: atque vbi humano perfici magiſterio aliquid poteſt, aliud minimè adhibes.

At quæ eſt iſta Doctorum inſania, qui in veritatem digitos intendunt, cuius lucem minimè ſequantur? quàm multos

heu iſtis ſimiles hodie videmus! ſed ô Anima mea, ſint oculi tui ad eorum vitam inſpiciendam obſtructi, aures ad vocem eorum excipiendam apertæ. Accedet ad vocem hanc ſydus, quo duce ad Chriſtum penetrabis, maximè ſi te ab Herodis aula, & populari tumultu, ab huius inquam ſæculi perturbatione ſubducas.

Quin & illud diſce, animum non eſſe abiiciendum, ſi quando cœleſtium conſolationum ſydus tibi lucere deſinat; tunc enim piis exercitationibus inſiſtendum, cauendúmque maximè ne pedem referas, aderit enim benè ſperanti diuinum lumen, & magna voluptate perfuſam ad locum optatum perducet.

Caput III.

Consistente, & ſtabulo imminente ſtella, facilè Magi intellexerunt eam eſſe aulam Regis, quem inquirebant.

Statim ab ipſo limine puerum cum Maria matre offenderunt, prolatíſque donis, aurum, thus, & myrrham obtulerunt.

Antri igitur ſqualor Reges minimè auertit, nec adeò vilis & abiecta loci

conditio, quod ſuaſerat ſtella, diſſuadere potuerunt.

Diſce itaque iudicio tuo frænos iniicere, fidei vt ductum ſequatur, etſi ſenſus repugnat. In huius verò obſequij voluntarij argumentum, offeres Chriſto,

Thus orationis, quo diuinos ei honores tribuas.

Aurum opum tuarum, quo Regem eum agnoſcas.

Myrrham mortificationis, qua humanam eius naturam ſignifices atque venereris.

PERORATIO

Ad beatam Virginem inſtituetur, quam rogabis, vt in memoriam gaudij admirabilis, quo tunc perfuſa eſt, tibi à filio impetret.

Te vt benigno inſpirationum diuinarum ſydere præueniat, atque colluſtret.

Ne patiatur te ab eo vnquam oculos auertere, ſed vt in illud perpetuò defigas oculos, quicquid Princeps huius mundi moliatur.

Ne tuorum tenuitatem donorum deſpiciat, ſed ea benignè non ſecus ac munera Magorum habeat accepta.

Digitized by Google

Denique vt aliud iter patefaciat, quod deinceps ingrediaris, ne per deuios cupiditatum tuarum calles, aut obſcuras inſcitiæ tenebras rapiaris, ſed certam virtutis viam inſiſtas, quæ te ad cœlos, vbi eſt verus oriens, veráque patria tua, perducat.

DIE VENERIS.

De Chriſto in templo oblato.

O Si quis in te Anima mea illius pietatis nunc eſſet ſenſus, qua Simeonis, & Annæ pectus exarſit, cum Dei genitricem diuina luce circumfuſam, filiolum ſuum in gremio geſtantem in templo agnouerunt!

O parue, idémque maxime puer, illos in corde meo igniculos accende! ſine me illos per te impetrare ſanctiſsima Virgo: tuæ, ô cuſtos Angele preces accedant, vt tantum myſterium ritè & fructuosè retractem.

Digitized by Google

CAPVT I.

VT illi legi morem gereret Virgo beatiſſima, quæ matres poſt editum fœtum, templo ſe poſt quadrageſimum diem ſiſtere iubebat, venit mater illibata in templum, & purgationis cauſa, par turturum, aut duos pullos columbarum in ſacrificium obtulit. Sicut enim filius ipſius Circumciſionem, qua minimè indigebat, non recuſauit; ſic illa legi obtemperare minimè dubitauit: quæ tamen conceptis eam verbis exceptam & immunem ferebat.

Quod eo conſilio facit, vt omnem offenſionis cauſam à ſe remoueat, ne Iudæi myſteriorum diuinorum inſcij eam criminarentur.

Hinc diſces quàm diligenter omnem apud alios offenſionem fugere debeas.

Maximè verò inſiſtes conſiderandæ

Perfectæ eius obedientiæ, demiſſioni altiſſimæ, ſtudio paupertatis animique in dies puriùs excolendi.

Legi ſiquidem paret, cuius vinculis minimè tenetur, in quo perfectiſſima illius obedientia elucet.

In numerum imputatum referri non refor-

ſeformidat illa, quam Spiritus ſanctus totam pulchram, totámque vocat à macula penitus abhorrentem, quod eſt ſummę demiſſionis.

Pauperculartum ſacrificium offerre ſatis habet, licèt auro de Magis accepto nobilius potuerit comparare, quod quanti faceret paupertatẽ ſatis oſtendit.

Denique cùm puriſſima ſit, purgationis tamen legi obtemperat, vt illuſtri documento teſtetur, quàm illi cordi ſit ſtudium puritatis.

Hæc ſi capis Anima mea, quo in pretio has virtutes habere debes, quas tam ſollicitè Dei tui mater exercet?

Illud verò minimè præteriri à te velim, hæc omnia à beatiſſima Virgine fieri, poſtquam animum per quadraginta dies collegit, inter contemplandas filij ſui perfectiones. Hinc enim facilè conficimus, nunquam nos ad virtutis munia magis expeditos, & promptos, quàm cum auocata ab aliis negotiis mente, eam aliquantulum in rerum cœleſtium contemplatione defiximus.

Digitized by Google

Capvt II.

Divina luce colluſtratus Simeon, legis doctor eximius, idémque Dei obſeruantiſſimus acceperat, oculis ſe corporis antequam è vita decederet, humani generis vindicem ſpectaturum: venit igitur in templum eo ipſo die, quo purganda Virgo mater acceſsit, comperítque diuino inſtinctu illum ipſum puerum, Meſsiam eſſe tantopere expetitum.

Illum itaque in manus accepit, mortémque nihil ſe morari pronuntiauit, poſtquam voti compos factus eſſet.

Eadem hora templum ingreſſa eſt Anna Prophetiſſa, cui in continentiæ, orationis perpetuæ, frequentium ieiuniorum, pietatis ſingularis, conſtantis in obſequio diuino perſeuerantiæ præmium, Chriſti cognitionem Deus imimpertiuit, cuius laudes ipſa deinde prædicabat apud omnes, qui redemptionem Iſraël exſpectabant.

O par felix ſenum, cui vita occurrit, cùm mors immineret! felix Simeon non quidem quòd doctrinæ, ſed quòd iuſtitiæ laude clariſsimus fuiſti. Tu verò Anna beatiſsima, quam tam liberalibus ſti-

pendiis Chriſtus ditauit!

O Anima mea, quid non fides eximia conſequatur?

Quàm verum eſt Deum gemitus ſeruorum ſuorum exaudire!

Quàm certa, & minimè fallentia ſunt illius promiſſa!

Quàm liberalis eſt feruidæ pietatis merces! quàm expedit ſubacto ſemper eſſe animo, & ad diuinos ſatus excipiendos parato!

Frequens erat in templo aliorum hominum turba, omnis ætatis, conditionis, & ſexus, nec ſtabat per redemptorem, quin ab omnibus noſceretur, ab vnis tamen Simeone, & Anna cognitus fuit, quòd cæteri ad hanc gratiam ſatis comparati non eſſent.

Inſiſte ergo illorum veſtigiis, & virtutes eorum imitare, ſic enim ſpes erit, vt Deum in hac vita contempleris, & tranquillum vitæ exitum conſequaris.

Capvt III.

MVlieri, quæ vterum geſtaſſet, non ſatis erat poſt partum purgationis legem implere, illud inſuper addere debebat, vt filium ſuum Deo offerret,

Digitized by Google

& quinque ſiclis redimeret, ſi ex tribu Leui non eſſet.

Refert igitur Sanctus Lucas beatam Virginem legis implendæ gratia primogenitum ſuum in templum geſtaſſe, vt eum Domino de more cæterarum offerret.

Qua putas pietate, tum priuato, tum publico generis humani nomine hoc munus obtulit Deo mater ſanctiſsima?

Quàm ardenti charitatis ſenſu Patri ſuo ſe ter maximus puer pro ſalute noſtra dedicauit! Euola ſi vales, ad ipſum æterni Patris ſinum, & ſcrutare quis illius eſſet ſenſus, cùm pretioſiſsimam hanc hoſtiam altari ſuo impoſitam cerneret: ſi enim primos ouium fœtus, de caulis Abel, adeò acceptos habuit; ſi tam ſuauiter nidorem veterum ſacrificiorum odorabatur, quàm gratam, quàm acceptam hanc illi hoſtiam fuiſſe æſtimabimus, quæ vnicus erat cæterarum omnium finis, & ſcopus?

Pateriſne ô Deus æterne, vt hanc ego quoque hoſtiam tibi offeram, vt per eam meorum poſsim remiſsionem peccatorum obtinere.

Eam ob rem offero item tibi quinque

Digitized by Google

ſiclos, totidem ſcilicet ſacratiſsimi eius corporis plagas, quos pretium noſtræ ſalutis eſſe voluiſti.

CONCLVSIO

Eoſdem affectus continuabit, poſtulabíſque,

Ad immaculatæ Virginis imitationem ita puritatis ſtudio exardeſcere, vt ab omni labe purgeris.

In pace cum Simeone animam efflare.

Poſt expletum vitæ curriculum in auguſtiſsimum cœleſtis Ieruſalem templum inferri. *Pater noſter, Aue Maria.*

DIE SABBATI.

De Baptiſmo Chriſti, & eius tentatione.

SANCTISSIME ſpiritus, quem Chriſti demiſsio Ioannis manibus expiari ſe volentis è cœlo euocauit, vt innocentiam eius ſub columbæ ſpecie teſtarere, cuius ductu ille ipſe in deſertum perrexit, vt poſt longas preces, & quadraginta dierum ieiunium, illuſtrem de publico generis humani hoſte triumphum reportaret, da ſupplici-

bus meis precibus, vt in hac, quam inſtituo meditatione, aliquem lucis tuæ radium ſentiam, qui me ad veſtigia ducis mei Chriſti ſequenda, & arma aduersùs Principem tenebrarum capeſſenda confirmet, eius vt petitiones valeam declinare, qui continenter donis me tuis ſpoliare contendit.

CAPVT I.

CVM triginta annos in paterna domo ita Chriſtus expleſſet, vt fabrũ illum omnes eſſe ſibi perſuaderent, noluit ſe deinceps tam anguſtis ſeptis concludi: egreſſus itaque vt ſe proderet, & redemptionis noſtræ munus perficeret, venit ad fluuium Iordanem, vt de Ioannis manibus vndis luſtralibus aſpergeretur.

Illic eum magnus ille præcurſor diuinitus agnouit, cumque aquam capiti infundere dubitaret, pergere iuſſus eſt; qua in procuratione cùm verſaretur, cœlis diſcedentibus, in columbæ ſpecie Spiritus ſanctus deſcendit.

Hîc, Anima mea, cùm Dominum & magiſtrum tuum audies triginta totos annos intra priuatæ & abiectæ vitæ ſepta

latuiſſe, & tres duntaxat annos, cum pauculis menſibus, in lucem & puluerem prodiiſſe, exardeſces amore humilitatis, diſcéſque magnifacere priuatæ vitæ tranquillitatem, atque apud te ſtatues numquam te alto publicarum occupationum committere, niſi te ſincerus Dei gloriæ quærendæ æſtus abripiat: imò etiã in illis quàm demiſſiſſimè fieri poterit te geres; erit quippe tibi in oculis ſalutis noſtræ autor, quem non pudet magiſtratum ſuũ humilitatis auſpiciis inire, adeóque ſe demittere, vt iiſdem vndis velit quibus flagitioſiſſimus quiſque luſtrari.

Vt ab his ſi abſtineas Deo accepta eſſe non potes, ita ſi in his te exerceas, cœlos beneficentiæ ſuæ Pater æternus reſerabit, ſuúmque ſpiritum, velut columbam quandam emittet, quæ te innocentia cumulet, excitétque in intimo pectore iucundam illam conſcientiæ perpurgatæ vocem, quæ filiorum Dei adoptionem tibi repromittat.

O feliciſſime Ioannes per illum ego te animi ſenſum, quem prætuliſti, cùm adduci vix potuiſti vt Chriſtum ablueres, oro te atque obteſtor, vt tam arduam & excellentem virtutem preci-

bus tuis conſequi poſſim.

Proh inſignem mundi ſtultitiam! quæ vel hoc vno exemplo iugulari queat: illius fautores videas, vt inanem quandam honoris vmbram tueantur, veri honoris, vna cum vita & fortunis ſæpè iacturam facere: at tu, ô beate præcurſor cum Chriſto de humilitate contendis, dúmque teipſum abiicis, & ab illo extolleris, & apud mortales omnes laudem conſequeris immortalem.

CAPVT II.

VBI baptizatus eſt, ductus eſt Ieſus à Spiritu in deſertum, vt à diabolo tentaretur: illic inter feras ieiunus, quadraginta dies noctéſque vni intentus orationi traduxit.

Quid hoc rei eſt Deus cordis mei, quid audio? tunc amantiſſime Ieſu inter belluas? nónne tibi ô Deus maieſtatis Angelorum legiones in cœlo miniſtrabant? nónne aderant Cherubini, nónne Seraphini præſtò erant, nobile illud triſagium quod auribus ſuis excepit Iſaias, canentes? Quis igitur ab eo te ſtatu ita deiecit, vt ad beſtiarum ſocietatem amanderis? Túne ille es ô diuine ſpiritus? at nunquid Verbum eſt iſte, à quo vt & à

Digitized by Google

Patre ab omni æternitate procedis?

Gratias tibi ago immortales, ô Deus, Deus amoris, ante triginta annos naſcentem Ieſum meum inter duo animantia iacere voluiſti, nunc eundem in abdita ſolitudine cum feris deliteſcere iubes, vt hominem qui ferinos mores induerat, hæc deiectio ad Angelorum cœtum & conſortium excitaret.

Illud porrò inſolens ieiunium, quod indixit ſibi, preces illas quibus dies noctibus committit, in tui gratiam Anima mea ſuſcepit.

Vt intemperantiam gulæ primorum parentum expiaret.

Vt crapulæ noſtræ delicta purgaret.

Vt cumulatiorem flagitiorum remiſſionem impetraret.

Vt denique exemplo nobis præiret ad dæmonis petitiones eludendas, quas cùm de carnis officina depromit, nullo valentiore clypeo depelles, quàm ſi ſeuerè abſtineas, nec vllo robuſtiore pharmaco animæ vires confirmabis, quàm oratione.

His ſi te præſidiis, Anima mea, munieris, irritos in te ſenties eſſe omnes inferorum conatus.

Digitized by Google

At vide-ſis hoc loco ne tibi per imprudentiam quadragenarius numerus effluat, ab eo enim quadrageſimæ vſus fluxit, qui à primis Eccleſiæ naſcentis temporibus apud Chriſtianos inualuit: illum igitur oppido melius deinceps obſeruare ſtatues, vt Domini tui veſtigiis inſiſtas, qui tam perfectum ieiunij exemplar tibi depinxit.

Capvt III.

Ieivnivm excepit fames, quam occaſionem tentator arripiens, iterum & tertiò in Chriſtum exurrexit, triplici armatus telo, gula ſcilicet, oſtentatione, & auaritia, quæ tria tela ad ſuperbiæ cotem exacuerat. Eſuriit Chriſtus ô Anima, non vt Deus, quippe qui ipſa ſatietas eſt: ſed vt homo, vt hęc indigentia humanitatis veræ locuples præberet argumentum, quo hæreſes illæ conficerentur, quæ inanem corporis ſpeciem ipſi potiùs quàm corpus affinxerunt.

Periculum virtutis ſuæ fierit permiſit, vt periculis noſtris occurreret quæ tanta ab Aduerſario potentiſſimo imminebant, vt niſi vindex affuiſſet, opprimi nos illorum põdere neceſſarium fuiſſet.

Digitized by Google

Triplex illud telorum genus quod in Chriſtum hoſtis ille vibrauit, eſt ei perpetuò ad manum : cùm enim triplex à Deo ſit inditum nobis deſiderium.

Primum propagandæ vitæ, vt ea ritè decurſa, gratiam & gloriam promereamur.

Secundum, honoris ſtudium, vt cœlum cogitemus, vbi veri honoris eſt perennitas.

Tertium diuitiarum cupiditas, quæ æternarum opum ſitim accendet. Perditus ille humani generis hoſtis vt à deſtinato nos auertat ſcopo, in primum gulam; vanitatem in ſecundum; in tertium auaritiam infigit.

Quis è laqueis iſtis ſine tuo, Deus, auxilio poſſit expediri.

COLLOQVIVM.

Da Domine hoc auxilium, & infirmitatem meam robora, ad leonis huius ferociam, & perfidi draconis inſidias comprimendas, ah Ieſu dulciſſime noſti & vides quàm ſæpe Angeli ſpeciem mẽtiatur, atque ipſis etiam ſacris paginis in perniciem meam abutatur ! Congregiantur oro cum illo, & me tueantur An-

Digitized by Google

gelicæ cohortes, nec me in tam lubrica arena clypeus tuus deſtituat.

Ille gulæ incitamenta ſuggerit, tu temperantiam largire: ad oſtentationem rapit, humilitatem dona; diuitiarum cupiditatem perpetuò accendit, da igitur vt paupertatis ſtudio exardeſcam.

Quando ergo, Agne mitiſsime, auidos lupi huius rapaciſsimi dentes experiri non dubitaſti, in illos quæſo cadere me ne patiaris, adſit mihi miſericordia tua, quæ laqueos diſſoluat, quos continenter proponit, vt è gratiæ tuæ propugnaculis, in ſubiectas flagitij foſſas me præcipitem trahat. *Pater noſter, Aue Maria.*

DIE DOMINICO.

De glorioſa Chriſti transfiguratione.

ANIMA mea, dum Chriſtus glorioſam inter orandum ſpeciem induerat, ſomno opprimi ſe Apoſtoli patiebantur, hæc ſanè illos ſocordia maxima voluptate priuaſſet, niſi indulgentior diuina bonitas fuiſſet, caue ne tibi de conſimili indulgentia blan-

diens, in hac exercitatione grauiùs obdormiſcas.

Vide igitur potiùs vt montem Thabor cogitatione ſubeas, & admirandam myſterij huius ſuauitatem delibes.

Illo ſe Moſes & Elias contulerunt, regi maximo clientelam delaturi, illi te ſibi in hoc officio adeſſe haud grauatè patientur. Accurre igitur, & tantum regem in ipſo orationis tuæ aditu venerare.

Capvt I.

PRæcipvas cauſas exquires quibus adductus eſt Chriſtus, vt in oculis Apoſtolorum ſuorum gloriam cœleſtem corpori ſuo impertiret.

Prima eſt, vt aliquem illius gloriæ guſtum daret, quam corporis ſui velo tegebat, quámque illis omnibus parabat, qui diuinæ eius voluntati ſeruirent.

Deinde vt infamiæ offenſam auerteret, quam funeſtum crucis ſupplicium diſcipulis concitare potuiſſet.

Poſtremò vt omnia mundi regna, Chriſti ſceptro ſe ſubiicerēt. Generalia enim comitia quædam videtur Pater æternus coëgiſſe, aduocato ex arcano penetrali Elia, qui Prophetarum vices gereret;

Digitized by Google

Moyſe de ſinu Abrahæ educto, vt legis aduocationem impleret. Petro autem pro Eccleſia, Iacobo pro Martyribus, Ioanne pro Confeſſoribus & Virginibus adeſſe iuſſis. E cœlo ſplendida nubes repetitur, quæ thronum componat, regium paludamentum eximia quædam candoris ſpecies diuinæ luci permixta cõtexit. mons Thabor in auguſtiſſimum palatium tantis conſeſſoribus digniſſimum, mutatus fuiſſe videtur; Pater ipſe ęternus indictorum comitiorum cauſam his verbis concipit, *Hic eſt filius meus dilectus, ipſum audite*. quaſi ſi diceret, hunc eſſe cui fidẽ & obſequium, tanquam vero regi ſuo præſtare omnes cõueniret. Illud verò quantæ ſuauitatis eſt, ô Anima mea, quòd hîc de oppignerando regno non agitur, vt Rex redimatur: ſed de vendendo rege (ô prodigam amoris vim) vt regno ipſi libertas quæratur.

Hoc amore illecta,

Dominum tuum effusè & prodigè, ſi fieri poteſt amabis, qui te profusè dilexit. Maieſtatem illius agnoſces, ciúſque imperiis te legitimè ſubdes, vnáque cum Apoſtolis in faciem corrues.

Conſtans obſequium & vita & morte

præſtandum ſpondebis, quandoquidem & qui in viuis erant, & qui eſſe deſierant, ad montem Thabor acceſſerant, perfectæ ſuæ obedientiæ monumenta edituri.

Capvt II.

Obversabitvr oculis modus quem in hac ſpecie ſuſcipienda Chriſtus elegit: neque enim Apoſtolorum oculis, vt vanum quoddam ſpectrum illuſit; vti illudere ſolet præſtigiarum artifex cacodæmon, cùm cœleſtis Angeli laruam ſibi imponit.

Neque eam omnino formam habuit, quam beatorum corpora ſortientur, neque enim admirabili luce illa communicata, continuò neceſſe eſt cæteras dotes agilitatis, ſubtilitatis, & indolentiæ dari: ſunt quippe aliæ ab aliis diſiunctæ, neque vllo neceſſario vinculo connectuntur.

Neque etiam eſt exiſtimandum ſolam faciem diuina luce circumfuſam, cæteras verò corporis partes hac luce caruiſſe; tametſi enim vultus maximè cœleſti illo ſplendore refulſerit, non aliunde tamen veſtes fulſiſſe putandum eſt, quàm luce è membris affluente.

Digitized by Google

Laxauit igitur habenas immenſæ illi gloriæ, qua anima eius circumfluebat, quámque hactenus coërcuerat ne in cō-ſpectum prodiret: hinc auguſtiſſima lux qua corpus eius illuſtratum eſt, quæ omnem huius mundi lucem longè ſuperat; non tamen propterea in aliam abiit ſubſtantiam: is enim qui tranſubſtantiationem facturus erat, in qua mutata ſubſtantia, accidentia eadem perſeuerarent, transfigurationem prçmittendam duxit, quæ integra ſubſtantia, alia accidentia aduocaret.

At quis te æſtus abripit ô Anima mea? deprime cogitationes tuas, & ad te redi, ſupplicitérque proſtrata, age apud regem gloriæ, vt eum aliquando, non in monte Thabor, medium Moſem inter & Eliam, & morti obnoxium: ſed in cœleſti regia Patri æterno aſſidentem, æternáque beatitate fruentem, illáque electos omnes complectentem contemplari queas.

Digitized by Google

CAPVT III.

EMOLVMENTI aliquid vt ex ſingulis huius myſterij capitibus ad te redeat, operam dabis.

Suggeret tibi locus, mons ſcilicet arduus, ſecedendum eſſe à turba, ei qui diuino frui cupiat conſortio, enitendúmque ad apicem ſublimioris vitæ, vt vitæ ſecretioris iucunditate perfruamur.

Tempus, poſt ſex dies à cohortatione ad ferendam crucem, fuiſſe notatur, vt intelligas ſex vitæ huius diebus per mortificationis viam illi eſſe incedendum, qui ad perfectæ gloriæ adeptionem optauerit peruenire.

Admonet S. Lucas Chriſto oranti hæc contigiſſe, vt memineris inter meditandum dari quandam cœleſtis gloriæ quaſi anticipationem, hominéſque è terrenis. cæleſtes quodammodo euadere.

Quòd verò vni Moyſes & Elias adeſſe iuſſi ſunt, cæteris Prophetis qui quadraginta diebus minimè abſtinuiſſent, nequaquam vocatis: colliges quo in loco deinceps apud te ieiunium eſſe debeat, quod tantam mercedem apud Deum habere animaduertis.

Digitized by Google

Denique vbi conſideraueris ex Apoſtolis tres duntaxat, Petrum, Iacobum, & Ioannem ad hæc myſteria euocatos, facilè conficies inſolita beneficia non tribui omnibus, eos verò maximè illis cumulari, quorum fides eximia vt in Petro, ſpes perfecta vt in Iacobo, vt in Ioanne incenſa charitas elucet.

COLLOQVIVM.

Quis dabit mihi amantiſſime Ieſu, vt tuo exemplo transfigurari valeam priuſquam è vita diſcedam? cui niſi tibi, Rex glorię, beneficium hoc debebo? per inexhauſtam liberalitatem qua gloriæ tuæ ſenſum aliquem in monte Thabor impertire voluiſti, rogo atque obteſtor id vt mihi largiaris.

Auoca igitur, & ſecedere iube omnes animæ meæ cupiditates, vt vni tibi famuletur.

Illuſtra faciem meam cœleſti luce, & candida innocentiæ veſte me tege. Cinge me zelo Eliæ, manſuetudine Moſis, Apoſtolorum obedientia, crucis recordatione, amoris tui maximo incendio, vt obſequentes voci tuæ aures ex patris tui

præſcripto commodem.

Ita fiet vt eam ſpeciem induam, quam huius vitæ ſtatus poſtulat, & eam expectabo, quam in regia tua cœleſti communicabis. *Pater noſter, Aue Maria.*

Digitized by Google

MEDITATIONES TERTIÆ HEBDOMADÆ.

DIE LVNÆ.

De octo beatitudinibus.

ORATIONE præuia de more facta in Apoſtolorum cœtus cogitatione migrabo, auréſque attentiſſimas vnà cum illis explicabo, vt cœleſtem beatitudinum doctrinam excipiam, quam Angelorum hominúmque dominus mortalibus tradere incipit, vt immortalitatis viam explanet.

CAPVT I.

MAGISTRVM ſuauiſſimum cordi meo loquentem, & ore ſacratiſſimo beatitudines enarrantem audiam.

Digitized by Google

Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.

Beati mites, quoniam ipſi poßidebunt terram.

Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.

Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.

Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.

Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.

Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.

Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.

In qualibet aliquot puncta expendam.

1. Quam virtutem contineat.

2. Quam mercedem habeat adiunctam.

3. Quàm perfectum eius exemplum Chriſtus dederit.

4. Sancti quomodo in ea ſe exercuerint.

5. Quos in ea conſequenda progreſſus habuerim hactenus, vel quos ab ea receſſus: ſic exempli gratia ratiocinabor; ſi

Digitized by Google

humili paupertati cœlum à Deo in præmium eſt propoſitum, quî fieri poteſt vt id ſuperbia diuitum ſibi comparet? ſi beatæ terræ poſſeſſio mitibus in ſortem ceſſit, quæ iracundorum & vltionem meditantium ſors erit, niſi inferorum ſedes? ſi conſolationis vbertas eos manet qui lacrymis in hac vita indulſerunt, quam ſpem illos concipere par eſt qui ſolas voluptates venantur, an non meritò æternos gemitus ſibi timendos putabunt?

CAPVT II.

ERIGET me hæc beatitatum meditatio in cognitionem perfectionis Chriſtianæ, quæ tam arduas ac ſanctas habet vias, quibus nos ad finem vltimum extollat.

Tum conuertar ad Chriſtum, cui non ſatis fuit hæc documenta præſcribere, niſi continuò gratiam & auxilium ſuppeditaret, vt ea implere poſſemus.

Domine (dicam cum intimo amoris & gratitudinis ſenſu) hæc tuæ liberalitati beneficia nos debere voluiſti, quæ nec Iudæi à ſuo Moyſe, nec à Philoſophis Græci, nec à ſuis ſapientibus Romani,

nec Perſę à Magis, neque ab antiquis noſtris Druidis maiores noſtri haurire potuerunt: à te vno, Chriſte, cœleſtis hæc doctrina tanquam à vero ſapientiæ fonte manare potuit in vniuerſum orbem. Quæ cùm ita ſint, tibi ego & publico totius orbis nomine immenſas habeo gratias, & priuato, rogo atque obteſtor, ne vllo vnquam tempore per me ſtet, quin ea mihi ſit vtilis & fructuoſa.

Capvt III.

INvestigabo rationem cur beatitatis nomen his rebus ſit impoſitum, ſi enim qui multa patiuntur infelices habentur, quî fieri poteſt vt beata pauperies verè dici poſſit, à qua tot fluunt incommoda? Quomodo lacrymæ quas dolor elicit? quomodo res aduerſæ quæ cruciant adeò vehementer?

Certè in his rebus poſitam eſſe beatitatem nullus verè dixerit, ſed quoniam in his ſubeundis arduæ virtutes exercentur liberè, quarum vſus certa quædam eſt & tuta ad magnam felicitatem via.

Hinc facilè conficies, Anima mea, quanta in caligine veteres illi ſapientes fuerint, quorum alij ſupremam hominis

Digitized by Google

felicitatem in doctrinarum adeptionē poſitam, alij in corporis voluptatibus vndique captandis, in honoribus aucupandis alij, aliis in rebus id genus multi poſitam contenderunt.

Eſt igitur, eſt in eo poſita felicitas tua, quod Chriſtus magni conſilij Angelus ad beatitatem facere prædicauit.

Si ergo te per deuios aliarum opinionum flexus neglecta humilitate, ſpreta manſuetudine, cordis abiecta puritate ferri patiaris, moneo te & ſeuerè denuntio, futurum vt reliquo vitæ tempore ancipiti fluctuatione diſtraharis, cúmque ad extremam vitæ periodum deueneris, circumdent te dolores inferorum, è quibus ægrè admodum poſſis expediri.

COLLOQVIVM.

O Deus æternùm felix, qui vt nos gloriæ tuæ participes haberes, ærumnarum noſtrarum conſors fi[illegible]ri voluiſti, quíque in edito montis vertice beatitates has promulgaſti, vt à terrenis nos cupiditatibus abduceres, obſecro te vt ſicut eas in terris docuiſti, ita beatitudo noſtra in cœlis eſſe velis, vtque interim

Paupertatis demiſſæ ſtudio flagrem.

Manſuetudinem & clemẽtiam amem.

Peccata mea lacrymis perennibus eluam.

Iuſtitiæ ſiti ardentiſſima tenear.

Miſericordiæ operibus propter te ſim intenta.

Purum & pacis amans cor foueam.

Vt denique ad nominis gloriæque tuę propagationem aduerſa omnia conſtanter feram, quæ mihi accidere patieris. *Pater noſter, Aue Maria.*

DIE MARTIS.

De oratione Dominica.

SISTET me oratio præuia in conſpectum Dei, feruorémque nouum acuet, vt ſeriò & vtiliter eam orationem recolam, quam Chriſtus ipſe concepit, & ſuauiſſima illa perfectę vitæ axiomata delibem, quæ in ea diuina ſapientia comprehendit.

CAPVT I.

EXPENDAM quàm ſuis omnibus numeris abſolutam hāc orationem eſſe conueniat, quæ cùm autorem habeat ipſam ſapientiam increatam, nullam ab ea perfectionem abeſſe omnino neceſſe eſt.

Cùm autem is ipſe qui eam conceptis verbis docuit, ille ſit apud quem eandem nos, quoties vſus ferret, debemus adhibere, facilè colligam nec vllam illam ei gratiorem, nec vtiliorem mihi eſſe poſſe. Quare ſtatuam ea frequenter vti ad ſubſidium diuinitus impetrandum, ſed non ſine attenta & religioſa mente, ne illius autori illudere videar.

CAPVT II.

ATTENTIVS expendam ſingulas orationis huius partes, & obſeruabo nos in genere duo poſtulare, boni ſcilicet adeptionem, & fugam mali.

Particulatim verò conſiderabo nos hæc bona flagitare.

1. Bonum Dei, nempe ſanctificationem nominis ipſius.

2. Summum bonum noſtrum, gloriam

ſcilicet æternam & regnum cœleſte.

3. Bonum quod noſtrum dicimus, quia nos ad ſummum adipiſcendum iuuat: eſt autem illud, gratia quam poſtulamus vt diuinæ eius voluntati obſequi & mandata obſeruare poſſimus.

4. Bonum inferioris ordinis, illud inquam quod ad neceſſaria huius vitæ ſubſidia obtinenda requiritur, quod vno panis quotidiani nomine continetur.

Ad malum verò fugiendum petimus,

1. A preteritis malis, ſcilicet peccatis abſolui.

2. A futuris, tentationibus nempe imminentibus liberari.

3. A præſentibus, ærumnis nimirum & rebus aduerſis, quibus reapſe opprimimur, expediri.

Quæ cùm ita ſint, quid eſt, Anima mea, quod flagitare cupias hac precatione admiranda non concluſum, quæ tam breuibus cancellis tot res diuerſas definit, & ſeptem petitionum compendio, id omne complectitur quod exquiſitiſſimum, ditiſſimum, ſpecioſiſſimúmque ſit, quódque vel ab humano experi ingenio, vel à diuina munificētia poſſit expectari.

Digitized by Google

Capvt III.

PErcvrram hanc precationem, & ſingula verba expendam, quorum aliquo conſiderato, voluntatem impellere ſtudebo vt eorum deſiderio capiatur, quæ in ſingulis petitionibus continentur, quas per colloquij modum adhibebo.

Exempli gratia, vbi illa vox, Pater, me admonuerit Deum omnium parentem eſſe quòd ab ea ſingulorum natura fluxerit: iuſtorum, quòd iis vitam gratiæ impertierit: beatorum, quòd gloriam donarit. O Pater (ſubdam) multum erat quòd te Dominum vocare liceret, ita enim fiebat vt in ſeruorum tuorum numerum adſcriberemur: quanta igitur & quàm exaggerata eſt clementiæ tuæ magnitudo, qua iubes vt te patrem agnoſcamus & nuncupemus, atque ita filij Dei nominemur & ſimus? quàm effuſus amor qui tam abiecta & vilia mancipia adoptet? per ego te igitur paterna illa viſcera, quæ patris nomen tibi fecerunt acceptum, rogo, &c.

COLLOQVIUM

Affectus iſtos excitabit, quibus omnia tua Deo tuo permittes. *Pater noſter, Aue Maria.*

DIE MERCVRII.

De diuite epulone, & decem virginibus.

TERMINATA oratione præuia, obiiciam oculis ſummam eorum quæ meditari aggredior, ſupplicitérque à Deo contendã, vt tantum mihi terrorem horrendus epulonis interitus iniiciat, vt à peccatis vehementer abhorream, quæ illum præcipitem egerunt: vtque tam altè menti infigatur repulſa, quam paſſæ ſunt ſtultæ virgines, vt ſeueritas & latentes iudiciorum diuinorum ſenſus ab oculis nunquam recedant, quo ſapientibus continenter adhæream, ſempérque accenſas lampades, infuſo bonorum operum oleo ad manum habeam paratas.

Digitized by Google

Capvt I.

QVinqve præcipua capita diuitis epulonis hiſtoria meditanda ſuggerit.

1. In eius nomine hærebo, tametſi enim aliqui Nineuſim eum appellatum ſcribant, cùm tamen illud planè Scriptura prætermittat, colligam peccatorem quantumcumque bene apud homines audiat, apud Deum tamen ignotum eſſe, qui propterea reprobis omnibus extremo in iudicio dicet: *Non noui vos*, notitia nimirum approbationis, quâ eos duntaxat cognoſcit, quos in libro vitæ deſcriptos habet. Inde conficiam, parum admodum eſſe, ſi quis magnus in oculis hominum habeatur, ipſius verò nomen è Dei ſit tabulis & cognitione deletum.

2. Dotes illius expendam. Diues erat, magnificus ſui oſtentator, lautè ſe induebat, pauperes crudeliter deſpiciebat. Heu quàm ferax hodie ſimilium plantarum tellus! quàm multos videre eſt, qui abiecta omni animæ cura, corpus duntaxat procurant, peccata pec-

Digitized by Google

catis, eadem qua miſer iſte licentia, cumulantes.

3. Mortem eius attendam: quam etſi vno verbo ſacer textus exprimat (*mortuus eſt diues*) non tamen ita ſubitò euanuit. *Virum impium* (ait Dauid) *mala capient in interitu.* Ah quàm acerbo doloris ſenſu perculſus eſt iſte, cùm eum nec opinantem ſuauis vita defecit!

Quàm ſe deluſum miratus eſt, cùm ſenſit nullum in amicis, nullum in opibus aut voluptatibus, nullum in ſeruorum turba præſidium eſſe, ne ad iuſtum Dei tribunal ſiſteretur!

Quid hoc loco dicam, Anima mea, niſi magnũ inter auidi huius helluonis, & pauperculi Lazari mortem, eſſe diſcrimen? ille nihil hinc ſecum abſtulit præter grauem peccatorum ſarcinam, quæ faces & picem ad rogum eius æterno tempore alendum ſuppeditaret: iſte meritorum ſuorum præſidio cinctus, æterna tabernacula triumphans ingreſſus eſt, vt mercedem certam hauriret. Anima mea, ſi ritè vis hinc migrare, ritè hîc viue.

4. Inſpiciam ſepulcrum eius, inferos ſcilicet, *mortuus* quippe dicitur, *& ſe-*

pultus in inferno.

Iratus in quempiam Deus minabatur fore vt ſepultura aſini ſepeliretur, hoc eſt, ipſum ad luporum & coruorum eſcam abiiciendum: quantò funus hoc horribilius, quod diuitem dæmonum vnguibus prædam exponit?

Sed enim illius infelicitas beneficiorum tibi diuinorum memoriam refricare debet. Gratias igitur age Deo tuo, Anima mea, quòd te ex corporis ergaſtulo tũc exire non iuſſerit, cùm lethalibus vinculis premebaris: ſi enim id contigiſſet, an non miſeri huius comes æterno tempore fuiſſes? gratias iterum atque iterum habeo, Deus meus, quòd me id temporis migrare noluiſti. Inde infinita ad miſericordiam tuam laus accedat.

5. Conſiderabo tormenta quæ in illo infelicitatis domicilio patitur: quæ lingua vel tenuiſſimæ illorum parti exprimendæ ſit ſatis?

Niſi adeò cæcus ac demens fuiſſet, poterat vel micis quæ de menſa cadebant æternam redimere felicitatem: at quia graue fuit tenuiſſima hac eleemoſyna pauperes ſubleuare, eò nunc indigentiæ

gentiæ deuenit, vt in ardentiſſimo inferorum rogo iacens, guttulam aquæ perpetuò ſit poſtulaturus, nec vllus inuenietur, non dico qui eam largiatur, ſed qui vel minimo in eum miſericordiæ ſenſu tangatur.

O duram neceſſitatem, ſed iuſtiſſimam æquitatem!

Concede mihi ô amantiſſime Ieſu, qui horrendam hanc nobis hiſtoriam expoſuiſti, ex illius conſideratione id ad me vtilitatis redire, vt alieniſſimo in poſterum à peccatis ſim animo, illámque veritatem in pectus altè demittam, voluptuariam vitam effluere citiſſimè, illam tamen excipere tormenta nullo fine circumſcribenda, niſi pœnitentia mortem anteuertat.

CAPVT II.

SVGGERET totidem capita ad alteram meditationem de parabola decem Virginum inſtituendam.

Primum cum ſapientibus & fatuis Virginibus commune erit.

Cùm enim æqualem vtrarumque numerum eſſe deprehendero, ſic apud me

ratiocinabor; O ſi ſaltē ita cum mortalibus ageretur, vt in extremo humanæ fabulæ actu, cùm ad iudicis tribunal ſiſtentur omnes, æqualis eſſet electorum & reproborum turba!at (quod ſine horrore cogitare non poſſum) multo numeroſior horum, quàm illorum erit cœtus. Oraculum enim illud perſpicuum eſt & apertum. *Multi ſunt vocati, pauci verò electi.* Et, *Lata porta & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt qui intrant per eam.*

Secundum ad vnas tantùm ſapientes pertinet. Cùm enim lampades earum accenſas, Deúmque in vaſis diligenter conditum obſeruaro, ſtatuam apud me non eſſe ſatis ſi fidem ducem ſequar, niſi charitatem comitem addidero, à qua bona opera edantur: ſic comparata ſponſo præſtólabor, & in illam ſpem adducar fore, vt à regiæ ſuæ aditu me non excludat, ſi conſtanter in propoſito perſeuerem.

Tertium è fatuis duntaxat ducetur, quas cùm video luce oleóque deſtitutas ad id comparandum tum feſtinare, cùm ad eas ſponſus ingreditur, qui propterea illas aditu intercludit: occaſio-

nem inde arripiam ſocordiæ meæ exagitandæ, & inertiæ imprudentiſſimæ, cui me hactenus dedi. Cùm enim nullum ſit momentum, quo ſponſus accedere non poſſit, num omnia iampridem ad manum mihi eſſe debuerunt, quæ ad eum honorificè excipiendum requiruntur? Adeóne igitur deinceps cæca ero & inſana, vt rebus meis non conſulam diligentiùs? O ſponſe dilectiſſime, ne tam citò ingredere, tantiſper adhuc expecta.

Quartum in perſona ſpōſi, Chriſti inquam ſeruatoris conſideranda ponetur: quòd enim nobiſcum fœdus inierit, ſéque diuina hypoſtaſis cum humanitate noſtra copularit, quódque quotidie nobiſcum ſacras obeat nuptias dato gratiæ ſuę annulo, hinc ſponſus noſter eſſe dicique voluit.

Imò eſt eritque tuus ſemper, Anima mea, niſi adulterata fide tua, ad diuortium eum prouoces, quod ſi feceris, è ſponſo amantiſſimo illum ſeuerum & formidandum iudicem habebis.

Quintum, horam proponet qua ſponſus accedit, noctem ſcilicet concubiam, cùm iam media fluxit, quo tempore ar-

ctiſſimus & profundiſſimus erat Virginum ſomnus, minúſque de ſponſi ingreſſu cogitabant. Hîc ego conſiderabo ſolemne eſſe morti, vt ad nos tum feſtinet, cùm ſecuri indormiſcimus, & in leuiſſimæ ſpei pluma intrepidi ſtertimus, nil minùs quàm de morte ſolliciti.

Felices iuſtos qui lampades tuas habent ſemper accenſas, hoc eſt, animos charitate fulgentes, quos numquam inopinata mors inuadit!

Accede ad iſtos, Anima mea, ne cum impiis aliquando percellaris, & in vltimo vitæ flexu, & lampade, & fomite, & oleo vitæ perfectæ, veritatis & virtutis deſtituta, æternam à Deo repulſam patiaris.

Colloqvivm.

O æquiſſime iudex, idémque amantiſſime animarum noſtrarum ſponſe, benignis quæſo me oculis intuere, comprime iuſtiſſimam iram quam effrænatę cupiditates & temporis iactura meritò accendit, in his fateor, & auaro epuloni, & fatuis virginibus ſimilis euaſi, ſed pœnitet me, Deus meus, atque ad tuam miſericordiam ſupplex confugio.

Agnoſce Domine, me nõ modò opus tuum eſſe, ſed (quæ tua eſt bonitas) pretioſiſſimo quoque ſanguine tuo ita elui, & purgari poſſe, vt ad ſponſæ tuæ dignitatem peruenire poſſim.

Da igitur, Domine, vt ſentiam libellum repudij à te laceratum, neque inane eſſe ſponſi nomen quod præferre voluiſti. *Pater noſter, Aue Maria.*

DIE IOVIS.

De Magdalena & Samaritana.

HÆ duæ mulieres ad Deum redeuntes viam tibi muniunt, Anima mea, vt tandem reſipiſcas: ita apud te ſtatuere debes in ipſo meditationis veſtibulo, præuia oratione ſolita, qua diuinam opem expoſcas.

CAPVT I.

CONTENDAM, omnes ingenij vires vt in cognitionem conuerſionis Magdalenæ deſcendam, quod aſſequi conabor variis interrogationibus propoſitis, quibus ita reſpondebitur, vt in hoc

Digitized by Google

dialogo perfecta quædam ſpecies pœnitentiæ proponatur, quam imitandam ſuſcipiam.

Age igitur, Anima mea, quomodo mulierem hanc aberraſſe putas?

1. Quòd turpibus ſe voluptatibus mancipaſſet, quæ illi tota vrbe peccatricis infame nomen pepererant.

Eſt enim turpiſſimum ſordiſſimúmque hoc vitium, quod hominem de ſtatu mentis deiectum ad belluarum ſimilitudinem traducit, tenebras ſiquidem rationi, voluntati prauitatem, memorię tabem, luem phantaſiæ, corruptelam cunctis ſenſibus importat, omniáque corporis membra fœdiſſimis diſſoluit morbis, Deíque iram vehementiſſimè prouocat, qui ſæpè ſæpiùs grauiſſimè in libidinoſos animaduertit, nec ſupplicium fugiſſet Magdalena, ſi in eo luto diutiùs hæſiſſet.

2. Quos habuit erroris ſui impulſores? eos ipſos qui rectæ viæ duces eſſe debuerant, ſanitatem nimirum, formam, diuitias, nobilitatem, libertatem, quæ omnia ſunt illuſtria Dei beneficia, quibus ad eius honorem vti par erat. At quàm turpiter iis eſt abuſa? cùm integra

eſſet valetudine nunquam ſalubrē mortis cogitationem admittebat, formæ elegantiam tanquam impuri amoris illecebram colebat: diuitias in luxum & voluptates effundebat : proteruam audaciam nobilitas alebat , libertate vtebatur, vt circumcurſans fora & plateas ſpectantium animos irretiret. Ita fit vt miſeri felicitatis noſtræ præſidia , in laqueum conuertamus, quo fauces beatæ vitæ nobis elidantur.

3. Quis eam ad rationis gyrum reuocauit? an concionibus tuis ô Chriſte , & manſuetudine erga flagitioſos inaudita, cor illud adamantinum expugnaſti, ſic exiſtimo , certúmque habeo hanc eſſe mutationem dexteræ excelſi , qui luce inſpirationis ſuæ caliginem ab hac anima abſterſerit,& cor eius glacie concretum amoris ſui flamma diſſoluerit, vt prauas cupiditates abiiceret , vt totum amorem ſuum in te vno tanquam cordis ſui centro defigeret , ad quod omnia deinceps eius deſideria ſponte ferrentur.

O ſi eandem erga me miſericordiam præſtares, & me vinculis charitatis irretitum in obſequium tuum raperes , &

cor meum acerbo doloris ſenſu vulnera-res, vt ea peccata lugeret, quæ tam multa & grauia, tantóque tempore in te commiſi Deus meus!

4. Quò ſic perculſa conceſſit? acceperat Simonem Phariſæum Chriſto ad prandium condixiſſe, ipſúmque vna cum aliis conuiuis bene multis menſæ accumbere: irrupit ergo in eam domum, nec de temporis opportunitate cogitauit, neque de Phariſæorum ſuperſtitione, quibus nefas erat cum peccatore verſari, ſed pudore omni, qui ſaluti eſſet inimicus abiecto, id vnum ſpectans vt peccatis medicinam quæreret, accurrit ad triclinium, illum quem cor anhelabat requirens; manantibus ergo ex oculis lacrymarum riuis, ore ſingultibus interclúſo, procidit ad illius pedes, à tergo tamen, vt ſe conſpectu eius indignam profiteretur, agnoſcerétque ſuę nequitiæ tribuendum eſſe, quod auerſa à Deo ſuo ſtare cogeretur, ſicut puritatis eſt mundos corde in oculis Dei collocare.

Quiſquis, ô Anima mea, ardenti Dei amore tenetur, vbique illum inueſtigat: nec in conuiuiis illum minùs, quàm

in deſertis locis requirit.

Quod ſi pœnitentiam humilem comitem aſciſcat, omninò illum inueniet: ne miretur tamen ſi ad conſpectum ſtatim non admittatur, nam ſi in agenda pœnitentia perſeueret, non ab illo oculos Chriſtus auertet.

5. Quid egit proſtrata? quidquid ab anima verè pœnitente fieri conuenit. Ex oculis riui lacrymarum fluxerunt, quibus tinxit, irrigauit, lauitque pedes Seruatoris ſui, vt oculos ſuos quibus alienos toties deprædata erat, greſſúſque quos tam otiosè commouerat, expiaret.

Tum capitis reticulum ſoluens, quo toties vt infami laqueo tam multos implicuerat quibus in fingendis, calamiſtro in vrendis, vario cincinnorum artificio, & multiplici flexione torquendis, tantum temporis adeò inutiliter triuerat, quicquid capillorũ habebat effudit, vt iis Chriſti pedes elueret, & ſiccaret.

Vt verò mollitiem illam deteſtaretur, qua corpus ſuum toties vnguentis imbuerat, eoſdem pedes pretioſo liquore quem in alabaſtrina pyxide attulerat, aſperſit.

Denique illos magna cum demiſſione & doloris acerbiſſimo ſenſu amantiſſimè ſuauiata eſt iterum atque iterum, vt hac ratione labiorum ſuorum deleret ſordes; quas libandis oſculis turpibus, & impuris ſuauiis contraxerat.

Itaque omnia nequitiæ ſuæ inſignia, in ſatisfactionis & pœnitentiæ inſtrumenta ingenioſè conuertit.

Excita in me, Deus meus, eundem ſenſum, vulnera cor meum non diſpari doloris ac demiſſionis iaculo: liqueſcat, oro, glacies cordis mei in caloris huius aſpectu, vt in eius locum ſuccedat amor tuus, qúi vbi me ad flagitiorum meorum condonationem diſpoſuerit, æternùm tibi me addicat.

6. Quid ad hæc Chriſtus? delectabatur Magdalenæ pietate, quódque illa extrinſecus operabatur, ipſe in eius pectore præſtabat.

Dabat illa Chriſto lacrymas ſuas, Chriſtus illi ſanguinis ſui meritum.

Illa pretioſum nardi vnguentum, ipſe fragrantiſſimum gratiæ balſamum.

Illa capillorum miniſterium, ipſe omnium Spiritus ſancti chariſmatum & virtutum infuſarum dona.

Digitized by Google

Illa labellorum ſuauium, ipſe oſculum pacis & conciliationis perfectæ.

Itaque, Anima mea, qui Deo donat aliquid, acceſſionem ad res ſuas facit, ſi mundus inuidia tabeſcens obtrectat, patrocinium ipſe noſtrum ſuſcipit; vti Chriſtus fecit, Phariſæi Magdalenam criminantis calumnias depulſurus.

Quando igitur ita res habet, ô animarum ſalus, en ego ad pedes tuos proſtrata tibi ſuppliciter offero quidquid meũ eſſe voluiſti: at enim acceptáne tibi eſſe poterunt obſequia mea, obſequia inquam à corpore toties flagitiis polluto profecta?

Vix ac ne vix quidẽ vaſa ethnicis ſuperſtitionibus adhibita altaribus tuis imponi permiſiſti, quin igne priùs expiarentur. Flagret igitur, Anima mea, ſacro amoris igne, quo cor exarſit Magdalenæ: animam meam in fornace pœnitentiæ colliquefactam inſtaura, vt tibi poſſim dedicari.

Expia oculos meos, quos tanquam ſpeculas adhibui ad explorandam & cõſectandam ſæculi vanitatem, quibus tanquam feneſtris irrupit in mentem mors prauarum cogitationum comes,

Digitized by Google

quos velut turriũ pinnulas omni leuitatis vento circunferri hactenus paſſa ſum; ſint igitur nunc gemini lacrymarum fontes, qui ſcelera mea eluant: ita denique cæteri ſenſus diſponantur, vt tantum obſequij tibi deferre poſſint, quantum mundo detulerunt.

CAPVT II.

COMPLECTETVR meditationem de Samaritana muliere, qua in meditatione dabo operam vt his affectibus cor meum incaleſcat.

1. Quid agis ad huius fontis crepidinem, Deus meus? ergóne ô beatorum quies, vires tuas ſuſceptæ peregrinationes exhauſerunt?

Túne ô ſatietas perfecta fontem aliquem requiras, in quo ſitim tuam extinguas? O ſeruator mi, quàm grauis & laborioſa tibi fuit ſalus mea!

2. At quàm admiranda eſt ſapientia tua, quàm amica prouidentia, quæ te flagitioſis nec opinantibus ſic obuium facit? occurre mihi pariter Domine mi, & pari me gratia præueni, etiam atque etiam vide quàm ſuppliciter id à te contendam.

Digitized by Google

3. Feſtina ô miſella Samaritana; hîc ſalubriores tibi quàm in ciſternis Iacob aquæ paratæ ſunt:non altè effodiuntur iſtæ, ſed è cœlo profluunt : non è terra ſed è cœleſti ſcaturigine dimanant : non bibuntur iſtæ, ſed guſtantur : non hauriuntur vaſis, ſed corde excipiuntur:potę non minuuntur, ſed augentur:aquæ iſtæ, aquæ ſalutis ſunt, quas ſi libaueris te à terrena cõcretione ad cœleſtem vitam, à morte ad immortalitatem, à tempore ad æternitatem, ab infelicitate ad beatitatem traducent.

O Domine, da mihi hanc aquam, nec ſitio minùs, nec illa minùs indigeo quàm Samaritana.

4. Hæc non capiebat initio miſella, imò prętet aquę ſuæ parſimoniam quam præferebat, aſperioribus etiam verbis, ô amantiſſime Ieſu, petitionem tuam eludebat:non vicit tamen illius repulſa benignitatem tuam. Heu quàm ſæpe à nobis quoque repulſam pateris bone Ieſu, cùm & poſtulatis tuis non concedimus, & ſæpe ſæpiùs pulſanti nihil reſpondemus! Sed quæ tua ſingularis bonitas eſt, diſſimulas peccata noſtra, & cunctando ac procraſtinando nos ad te prope inui-

tos rapere non deſiſtis. Hinc fit vt tandem aliquando reſipiſcamus, tibíque nos totos dedamus, dicamúſque ingenuè, O ſi maturiùs donum Dei ſciuiſſem, eúmque agnouiſſem qui dicebat, Da mihi bibere, &c.

5. Anima mea, quinque viris adhæſerat mulierilla, qui autem cum ea tunc agebat, maritus ipſius non erat.

Quando tandem effrænatos cupiditatum tuarum motus domabis, quæ rebus creatis effuſa quinque ſenſuum tuorum licentia ſeruierunt: acquieſce demum voci conditoris tui, quâ quotidie aures tuæ verberantur. Samaritana propè gentilis, auditis aliquot Chriſti verbis reliqua omnia dimiſit: an igitur tu eodem in luto poſt tam crebras & calentes incitationes iacebis?

6. Spiritus eſt Deus, & eos qui eum adorant in ſpiritu & veritate oportet adorare.

Quomodo id præſtabimus, ſi ſpiritales ipſi euadere non conemur?

Si ficto & ſimulato animo ſimus?

Si externum duntaxat cultum Deo deferamus, quem meritò cadauer exangue vmbram ſine veritate poſſumus vocare.

Digitized by Google

7. Quis dabit mihi, Deus meus, vt veterem hominem exuam, huius mulieris exemplo?

Vt priſtinis vaſis prorſus abiectis noua conquiram?

Vt gloriæ nominíſque tui adminiſter fiam, & exemplo ſaltem proximis meis inexhauſtos miſericordiæ tuæ theſauros prædicem, vt ita propiùs ad te accedant, & liberalitatis tuæ participes fiant.

COLLOQVIVM

Hæc à tua munificentia dona expecto, quæ vt largiaris per illam te miſericordiam obteſtor, quam erga duas haſce mulieres exercuiſti, quarum conuerſionem in Eccleſia celebrem feciſti, vt iuſtis gaudium, peccatoribus ſpem & conſolationem offerres. *Pater noſter, Aue Maria.*

Digitized by Google

DIE VENERIS.

De paralytico in piſcina ſanato, déque cæco ab ortu ſuö.

MISELLA Anima mea, quæ reſolutis omnibus neruis paralytica iaces in grabato corporis tui: Anima priùs cæca quàm nata, tenebríſque peccati origine contracti ſimul damnata vt concepta: ſi attentè ad paralyticum ſanitati redditum in piſcina, & cæcum in luto illuminatum poſtquam ad aquas Siloë acceſſit, oculos intenderes, ſpes eſſet tibi pariter auxilia quibus conualeſcas non defutura. Inſiſte ergo his contemplandis, præuiáque oratione adhibita, ſit illud meditationis tuæ.

CAPVT I.

QVID ſignificet paralyticus, quid paralyſis, quid piſcina, quid Angelus aquam mouens.

1. Venire in mentem poteſt, paralyticum hunc eſſe Adamum: paralyſim, culpam eius; piſcinam, gratiam redemptoris;

ris: Angelum, ipſummet redemptorem qui ſalutis aquam largiatur.

2. In paralytico, Iudæum; in diſſolutione neruorum, pertinaciam eiuſdem; in piſcina, legem Moyſis; in Angelo Meſſiam gratiæ autorem, qua gratia expugnaturus erat corda illa Iudæorum peruicacia, conſiderabis.

3. Adumbrat Gentilem Paralyticus, idolatriam eius, paralyſis; piſcina, Euangelium; Angelus, Apoſtolum aut Apoſtolicum virum, cuius opera ille conuerſus eſt ad Deum.

4. Hæretici imago eſt æger: erroris, morbus; veritatis catholicę, lauacrum; doctoris qui hauſta ex hoc lauacro aqua illum eluit, Angelus.

5. Paralyticus typum gerit pueri Baptiſmo nondum expiati; paralyſis, peccati origine ſuſcepti piſcina, baptiſmi; Angeli, ſacerdos aut alius quiuis ſacramenti miniſter.

6. Peccatorem, paralytico; paralyſi, flagitia eius; pœnitentiam, piſcinæ; Dei vicarium, Angelo ſimilem eſſe reputabis.

Poſtremò huic ſenſui inſiſte, Anima mea, niſi enim voluntaria tibi adula-

tione lenocinaris, in eo hærere te vi-
debis.

Quòd ſi varietatem eorum quorum in piſcinæ porticibus eſt afflicta valetudo, tibi ponas ob oculos, quatuor potiſſimum ægrorum genera offendes, languentium ſcilicet, cæcorum, claudorum & aridorum.

Cùm verò videris illos omnes præſtolari Angelo, qui aquam conturbet vt illa medicinam faciat: ſuccurret tibi præſes vitæ tuæ Angelus, cui gratias habebis innumeras, quòd in te vna eadem omnia operetur, quæ in ſingulis illorum mira fiebant. Quoties exhauſtas vires tuas ſpiritales inſtaurat? quoties tibi cæca in caligine erranti facem præfert? quoties leuitate claudicantem & vacillantem erigit? quoties pietatem tuam ieiunam & arentem pinguiſſimo rore aſpergit?

Confugiendum tibi eſt frequenter, Anima mea, ad huius patroni pręſidium: familiariter tibi de die cum illo agendum eſt: nocte iterum aduocandus, in omni opere teſtis adhibendus, ita fiet vt actiones tuę Deo longè ſint acceptiores.

Capvt II.

PRoponam mihi hominem iam ab ipſis ſuis cunabulis cæcum, qua cæcitate percuſſum illum ſacer textus pronunciat: vt *manifeſtarentur opera Dei.*

1. Igitur conſiderabo Chriſtum hoc miraculum edidiſſe iis adhibitis ad illuminandum, quæ contrariam planè vim habebant, quod cùm ſupra vires omnes naturæ non humanæ tantùm, ſed Angelicæ ſit, omninò reliquum eſt, vt Deum tanti autorem miraculi agnoſcamus. Cùm autem Deus mendacio nunquam ſuffragetur, hoc verò prodigium à Chriſto ita ſit editum, vt confirmaret ſe filium Dei, verúmque Meſſiam, à Prophetis pronuntiatum eſſe, rem ita ſe habere mihi facilè perſuadebo. Id mihi in memoriam reuocabit vaticinium illud, quod fideles illi veritatis teſtes primum eſſe voluerunt eorum miraculorum, quæ de Meſſia canebant: *Tunc aperientur oculi cæcorum.* Cùm igitur Chriſtus oculis non cæci modò viri, ſed etiam ab ortu cæci lucem reddiderit, quod omnibus retrò ſæculis fuerat inauditum, ille ipſe eſt & non alius, quem Prophetæ deſignarunt.

2. Vbi aduertero illum non ſola quæ fluit è cerebro ſaliua, ſed etiam puluere cum illa mixto medicinam facientem; intelligam inde neceſſarium fuiſſe ad illuſtrandas orbis vniuerſi tenebras, vt non tantùm Deus, ſecunda nimirum perſona de Patre procedens, ſed inſuper vt homo eſſet è terreſtri concretione formatus.

3. Quòd verò cœcum hunc ad lauacrum Siloë (quæ vox miſſum ſignificat) non autem ad alias thermas pergere iuſſerit, colligam id illi propoſitum fuiſſe, ſignificare ſe illum verè eſſe à Patre mittendum, cuius gratia (quam in Baptiſmi fonte primùm ſuſcipimus) tenebræ noſtræ diſpelluntur.

Agnoſco te Domine, téque verum Dei filium, hominis filium, Deum pariter & hominem eſſe prædico, quo tanquam pretioſiſſimo collyrio oculi Animæ noſtræ illuſtrantur.

4. At cui non videatur illud admirandum, quod infelici Chelidonio accidit? is enim quandiu oculis captus fuit, aduerſarium (quod ſciamus) paſſus eſt nullum: at vbi colluſtratus eſt, quam multi in illum inſurrexerunt? deſeritur à pa-

Digitized by Google

rentibus, vicini illum in ſynagogam rapiunt, à Scribis & Phariſæis cœtu ſacro interdicitur, vrbem prope totam infenſam patitur & obtrectantem.

Annon iſtæ mundi ſunt leges, vſu diuturno confirmatæ, & in æs inciſæ? ea enim mundi eſt iniquitas vt flagitioſos non modò vitiis ſuis arctè ſinat indormiſcere ſecuros, ſed teterrimis quoque adulетur, blãdáque eos aſſentatione proſequatur. Quòd ſi quis ex illo veterno excitatus euigilet, oculóſque aperiat, vt viam ſalutis quærat, atque ad gremium virtutis aduolet, vt tibi, Chriſte, famuletur, continuò mundus fremere, inſultare, obtrectare, miſcere omnia: alius eum atra bili laborantem nuntiat, amentem alius, &c.

Noſti Domine, quàm multos hi laquei inuoluant, quos adeò miſeros vides vt in tenebris ſuis hærere, & impedimentis vitæ licentioris implicari malint, cum periculo præſentiſſimo ruendi æternum in interitum, quàm ab illis ſe explicare, & aculeos obtrectatorum haud altè infigendos paucis diebus ſuſtinere.

Occurre illis, mitiſſime Ieſu, vti cæco huic feciſti, vt eis animos addas: diſcant

quàm facilè nubes iſtæ inſultantium euaneſcant & eorum iacula reuellantur: agnoſcant quàm glorioſa ſit illorum vulnerum cicatrix.

In peroratione

Poſtulabo à Deo, vt nunquam in eas anguſtias & rerum ſpiritalium penuriam adducar, ne cum paralytico exclamare cogar: hominem non habeo.

Si tamen id altiſſimæ illius abditiſſimęque prouidentiæ conſilium eſt, ſuum præſidium patere mihi vt cæco iſti, patiatur; tantóque perfectiùs mentem meam corroboret, quantò inferiores Animæ meæ partes erunt infirmiores.
Pater noſter, Aue Maria.

Digitized by Google

DIE SABBATI.

De parabola decoctoris, & altera eius qui ab Ieruſalem in Iericho deſcendebat.

COPIOSAM hîc, Anima mea, diuinæ miſericordiæ admirandæ ſegetem, qua reficiamur, vberi conſolatione offendemus.

Cùm enim pater adeò grauiter exulceratus, errantem filium benignè excipiat, cur in illam ſpem non veniemus, nos quoque non reiiciendos, ſi ad eius miſericordiæ pedes ſuppliciter accedamus? Tametſi verò vulneribus toto corpore confecti eſſemus, quid eſt quòd ad eius opem confugere dubitemus, qui in Samaritani perſona tanto miſerationis ſenſu erga eum affectus eſt, quem ſicarij plagis conciderant, & à planta pedis ad verticem vſque ſauciarant.

Eamus, Anima, eamus in occurſum tam effuſæ bonitatis, & oratione præuia de more inſtituta, diuino nos conſpectui ſiſtamus.

Capvt I.

De prodigo. Adoleſcens erat ſuo arbitrio deditus, nulli dicto audiens, in flagitioſorum conſuetudine & conuictu frequens: hinc extorta à patre hæreditatis parte quam obuenire ſibi ſciebat, paterna domo exceſſit, atque vt licentiorem ageret vitam, ad alias oras migrauit, vbi cùm breui patrimonium totum in voluptates & luxum effudiſſet, ad eas venit anguſtias, vt fame oppreſſus porcos paſcere cogeretur, nec aliis quàm gregis ſui cibis famem expleret.

Anima mea, peccator in oculis Dei ſemper puer eſt, quamuis canicie obductus ſit: illum inconſultus perdit libertatis vſus, & à Deo aberrantem in altam vitiorum voraginem immittit: dúmque Dei oculos effugiſſe ſe putat, creatarum rerum inſano amore deluſus, omnia ſua per ſummam dilapidat intemperantiam. Quid miſero deinde fit? fame vexatur, impij ſiquidem, ait Dauid, *famem patientur vt canes*: vbi enim Deus non eſt, ſumma egeſtas eſt: inopia premente cogitur ſe barbaro & auſtero domino mancipare.

Heu quis tetrior cacodæmone Dominus! in cuius ergaſtulum toties peccator detruditur, quoties mortalis noxæ fit reus. Id operis illi demandatur, vt porcos, hoc eſt, vt ferinas cupiditates ſuas paſcat.

Porrò pro alimento ſiliquas duntaxat præbet, quibus immundi greges ſaginantur, eáſque ita parcè ſubminiſtrat, vt his ægrè famem poſſit explere. Quos enim cibos tyrannus iſte ſuggerit, eos rectiùs belluinas voluptates, quàm humana ſolatia eſſe dixeris, quibus quò liberaliùs indulgebis, eò impotentiùs illarum deſiderio æſtuabis: nihil enim adeò ſordidum & obſcœnum carnis appetitiones exſaturare poſſit. O duram ferreámque ſeruitutem, cui heu nimis ſæpè me addixi!

Sed vt extrema inopia decoctorem ſuæ conditionis admonuit, ita res aduerſæ ſæpe ſtimulos admouent peccatori ad reſipiſcendum.

Quanti mercenarij (aiebat nequam ille) *patris mei abundant panibus, ego autem hîc fame pereo, ſurgam & ibo ad patrem meum.* Quàm longè (ait peccator diuinitus illuſtratus) abſum à conditione iuſtorum, in-

ſtorum inquam, quibus panis Angelorum cibus eſt, ego non alias habeo exquiſitiores dapes, quàm ſordidas voluptates? egóne ſues aſſiduè paſcam, qui ad æternam hæreditatem in cœlis adeundam conditus ſum? non ego hoc ſeruile iugum excutiam, atque ad Patrem, ad Deum meum reuertar, ſurge, age, quid moraris? At quibus eum verbis compellabo, cùm adeò ſquallidus illi occurram? dicam, *Pater peccaui in cælum & coram te.* At cùm tam grauiter in te deliquerim, fateor indignum eſſe quẽ vt filium excipias, ſed, *fac me ſicut vnum de mercenariis tuis*, felicem me ſi vel ſic à te admittar!

Quid ad hæc bonus pater, accurrit, ruit in amplexus, oſculatur, ſtolam primam afferri iubet, digitis annulum, pedibus calceos inducit, ſaginatum vitulum mactari imperat, conuiuium adornari lautum, feſtis vocibus omnia perſonare, quoniam inquit, *filius meus mortuus erat & reuixit, perierat & inuentus eſt.*

O miſericordiſſime Pater, ita cum nequiſſimis hominibus agis quos cõdidiſti. Continuis ſceleribus diuinã maieſtatem tuam prouocamus, iámque tuas iniurias cœlum & terra vlta eſſent, niſi miſeratio-

nes tuę iuſtam indignationem compreſſiſſent.

Adeò enim donorum tuorum cœleſtium prodigus es, vt ſimul ac ſcelerum noſtrorum pœnitere nos vides, continuo aduoles, manúque porrecta nos erigas, ſinúque amantiſſimo foueas, & innumera beneuolentiæ præbeas argumenta.

Tu nos prima gratiæ ſtola induis.

Tu æternæ gloriæ pignus tanquam annulum porrigis.

Tu pulcherrimis nos virtutum calceamentis exornas.

Tu ſaginatum vitulum mactas vt nos Euchariſtico reficias Sacramento.

Tu Angelos ſtricto gladio nobis imminentes vt pœnas ſumant, gladium ſuum vagina condere iubes, & citharas plectráque in manus ſumere, vt læto cantu conuerſioni noſtræ gratulentur. Quas igitur gratias pro tot ac tantis in nos collatis beneficiis rependere par eſſet?

O nos cæcos & amentes, ſi cœlo ſupinas manus ſupplicéſque oculos & corda non attollamus, vt tam effuſam liberalitatem prædicemus & admiremur!

Capvt II.

CONSIDERABO eum qui à graſſatoribus captus, ſpoliatus, & grauiſſimis vulneribus eſt confoſſus, quæ culpa eius erat, cur enim inconſultus homo ab Ieruſalem in Iericho per infamem vallem Gehinnon deſcendebat?

Nunquam, ô Anima mea, è gratiæ ſtatu in peccati voraginem per deuios vitiorum calles labimur, quin eiuſdem aut grauioris ruinæ periculum adeamus.

Illic nos ſemper humani generis hoſtes prædonéſque cacodæmones, ex inſidiis adoriuntur, nóſque gratia diuina, donis cœleſtibus charitate & virtutibus infuſis, iuſtitia, prudentia, fortitudine & temperantia ſpoliant, quæ ſanè multò luculentior eſt, quàm quæuis alia bonorum hujus mundi iactura, ſunt enim illa cœleſtia, & proinde humanis omnibus ſuperiora. Vulnera prætereà ſicarij illi lethalia nobis imponunt; iraſcētem animi vim ira confodiunt, intemperantia concupiſcentem; mentem cæcitate; faſtidio æternorum voluntatem; phantaſiam, vanis & inanibus ſpectris; omnes denique ſenſus, variis perturbationibus

conficiunt. Denique nos ad extremum propè ſalutis diſcrimen adducunt, quia nihil vitæ nobis ſupereſt poſt tot inflictas plagas, præter lucem à natura omnibus inſitam, aut fidei ſpeíque habitus exangues, & admodum infirmos.

Si ergo infelicitatem meam non amo, aliam ingredi viam conabor, neque deinceps ab Ieruſalem in Iericho per deuia & vitiorum itinera deſcendam, ſed ab Iericho ad Ieruſalem per virtutis ſemitam ſtudiosè contendam.

Quòd ſi iam vulnus aliquod accepero, mitiſſimi Samaritani Ieſu mei opem implorabo, illúmque obteſtabor ne me auerſetur, ſed accedat vulnera obligaturus, oleum gratiæ, & charitatis vinum illis infuſurus, ſuorúmque ſacramentorum ſalutaria medicamenta adhibiturus.

Colloqvivm.

Quorſum hoc à te auxilium non ſperem Deus meus, quãdoquidem gemina hæc à te exempla ſunt allata, vt firmiorem in nobis ſpem erigeres? O mitiſſime Pater, etſi effrænata vitæ meæ ſuperioris impotentia, non ſecus ac decoctorem

illum abripuerit, etſi vulnera quibus facultates meæ penitus opprimuntur, omniúmque prætereа virtutum iactura, ſatis me admoneant, quorum in graſſatorum manus inciderim: at paterna viſcera non exuiſti, quæ non ſecus ac antea mihi patent?

Imò ſi quam mutationem in te liceat agnoſcere, ea poſt infelicitatem meam felicior mihi quodammodo fuit: nam cùm mea te ſcelera ad vltionem meritám prouocaſſent, vt qui ſponte in mortem præſentem ruiſſem, non minùs tamen liberaliter & amanter me habuiſti, quàm ſi fidele tibi obſequium impendiſſem.

His ego beneficiis adducor vt audeam te ſuppliciter obſecrare, licèt me vſquequaque indignum tuo conſpectu ſentiam, vt paternam beneuolentiam non ſubtrahas, ſed vulnera mea tuæ benignitatis oleo foueas, méque ad cœleſtis Ieruſalem viam deducas: certum enim mihi eſt adeò omnem erga Iericho affectum exuere, vt prorſus omnem cogitationem ſim abiectura, quæ ad eam reuiſendam impellet. Ita me ames, Deus meus, bonitas ſumma, qui viuis & re-

Digitized by Google

gnas in ſæcula ſæculorum. *Pater noſter, Aue Maria.*

DIE DOMINICO.

De Lazari, filij viduæ Naimiticæ, & filiæ Archiſynagogi Jayri reſurrectione.

ORATIONEM præuiam de more inſtituam, méque excitabo hac reſurrectioni dominicę ſacra die, vt ita trium iſtorum reſurrectionem animo verſem, vt inde maior ad ſanctiſſimam Trinitatem gloria, & ad tres animæ meæ potentias vberior fructus redeat.

CAPVT I.

REVOLVAM, ea quæ tribus iſtis à morte reuocatis communia ſunt, vt ex ſingulis aliquod emolumentum percipiam.

1. Chriſtus tres iſtos à morte vindicat: ſi enim Prophetæ multò antè denuntiarant à Meſſia excitandos eſſe mortuos, an non par erat vt Ieſus excitaret, quò nos ſuæ miſſionis faceret certiores?

Digitized by Google

Quis aũtem illo commodiùs præſtare potuit, qui eſt Verbum Patris, per quem omnia creata ſunt, in quo omnia fuerunt antequam conderentur? Quis eo meliùs qui rex eſt, cui omnia viuunt, cuius in manibus & poteſtate vitæ ac mortis claues continentur?

2. In ætatis flore perierant, extinctíque erant tres iſti: nam & ipſe Lazarus, quo de vno ambigi poterat, togam tum primùm virilem induerat. Et ſanè attendere ſi velis, Anima mea, obſeruabis mortem primum omnium obiiſſe Abelem, qui in familia Adami iunior erat. Hinc ſtatues apud te ſemper in procinctu tibi ſtandum eſſe, cùm tantum abſit vt adoleſcentia mortis inſidias effugiat, vt potiùs eius telis maximè pateat.

3. Tentati fuerant tres illi morbo, quod Euangelica hiſtoria de Lazaro & Archiſynagogi filia clarè teſtatur, de filio verò viduæ ex illis verbis Lucæ facilè intelligimus: *Et ecce defunctus efferebatur*. defuncti enim nomen, non mortuum modò, ſed ægritudine aliqua confectum extinctúmque declarat.

At quàm multos nec opinatò quotidie mors inuadit, quos citiùs rapit quàm

de

Digitized by Google

de exitu cogitare poſſint? Orat Eccleſia filios ſuos ab hac morte liberari. Deum itidem rogabo vt ab illa me vindicet, faciátque animæ meæ poteſtatem, vt ſe diligenter comparare & rationes ſuas inire poſſit, antequam ad eius tribunal iudicanda ſiſtatur.

4. Vberrimæ in iſtorum funere lacrymę fuerant effuſæ: flentes naſcimur, cum amicorum fletu vita eximus: & læti viuere audemus?

Rei conſequendæ inſtrumenta cum fine conueniant neceſſe eſt: mundus nos lacrymantes excipit, cum lacrymis dimittit, quid igitur niſi lacrymas in vię huius, vitæque decurſu expectamus? *Beati qui lugent*, ait Veritas, *quoniam ipſi conſolabuntur.*

5. Tres vita deceſſerunt, tres diuinitùs ad vitam ſunt reuocati, ſic omnibus fiet: intereunt omnes, omnes excitabuntur: hinc hominum mors ſomnus vocatur, quod de brutorum morte dici non ſolet.

Illi quidem ſurrexerunt vt iterum caderent, at nobis non ita erit: mors enim in æternũ præcipitabitur, ait Propheta, *& mors* (vt ait in reuelatione ſua Ioan-

nes) *non erit amplius.*

Felices igitur eos qui ad beatam vitam reſurgent, miſeros, contra quos ſempiterna calamitas affliget!

Sic viue, Anima mea, vt illorum numero aſcribaris, & ex horum conſortio remouearis.

6. Illos è tumulo reuocauit, & in vitam reſtituit vox Saluatoris, quod mihi ponet ob oculos Archangeli vocem, & tubæ ſonitum, quibus omnes ad iudicium vocabuntur.

Capvt II.

SIngvlaria quædam adiuncta examinabo, quæ cuilibet conueniunt, illáſque inuicem comparabo.

1. Lazarus & Naimiticus adoleſcens publicè in oculis, & ore omnium ad Superos redire ſunt iuſſi: Iayri verò filia priuatim & ſecretò.

Hinc diſcam non eadem ſemper ratione eadem negotia procuranda, ſed pro diuerſis locis ac rebus diuerſas etiã vias eſſe capeſſendas: parum prudenter ſe gerit, qui eandem ſemper viam tenet.

O ſanctiſſime ſpiritus tuo ductu mihi hoc in itinere vtendum, dirige obſecro

greſſus meos, vt gloriam & honorem tuum perpetuò ſpectent.

2. Nullius precibus adductus adoleſcentem Naimiticum excitauit: vt verò puellam ad vitam reuocaret, Iayrus illum orauit; vt Lazarum, Magdalena ſoror, ſicut in oratione B. Magdalenæ Eccleſia confirmat. Hinc habes Deum quandoque ſua dona ex mera liberalitate conferre, quandoque bonis illa operibus noſtris rependere.

Quod verò precibus flecti ſe paſſus eſt Chriſtus, vt duos viuere iuberet, vnum verò ſua ipſe ſponte ſuſcitarit: doceri me intelligam, etſi magnum in Dei miſericordia præſidium poſitum eſſe ſciam, vt à peccati morte ad gratię vitam redeam, enitendum tamen eſſe mihi, & ad laborandum quantum in me erit, ne mihi defuiſſe videar.

3. Vt Iayri filiam excitaret Chriſtus, illam manu prehendit; vt iuuenem Naimiticum, loculum tetigit; vt Lazarum, lacrymatus eſt, multáque alia dedit doloris ſigna.

Ex his diſce, Anima mea, Deum non eādem in omnibus peccatoribus ad meliorem viam vocandis ratione adhibere,

Alios enim infirmitas, ignorantia alios, alios nequitia in peccatum rapit. Primis, vt minus reis, manum porrigit, non ſecus ac puellæ, beneuolentiámque ſuam exhibet, vt eorum infirmitatem corroboret.

Secundos morbo aliquo afflictat, velut pheretrum tangens, neque enim potentiori vllo pharmaco ſanatur ignorantia, quàm vexatione, cuius eſt animum erudire.

Tertium verò genus, quò capitaliore morbo laborat, eò difficiliùs curatur, eſt enim longè difficillimum peruicacem & reluctantem flectere voluntatem: hinc illæ lacrymæ, gemitus, & alta ſuſpiria, quæ in quatridiano Lazaro excitando Christus adhibet.

4. Excitata puella, ambulat; adoleſcens ſedet in pheretro, Lazarus ſtat, ſed manibus & pedibus ligatis.

In puella illas animas agnoſces, quæ ſtatim à conuerſione ſua viam virtutis ingreſſæ, bonis operibus ſtudent.

In adoleſcente, eos qui peccandi occaſiones non illico remittunt, ſed gradatim & lentè pedem efferunt, vt hic adoleſcens è cippo.

In Lazaro magnum eorum numerum, qui ê peccatis emerſi, vinculis tamẽ prauarum conſuetudinum grauiſſimis impediuntur, itáque diſtinentur vt ægrè ad viam perfectæ vitæ aſpirent.

Hîc ad Deum conuerſa exclamabis, ô Domine, da vt ſim in primorum ſtatu, vt ambulem, curram, & ſi fieri poteſt, volem per viam mandatorum tuorum, & omnibus illecebris peccati repudiatis, diſruptíſque tenacibus cupiditatum nexibus, ſacrificem tibi hoſtiam laudis.

5. Puella mortua, domi; ad vrbis portas, adoleſcens; Lazarus in ſepulchro excitatur. O Anima mea, quàm multa hîc eſſent expendenda! At ſi memineris alia eſſe peccata.

Cogitationis, quæ in corde velut in domo propria committuntur.

Verborum, quæ ex ore velut quibuſdam foribus progrediuntur.

Operum, quæ in tumulo fœtidarum actionum perficiuntur, non erit admodum difficile copioſam hinc meditandi ſegetem colligere, & Dei laudes prædicare, qui nos è triplici morte vindicat, quam triplex iſtud peccatorum genus importat.

Digitized by Google

Colloquium.

Domine, qui de te ipſo dixiſti te reſurrectionem eſſe & vitam, ab immenſa bonitate tua contẽdo, vt animam meam gratia tua ita confirmes, vt peccati mortem nunquam experiatur: & cùm Archangeli tui tuba in extremo mundi actu audietur, non modò reſurgam, ſed in electorum tuorum numerum veniam atque tranſcribar. *Pater noſter, Aue Maria.*

Digitized by Google

MEDITATIONES QVARTÆ HEBDOMADÆ.

DIE LVNÆ.

De inſtitutione S. Sacramenti.

O QVAM verè dulciſſime Ieſu, de te dictum eſt, cùm dilexiſſes tuos in finem te dilexiſſe eos. Qui enim amor ille tuus, quis charitatis ardor? vt extrema vitæ tuæ nocte, qua homines exquiſitiſſima tormenta machinabantur, quibus vitam tibi eriperent, eadem tu nos vt à morte vindicares, carnem tuam in cibum, & ſanguinem in potum noſtrum conuerteres? niſi rigidiſſima glacie cor meum concreuiſſet, annon ad vehementes illas amoris flammas penitus diſſolueretur?

O mitiſſime & liberaliſſime Ieſu, fac vt

Digitized by Google

aliqua ſaltem dilectionis illius ſcintilla in corde meo accendatur, qua excitata, amori amorem rependam, ſanctiſque affectibus incaleſcam, dum immenſum munificentiæ tuæ pignus quod in hoc auguſtiſſimo ſacramento exhibuiſti meditando perpendam.

Capvt I.

EXQVIRAM cauſas quæ Chriſtum permouerunt, vt tam liberaliter nobis corpus ſanguinémque ſuum in hoc diuino ſacramento exhiberet, atque admirabor eas, licèt permultæ variæque afferri poſſint, omnes tamen ab vnius amoris fonte proficiſci.

1. Si enim id egit vt tenerrimum illud deſiderium aperiret, quo nobiſcum ſemper verſari cupit, iuxta illud, *deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum*; non tantùm vt Deus eſt, ſed etiam vt homo, an non amoris eſt?

2. Si vt à nobis inſidias inimicorum noſtrorum auerteret, vti cecinit Dauid: *Paraſti in conſpectu meo menſam aduersùs eos qui tribulant me*, annon amoris eſt?

3. Si vt Eccleſiam ditiſſimo hoc pignore locupletaret, faciliorémque ad ſe

aditum præberet; & hoc amoris eſt.

4. Si vt præſentiſſimam ſui ſuæque paſſionis memoriam in animis noſtris conſeruaret; & hoc amoris eſt.

5. Si quia ipſe tanquam cœleſtis ſponſus in votis habebat, vt à ſponſa ſua vnicè diligeretur, ideo ferculum hoc vt ſanctiſſimum potentiſſimúmque philtrum ad eius animum ſibi conciliandum excogitauit, & hoc amoris eſt.

6. Si vt æternæ vitę pignus haberemus quod animos nobis adderet, vt expeditiores per aſpera huius vitæ miſeræ impedimenta euolaremus; & hoc amoris eſt.

7. Si vt idoneum alendis fouendiſque animabus noſtris cibum ſuppeditaret, vti adeò abundantem & copioſum corporibus tribuit; & hoc amoris eſt.

8. Si vt hominem in priſtinum dignitatis gradum reſtitueret, tantũmque gratiæ ſuæ adminiculis eum attolleret quantùm ipſum culpa depreſſerat, imò etiam altiùs; & hoc amoris eſt.

9. Si vt ipſe verus Eccleſiæ paterfamilias è viuis exceſſurus teſtamentum condens hunc ei theſaurum immenſum delegaret; & hoc amoris eſt.

Digitized by Google

10. Si vt Chriſtianis facultatem tribueret, qua Deo pro tot collatis in ſe beneficiis facere ſatis poſſent, repenſo ei tanto munere; & hoc amoris eſt.

11. Si vt Incarnationis opus quodammodo perficeret, & vt ita dicam conſummaret, nimirum vt quemadmodum in ea vnicum humanæ naturæ indiuiduum perſonæ ſuæ copulauit, ita ſe obtulit vt ſingulis priuatim ſeſe communicaret, perfectiſſimóque vinculo gratiæ cum illis iungeretur; & hoc amoris eſt.

12. Si vt mirabilium gratiæ operum omnium epitomen faceret admirandam, non ſecus vt in hominis creatione, naturalium perfectionum quoddam quaſi breuiarium condiderat; & hoc amoris eſt.

13. Si vt quemadmodum cibus nobis mortẽ attulerat ex edicti illius formula, *Quacumque die comederis morte morieris*: ita alius nobis cibus pignus eſſet immortalitatis, iuxta illud: *Qui manducat ex hoc pane viuet in æternum*; & hoc amoris eſt.

14. Si vt homini ſuppeteret, vnde maieſtati diuinæ cultus debitus tribuere-

Digitized by Google

tur, vt quoniam ei infinita debetur adoratio, infinitum pariter ei ſacrificium homo poſſet offerre; & hoc amoris eſt.

15. Denique ſi vt figuræ terminum haberent, & prophetarum implerentur oracula, quibus repudiatis animalium ſacrificiis, vnica hoſtia munda, ſecundùm ordinem Melchiſedech toto orbe offerenda ſignificabatur; & hoc amoris eſt.

O digniſſimum igitur veriſſimi amoris ſacramentum, dilectionis effuſæ pignus, inauditæ ſingulariſque bonitatis conſilium, inſtitutio miſericordiæ nunquam ſatis enarrandæ, ardentiſſimum incendium charitatis!

Quid ô amantiſſime Ieſu, quid pro tam effuſo amore rependam, niſi amorem? vtinam adeò conſtantem eum referre poſſem, vt voluntatem meam æternis vinculis tuæ voluntati obſtringerer, ita vt poſtea diſſoluere nexum illum nihil poſſet, non tribulatio, non anguſtiæ, non perſequutio, non gladius, non vita, non mors, non præſentia, non futura, non, vt vno verbo dicam, res vlla.

Hoc eſt quod meis viribus aſſequi

non poſſum, quódque à te, amiciſſime Ieſu, per ſinceriſſimum potentiſſimúmque amorem tuum tenerrimè expoſco.

Capvt II.

Qvam multiplices & admirandos effectus habeat cibus iſte diuinus, diligenter attendam: quorum præcipuus eſt vt hominem in Deum quodammodo tranſmutet: cùm enim Saluator ſe panem viuum eſſe pronuntiarit (nam ſub ſpeciebus panis viuit in ſacramento) ſitque illud cibum inter viuum & mortuum diſcrimen, vt iſte cõuertatur in ſubſtantiã eius qui eo paſcitur, ille verò contrà, paſcentem in ſe conuertat, illíque perfectiones ſuas impertiat: hinc omninò conficitur, eum qui ſacro hoc pane nõ indignè reficitur, quodam modo in ipſum cõmutari. Itaque quemadmodum virtute verborum ſacramenti propriorum, qui panis erat, in Chriſti corpus tranſit; ita homo qui antequam huic menſæ accumberet, dũtaxat homo erat, poſtquam conuiua factus eſt, Deus ſpiritali quadam ratione efficitur, & diuino ſpiritu animatur.

Hoc maximè videre licet in his qui vt par eſt diuina hæc obeunt myſteria,

ſic enim in ipſis diuinæ dotes elucent, vt diuinam quodammodo naturam induiſſe videantur.
1. Deus ſibi ſufficit, nec aliunde quietem & beatitatem ſuam haurit; illi vno Deo delectantur, in eo velut vnico felicitatis ſuæ centro acquieſcunt.
2. Habitat Deus lucem inacceſſibilem, nec tenebræ eius domicilium attingunt; Illi tanta luce circunfunduntur, adeóque illuſtres à fide radios accipiunt, ad abditiſſima quæque myſteria mente capienda, vt iam gloriæ lumen poſſidere videantur.
3. Voluntas diuina recta eſt, imò rectitudo, & iuſtitia ipſa; illorum voluntas à peccato ſemper abhorret, neque raro euenit, vt inter dormiendum (etſi ſui iuris minimè ſunt) cum eo pugnent, nec minùs illud profligent quàm ſi magna cum animi attentione vigilarent.
4. Deus vt Deus eſt, paſſionibus caret, vt homo quaſdam ſuſcepit, ſed quas in poteſtate ſic haberet, vt non niſi iuſſæ mouerentur: habent & illi ſuas, ſed ita domitas vt plurimum & compreſſas, vt retuſi planè illarum ſtimuli videantur, qui hominem alioqui plerumque ef-

ferunt atque perturbant.

5. Viuit Deus & ſeipſo viuit: & Deus illis vita eſt, poſſúntque illud Apoſtoli vſurpare: *Viuo ego iam non ego, viuit verò in me Chriſtus.*

6. Deum prout Deus eſt, tentationibus vllis exponi nefas eſt, humana verô illius natura hanc ſubiit aleam, ſed magno cum aduerſarij dedecore: incidunt & illi in inſidias, ſed tam præſenti Dei ope roborantur, vt hoſtes nullo negotio in fugam vertant, adeóque intrepidi euadunt, vt cunctantes non raiò aduerſarios ad conſerendas manus prouocent: hinc illa Chryſoſtomi vox: *Tanquam leones ignem ſpirantes ab illa menſa recedamus facti diabolo terribiles.*

7. In Deum nec cadit, nec cadere vlla triſtitia poteſt: anguntur illi quidem aliquando, ſed leniter, facilè enim mœſtitiæ nubem ſpes illa depellit, qua certò ſperant lacrymas ſuas breui eſſe abſtergendas, qua quidem cogitatione adeò ſuauiter interdum colliqueſcunt, vt magnam illis res aduerſæ voluptatem afferant, maximè poſtquam ad ſacram menſam accubuerunt, in qua puriſſimos conſolationum liquores ex ipſiſ-

ſimo fonte deguſtant.

8. Hinc fit, vt quemadmodum abundantiſſimè ſeipſo ſatiatur Deus, ſic animæ illæ adeò cumulatè reficiantur, ſpiritalíque gaudio repleantur, adeò alta fruantur animi tranquillitate, domitis omnibus animi cupiditatibus, vt nullam niſi Dei famem ſentiant, dicántque cum ſancto Franciſco: Deus meus & omnia, Deus meus & omnia.

Quare ô Anima mea, cùm tibi mutationis huius veritas, & admiranda huius ſacramenti effecta liqueant, facilè inde quoque cōiicere potes quàm longè abſint à ſpiritalibus & diuinis, ſordidæ carnis deliciæ: iſtarum enim abundantia faſtidium & nauſeam parit: illarum acceſſio ſitim & cupiditatem accendit. O cibum igitur cum nullo conferendum! O dapes verè ſuperſubſtantiales! O inexhauſtum gratiarum fontem! O immenſum diuitiarum theſaurum! ô ſacramentum ſacramentis omnibus maius! ô ſanguis! ô caro redemptoris mei! malorum omnium noſtrorum mors, bonorum vniuerſorum efficaciſſima cauſa, quæ figuris veteribus finem imponens, legis altaria omni honore ſpoliaſti!

Quàm multis nos commodis defraudamus; cùm ſponte à tui perceptione ceſſamus!

Verùm cùm adeò copioſi & eximij ab hac vitæ arbore fructus prodeant, vnde tanta illorum penuria in plurimis, imò pleriſque omnibus, qui ad hos fructus decerpendos frequenter accedunt: id ſcilicet expendam.

Capvt III.

Rationemqve eius rei ab Angelo meo præſide accipiam; eúmque ſic alloquentem me audiam: Anima cariſſima, res omnis agit pro diſpoſitione materiæ in quam agit: ab ſole dureſcit limus, cera liqueſcit; arida ligna citò conſumit flamma, humentia lentè, tardiſſimè virentia comburit.

Idem in Euchariſtia vſuuenit: mortem illis affert qui capitali ſcelere contaminati ad eam accedere non verentur: in aliis plus minúſve gratiarum operatur, pro cuiuſque pietate & ſtudio quo ad illam excipiendam ſeſe compararit.

Atenim quàm multos videre licet qui ſordidata mente accumbunt? infinitum propè illorum numerum eſſe dixerim. Plerique confeſſione quæ ad expiandas

poſt baptiſmum mentes inſtituta eſt,ad ſuas ſordes abutuntur,vel quòd integritas illi deſit,vel quòd flagitiorũ ſuorum illos non ſatis pœniteat,vel quòd non ſatis exactè rationem ſuorum delictorum inierint, vel quòd veram emendationem vitæ non ritè propoſuerint, aut ob alia vitia cum ſacrilegio ſæpè coniuncta.

Qui ſic diuinas epulas participant, iudicium ſibi manducant & bibunt. Quid igitur mirum eſt adeò raros eſſe qui hoc frumenti adipe pingueſcant? adeò verò frequentes eos eſſe, qui licèt hæc myſteria obierint,nihilominus,aliquando verò fœdiùs in cœno deliteſcunt? Nimis heu (ſubiiciam ego)nimis Angele ſanctiſſime vera ſunt quæ refers, vtinam heu meo ipſius exemplo hæc confirmari non poſſent, quæ toties indignè ſanctiſſimas epulas vſurpaui! verùm aderis mihi amabo deinceps piiſſime cuſtos, ne eòdem me ſcelere polluam, atque vnde vitam haurire debeo, mortem non traham: cùm dies inſtabit quo ad cœleſte conuiuium vocabor, ſuggere mihi ea quæ me Deo meo acceptam facere poſſint.

PERORATIO.

Tu verò dulciſſime Ieſu da vt ea ritè

Digitized by Google

exequi & perficere valeam,&c. *Pater noſter, Aue Maria.*

DIE MARTIS.

De paſsione in vniuerſum.

HEv quàm grauis eſt mihi cordis mei durities! Cùm amici Iob ad eum conſolandum perrexiſſent, miſerúmque ſtatum in quem collapſus erat aduertiſſent, adeò obſtupuerunt, vt totos ſeptem dies elingues & velut abſque ſenſu perſeuerarint.

Ego verò, heu ego in redemptorem meum grauiſſimis confectum vulneribus, ærumníſque oppreſſum innumeris oculos coniicio, nec vllo penè dolorum ſenſu commoueor! Crudelis! ſiccine auguſtum Domini tui caput acutiſſimis confoſſum ſpinis contemplabere, nec vllo mœroris aculeo configeris? Ergóne oculos illos amantiſſimos lacrymis pro te effuſis natantes videbis, nec vllam commiſerationis lacrymulam è cordis tui pumice exprimes? diuinas intueberis genas cruore & tabo diffluentes, tuæ verò aridæ in riſus tam facilè ſoluentur, quàm ſi vacuus aliquis dies eſſet hilariter

agendus ? aſpicies manus tot miraculis claras trabalibus clauis in cruce confixas, tuas autem lentas & graues experieris, vt in cœlum gratiarum agendarum cauſa attollantur? incurret in oculos tuos hians lateris vulnus, Romani militis lancea inflictum, nec vllo triſtitiæ telo tranſuerberari pectus tuum ſenties ? ô Domine patere aliqua ſanguinis tui guttula cor hocce adamantinum aſpergi, vt eius calore, ſi non in fruſta diſſiliat, at ſaltem in hac meditatione molliatur.

CAPVT I.

REQVIRAM quis ille ſit qui patitur.

Sanctiſſime vates Iſaia, quandoquidem tibi abditiſſima Deus arcana patefecit, cùm Deum Sabaoth in editiſſimo gloriæ ſuæ ſolio eminentem videris, cùm ardentibus prunis labia tua Deus expurgarit, vt myſteria nobis diuina reſerares, age, declara nobis quis ille ſit tam miſeris acceptus modis, in quem fratres tui Iudæi adeò immaniter ſæuiunt atque bacchantur ? *Vidimus eum*, inquit, *& non erat aſpectus, & deſiderauimus eum, non erat ei ſpecies neque decor*: hoc vnum dicere va-

leo, *deſpectum illum & nouiſsimum virorum eſſe, virum dolorum & ſciētem infirmitatem, & quaſi abſconditum vultum eius eſſe. & deſpectum, unde nec reputauimus eum.* Heu me, ſatis iſta noui, aliud ego de ipſo quæro.

Beatiſſime Petre princeps Apoſtolorum, cui regni cœlorum claues ſunt commiſſæ, enarra obſecro, ſignifica mihi quis ſit iſte: tu enim perfamiliariter cum illo egiſti, & conuictor eius fuiſti. O homo, inquit, neſcio quid dicis. Ah ah Petre quæ eſt iſta tua reſponſio, hanccine à te potui expectare? ſed ne vrgeamus illum, Anima mea, periculum enim eſt ne deieret, & ſe anathemate obſtringat ſi eum norit. Romanorum præſes Pilatus ſententiam in eum tulit; non ſolet iudex pronuntiare non cognito reo: age ergo Pilate dic nobis, quis ille eſt quem funeſto ſtipiti addixiſti? cuius ſceleris quæſitorum tabulæ reum illum faciunt? *Iuſtus* eſt, ait, *& non inuenio in eo cauſam:* illum tamen capitali ſupplicio plectendum tradidi, vt Tiberij Imperatoris iram quam Iudæi intentabant, à capite meo deprecarer. Cæterùm ſi de me noſſe cupis quid de illo ſentiam, flecte

oculos ad elogium crucis, cauſam enim mortis in eo exaratam offendes, *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.*

O Anima mea, hic ille eſt qui patitur: Ieſus vindex & liberator tuus: Nazarenus, omni ſcilicet gratiarum viriditate floreſcens; Rex Iudæorum certè, imo & Gentilium, imò & cœli & terræ, qui pro ſingulari ſuo in te amore in eas compingi ſe anguſtias paſſus eſt. O beatæ mentes agite obſecro, agite gratias pro me immortales, &c.

Capvt II.

PRo quo patitur? pro peccatoribus & nequam hominibus. Peccatum, Anima mea, tria homini grauia vulnera inflixerat.

1. Dei inimicitias in eum prouocauerat: *Eramus enim natura filij iræ.*

2. Satanæ iugo ſubmiſerat: *Qui facit peccatum ſeruus eſt peccati. Diabolus pater veſter.*

3. Fœdis ſordibus eum polluerat: *Si laueris te nitro, & multiplicaueris tibi herbam borith, maculata es in iniquitate tua.* Hæc triplex plaga, triplici fuit curatione delenda.

Primò enim in gratiam cum Deo redire neceſſe erat.

Secundò, homo ab ergaſtulo Satanæ ſoluendus & libertate donandus.

Tertiò, labes eius erant eluendæ.

Igitur ad conciliandam Dei beneuolentiam, ſacrificio: ad redemptionem, pretio: ad ablutionem, balneo erat opus.

Præterea ad ſacrificium hoſtia; ad pretium aliquid auro maius, ad balneum aliquid aqua pretioſius requirebatur.

En igitur Dominum tuum, Anima mea, qui ſe vt hoſtiam altari ſiſtit, *tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo.* Sanguinem ſuum pretioſiſſimum pro pretio offert, vt enim ſanctus ſcribit Petrus: *Non corruptibilibus auro vel argento redempti eſtis, ſed pretioſo ſanguine quaſi agni immaculati Chriſti & incontaminati.*

Atque hic ipſe ſanguis lauationem ſuppeditauit, teſte amantiſſimo diſcipulo, dilexit nos & lauit nos in ſanguine ſuo.

Quàm effuſa & interminata bonitas! quàm immenſa miſericordia! quanta vis amoris! vt pro m[illegible] homuncione

Digitized by Google

fumo leuiore, vnda mobiliore, glacie futiliore, pro flagitioſis perduellibus, diuinæ legis contemptoribus, ad cœleſtia iuſſa obſurdeſcentibus, conculcantibus veritatem, gloriam eius aſpernantibus, Deus maieſtatis ad iram prouocatus, facere ipſe ſatis voluit, & diriſſimas voluntariæ mortis pœnas ſubire.

CAPVT III.

DABO operam vt pœnarum grauitatem, quas Chriſtus pertulit aliqua via cognoſcam.

Sed quid ego concipiam quod ad illas accedat? O Domine, quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, vt tam dira tormenta vberibus lacrymis proſequar?

Optarem ſanè vehementer, vt tot pro te, piiſſime Ieſu, lacrymas effunderem, quot pro me cruoris ſtillæ è laceris membris tuis fluxerunt, ſed lapidis inſtar cor meum, Domine, obdureſcit, percute ergo illud crucis tuæ virga, & de ſaxo duriſſimo fluent imbres non ſecus vt olim è rupe fontes manarunt, ſtatim vt ſerui tui Moſis virgam ſenſit. Quod ſi vt rupes obduruit, quandoquidem morien-

Digitized by Google

te te rupes ſciſſæ ſunt, idem quæſo miraculum ede, & lapidei cordis mei duritiem infringe. Sapientes noſtri tradunt eos cruciatus quos pertuliſti, omnibus aliis quos quis aliquando in hac vita ſit expertus, doloris magnitudine fuiſſe ſuperiores, adductíque ſunt id vt crederent conſiderato ſingulari tuo temperamento. Argumento eſt ſudor ille ſanguineus, cui parem nulla vnquam ætas vidit.

Qui martyrij lauream per ſupplicia ambiuerunt, ij cœleſtibus delibuti conſolationibus, inter medios equuleos lætitia geſtiebant.

Tu verò prorſus omni ſuauitate deſtitutus ſingula corporis tui membra ſingulari dolore torqueri voluiſti.

Auguſtum illud caput, cuius ad conſpectum cœleſtes virtutes inclinantur, aſperrimis vepribus transfixum fuit.

Facies illa omni facie ſpecioſior, fœdum in modum ſputis aſperſa ac turpiſſimè deformata.

Oculi illi, matutinis aſtris clariores mortis nebula obducti. Aures illas quas Angelorum chori permulcere conſueuerant, blaſphemæ impiorum voces, &

pertinaces exprobrantium contumeliæ impleuerunt. Os illud è quo ſacri eloquij flumina manarunt, felle perfuſum. Manus illæ quæ claudos erexerunt, ſanarunt leproſos, mortuos excitarunt, multiplicarunt panes, cruci ſunt crudeliter affixæ. Pedes illi qui gigantæis greſſibus poſt ouem errantem abierunt, quos ſubſtratæ marmoris inſtar vndæ geſtarunt, qui draconis antiqui caput contriuerunt, pedes illi cruci ſunt illigati.

Latus illud ſanctitatis tabernaculum, ſedes amoris, domus pacis, gratiarum penus, lancea recluſum & reſeratum eſt.

Corpus illud ſanctiſsimum, ſpoliatum penitus ac nudatum, aëris inclementiæ expoſitum in ore & oculis omnium, vt inſanientis populi conuitiis configeretur, ſingula membra velut fidiculis extenta vt facilè poſſent oſſa dinumerari.

Quis verò dicendo conſequatur quàm ingens fuerit triſtitia, quæ mentem tuam ô domine obſidebat, cùm ei funes, alapæ, verbera, flagella, & totus ille tormentorum apparatus obiiceretur?

Herodes illuſit tibi, Pilatus ſententiam tulit, è diſcipulis vnus prodidit,

Digitized by Google

eiurauit Apoſtolorum tuorum princeps, deſeruerunt reliqui, accuſarunt Pontifices, vt amentem milites circunduxerunt, populi clamores morti addixerunt.

O amor omnium domitor, quomodo tunc adeò crudelem te præbuiſti, in eum quem parentem agnoſcis? Quî fieri poteſt, vt qui tam blandus & ſuauis es erga omnes, in eum vnum durus adeo eſſes à quo originem ducis? Sæuiat in me potiùs crudelitas tua, atque id age vt amanter multa pro illo patiar, qui à te expugnatus tam multa pro me perpeſſus eſt.

COLLOQVIVM.

O Domine, tu omnia in numero pondere & menſura condidiſti, mare, terra, aër, ignis certis finibus & legibus definiuntur, ingens eſt ſtellarum numerus, at eas quotquot ſunt dinumeras, & ſingulas nominibus appellas ſuis. Vnum eſt hoc amoris & miſericordiæ opus, quod menſuram nullam, nullos terminos admittit, ſed cogitationes ſuperat, quo tu flagrans, deſideriis maiora præbuiſti, omnémque ſpem longè viciſti. Nunc demum ſatis intelligo cur paſsionem tuam exceſſum vocari volueris. O Domine, vtinam hoc exceſſu amoris efferri me

iuberes! Annue votis meis dulciſsime Ieſu, qui cum Patre & Spiritu ſancto, viuis & regnas Deus in ſæcula ſæculorum, Amen. *Pater noſter, Aue Maria.*

DIE MERCVRII.

De geſtis in Oliueto.

QVI in verticem Thabor montis cum Chriſto aſcenderant, eius vt gloriam magna cum animi voluptate cernerent, ij diſcipuli in collem olea conſitum, cum magiſtro pergere iubentur, vt cruentas illas paſsionis primitias ſpectarent, quibus penè exhauſtus eſt. Enitere, Anima mea, ad cliuum huius montis, & à Domino Deo tuo poſtula commiſerationis affectum, ne tibi velut indormiſcentibus Apoſtolis exprobret illis verbis: *Non potuiſti vna horà vigilare mecum.*

Minimè ſanè ſomniculoſam te eſſe conuenit, cùm à ſceleratiſsimis & crudeliſsimis hoſtibus Dominus tuus comprehendi ſe patitur, vt tuæ conſulat libertati.

Digitized by Google

CAPVT I.

EXPENDAM verba illa quibus apud cariſſimos diſcipulos Petrum, Iacobum, & Ioannem vſus eſt, vt illas animæ ſuæ anguſtias exprimeret, in quas libens ſe coniecerat: *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem*. Quibus verbis ille ſuberat ſenſus: tanta eſt & tam grauis triſtitiæ moles quæ me inuaſit, vt ea obruere me omnino poſſit, niſi vitam meam duriori morti vellem eſſe reſeruatam. Id enim egit piiſſimus liberator, vt ab ipſo paſſionis ſuæ exordio omnibus omnino ſolatiis deficeretur, etiam illis quibus antè fruebatur, cùm cogitaret illa ſibi imminere tormenta ad Patris ſui gloriam amplificandam; & ſalutem noſtram comparandam.

Eam ob rem ab inferiori animi parte omnem exulare ſuauitatem iuſſit, eiúſque locum timorem, tædium, triſtitiam ſubire, & quàm vehementiſſimè poſſent ſæuire permiſit.

Quorſum verò hæc, Anima mea?

1. Vt cumulatiùs pro nobis ſatisfaceret.

2. Vt effuſam lætitiam hominum, hoc

remedio expiaret.

3. Vt dolore ſuo, doloris illius noſtri leuitatem compenſaret, quem concipimus cùm flagitiorum veniam poſtulamus.

4. Vt martyribus inuictam illam animi conſtantiam impetraret, quam inter ſupplicia prætulerunt.

5. Vt quemadmodum ad formandam Euam os eius aſſumptum eſt, & eius loco repoſita caro infirma: ita ad Eccleſiam procreandam ſecundus Adam robur nobis ſuum impertiit, noſtras verò induit infirmitates.

Benedicant tibi Domine ſancti omnes in æternum, quòd tam ſolerti via vires noſtras fractas erexeris & confirmaris.

CAPVT II.

EXPENDAM orationem quam Chriſtus habuit ſeceſſione à diſcipulis facta. *Pater ſi poſſibile eſt tranſeat à me calix iſte, vt non bibam illum: verumtamen non mea voluntas, ſed tua fiat.*

Hæc oratio ab inferiori parte animæ oritur, ſuperiore non repugnante, vt redemptor tuus, ô Anima mea, vehementiùs torqueatur.

1. Igitur aduerte Chriſtum receſſ vt diſcas in loco ab arbitris remot randum, ad fugiendas vagi animi e tiones.

2. Vultu in terram proſtrato ſuam ſtituit orationem, vt qua demiſſione bis adeundus ſit Deus edoceat, pu rémque nobis incutiat vehemente qui licèt vermiculi ſimus abiectiſſim ægrè tamen de genu Deo Opt. Ma preces noſtras offerimus.

3. Vt vox illa, Pater, fiduciam parit, i illuſtris illa voluntatis abdicatio faci ſignificat cupere Chriſtum, vt ipſi exemplo cupiditatibus noſtris nuntiur remittamus, & prauas ſenſuum propen ſiones exuamus.

4. Tertiò eandem repetit orationem, vt diſcamus conſtanter precibus inſiſtere, nec animum ſtatim deſpondere, ſi poſtulatis noſtris non fiat ſatis. Orationi finem vbi impoſuit, Angelum diuinitus adeſſe videt, qui iacentem erigat, itáque animos illi addat, vt triſtitiæ cauſam non reuellat. Illam igitur orationem ab infirmiori hominis parte profectam æterno Patri gratiam fuiſſe retulit, quòd ea hæretici conuinci poſ-

ſent , qui vero corpore Chriſtum ſpoliarent.

Hæc eadem pars vt perfectiſſimè diuinæ acquieſceret voluntati, totam ſe Dei arbitrio permiſit , vt eius nutu non ſuo regeretur.

At occurrente mœſta triſtitiæ ſpecie, viréſque ſuas contendente , graui diſsidio cuncta miſcentur: adeò ſiquidem potenter horror inſurgit , adeò conſtanter mens obnititur, vt ſancta illa humanitas funditus concutiatur , ita vt exhauſtis viribus, ſoluti pori, hiantéſque venæ ſudorem ſanguineum fundant copioſum , quo ſubiecta terra irrigatur.

In tantis poſitum anguſtiis vindicem & liberatorem meum non deſeram , ſed eum ſic compellabo.

O Domine, quàm acerbi cruciatus tui fuerunt, quàm grauis & horrenda mors, cùm ad ſolam eius cogitationem tam inſolenti ſudore diffluas!

In ardentiſsimæ febris æſtum nos primi parentis culpa conieccerat : ſudoribus ſoluendus & diſcutiendus erat morbus, diu quidem ille vnà cum filiis ſudauerat poſt illam iudicis ſententiam : *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo*. ſed ille ſudor

Digitized by Google

ſanitati nos perfectæ reddere non poterat: tuo Chriſte ſudori ſalutis noſtræ reſtitutio debebatur.

Annon ſatis eſſe lacrymæ illæ debuerant, quas tum iuges ex oculis tuis profluere iuſſeras, cùm inter mortales ageres? illis amor tuus minimè ſatiatur: cruentis ergo imbribus totum corpus madere permittis, vt aqua ſimul & ſanguine myſticum Eccleſiæ tuæ corpus eluas.

Certè feruente aqua vas ſuperfluit: æſtuabant ſacro dilectionis calore corporis tui venæ, ex hoc vaſe liquor ille erumpit, qui cupiditatum noſtrarum ardorem reſtinguat.

Elephantiaſis turpiſsima totum inuaſerat mundum: elephantiaſi depellendæ puerorum ſanguis eſt aptiſsimus: tu ergo vnigenitus Patris, & Mariæ tuum libentiſsimè porrigis, ac penitus effundis.

Iterum omnis caro corruperat viam ſuam, eluuione igitur magna tanta lues erat expurganda: ſublatis ergo omnibus repagulis & ſeptis ſacrum corpus tuum aperiendum erat, vt aqua ſimul & ſanguis erumperent, & miſericordiæ flu-

uius omnia inundaret.

Fluit igitur in terram, id eſt, in homines terrenos Adæ poſteros ſacer cruor, Angeli verò perduelles eo minimè expiantur.

Quibus ergo gemitibus ingrati animi mei vitium proſequar? nam cùm periculoſiſsimũ ſit, eum qui ſudore manat refrigerare: me miſeram! cùm pro tot ac tantis beneficiis gratias agere immenſas debuiſſem, concretam rigentis cordis glaciem tibi, ſudore, & eo ſudore diffluenti admouere non deſtiti.

Capvt III.

CONTEMPLABOR proditorem vnà cum militari cohorte quam ad meditata ſcelera perficienda acceperat aduolantem, oſculúmque Chriſto ſeruatori libantem, vt eo ſigno illum eorum ludibriis exponeret, qui inteſtinis in eum odiis à multo tempore flagrabant. Ah infelix, non iam Apoſtole, ſed Apoſtata! quantum in ſcelus ruis, cùm eum tàm turpiter ad mortem prodis, qui tam benignè tam multa in te beneficia congeſsit.

Digitized by Google

Cùm ſe domeſticis in balneis, Suſanna in horto lauaret, intercepta ac rea facta, quòd ſordidis adhinnientium ſenum voluptatibus acquieſcere noluiſſet morti eſt adiudicata. Ita, ô Anima mea, dum dilectus tuus in colle olea conſito, ſanguinis lauationem vſurpat, rapitur in vincula, & Satanæ miniſtris vinctus traditur iudicandus. Inſanus amor Suſannam prope perdidit: fictus amor Dominum tuum proditoribus addixit.

At quæ in illum vires ſuffeciſſent, niſi ipſe ſuas remiſiſſet? ſolo verbuli vnius fulmine inimicos ſuos proſtrauit omnes? quàm ergo erat illi integrum, ſi ſe ſubducere voluiſſet?

Cùm verò eum funibus vincirent, niſi funes illos torquibus prætuliſſet, quibus catenis poterat coërceri? Samſon ſeptem craſſis funibus conſtrictus, eos velut telarum fila euigilans diſrupit. Quantò faciliùs omnia vincula Dei filius diſſoluiſſet, qui quatriduanum cadauer vitæ reſtitutum ſolui ab Apoſtolis imperauit.

Sed qui mori ſtatuit, vincula non fugit: compedibus igitur oneratus torrentem Cedron tranſmittit, inque Ieroſolyma rapitur, vt ante ſceleſtiſſimos iudi-

ces Annam, Caipham, Herodem, & Pilatum ſiſtatur: Heu Anima mea, quàm magno conſtitit ſecundo Adamo, quod primus adeo leuiter furatus erat! Ille temerè nimis manum ad fructus vetitos ex arbore decerpendos in horto extenderat, hic vt latrocinium expiet furis in modum alio in horto coërcetur.

Hinc omninò conficere deberes, Anima mea, non aliud amoris tui erga eum qui te tam impensè dilexit locupletius argumentum præbere te poſſe, quàm ſi ſenſus tuos comprimas, & rationis fræno coërceas, vt ei morigeri ſint & obſequentes.

At enim vbinam gentium tunc eras, ô Virgo deipara? quid agebas? quid meditabaris? hiccine nuntius ad aures tuas peruenit?

COLLOQVIVM

Fiet per conuerſionem ad eandem Virginem, cuius vocem audire mihi videbor, è Threnis Ieremiæ repetitam, vt omnes ad commiſerationem excitet: *O vos omnes qui tranſitis per viam, attendite & videte ſi eſt dolor ſicut dolor meus.* Illam igitur ſuppliciter rogabo, & per acerbiſ-

ſimum dolorem ſuum, pérque ingentem triſtitiæ molem qua filius eius in Oliueto penè obrutus eſt, obteſtabor, vt conſtantiam in aduerſis, & in omnibus promptam ad Dei nutum mentem mihi impetret à Chriſto. *Pater noſter*, *Aue Maria*.

DIE IOVIS.

De iis quæ in domibus Annæ, Caiphæ, Herodis & Pilati contigerunt.

SI deſerto magiſtro diſcipuli ſe in fugam dederunt, cùm in eum hoſtes inuolarent, caue Anima mea, ne illorum exemplo recedas, ſed tantò propiùs ad eum accede, quò eum ab omnibus magis vides deſtitutum, vt acerbiſſimos eius cruciatus animo retractes, & ad eximias virtutes imitandas accendaris.

Heu quàm acerbè in procerum Ieroſolymitanorum ædibus habetur!

Digitized by Google

CAPVT I.

IN domo principis doctorum Annæ Caiphæ ſoceri de doctrina ſua quærentibus, reſpondit publicè ſe, palámque docuiſſe, neque vnquam ſua dogmata obſcuris in angulis aperuiſſe. Hîc emiſſarius quidam perditus, Annæ ſatelles, explicata palma os eius ferit, atque his verbis obiurgat: ſic reſpondes Pontifici? adeò grauem hanc contumeliam ſanctus Ioannes exiſtimauit, vt eam nominatim voluerit recenſere.

Et verò, Anima mea, permoleſtam illam Domino tuo fuiſſe oportet, quando de hac vna expoſtulare voluit, cùm cæteras omnes ſilentio pertuliſſet. Etenim ſi rem momentis ſuis æſtimare volumus, quàm grauem iniuriam illam eſſe dicemus, qua vultus ille ſpecioſiſſimus, cuius aſpectu beatæ mentes ſatiari non poſſunt, qui ſolo nutu totum orbem terrarum labefactare poteſt, vt ille, inquam, vultus infamem abominandi carnificis manum, ſibi tam crudelem ictum infligere patiatur?

Quid ô beatæ mentes, quæ in hoc totius pulchritudinis ſpeculo acquieſcitis,

quæ vindicē diuinæ iuſtitiæ gladium ad manum habetis, cur illum non diſtringitis in deuotum hoc& abominandum caput, iniuriámque Domino veſtro pariter ac noſtro irrogatam non vlciſcimini? quis manus veſtras conſtrinxit, ne execrandam illam manum à ſacratiſſimo vultu auerteretis? Rex Ieroboam ſublata dextra Prophetæ ictum minabatur, cōprehendi eum iubens, ſtatímque manus eius exaruit: hic verò non rex, ſed vilis ſatelles & abiectus homuncio, inſurgit, non in vatem, ſed in Deum ac Dominum vatum, non vt duci iubeat, ſed vt os turpiter attingat, & vos etiamnum ſtatis? & ſacrilegus ille non contabeſcit? & ſibi blanditur, déque tam horrendo ſcelere impune gloriatur, regúmque regi inſultat? quis æquiorem aliquando pœnæ repetendæ cauſam vobis obiecit? vnde tanta, támque inaudita in vobis patientia? intelligo: Tua iſthæc tua eſt, ô Chriſte, patientia, quæ manus cœleſtium miniſtrorum continet, ne in ſceleſtiſſimum caput omnes irarum ſuarum impetus effundant, tu eius manum liberam eſſe vis, vt in te adeo atrociter furat, tibique alapam infligat à tuis meritis &

dignitate adeo alienam.

Pater æterne, per hanc ego te filij tui tolerãtiam oro atque obteſtor, ne in me ſtatim poſt delicta mea animaduertas, ſed tantum mihi ſaltem temporis largiaris, vt me ſcelerum pœniteat meorum quantum huic Annæ ſatelliti in filium tuum adeò contumelioſo tribuiſti.

CAPVT II.

IN ædibus Caiphæ, nihil vſque eo Chriſtum exulcerauit ac eiuratio Petri.

Amore præuio in Pontificis atrium diſcipulus iſte penetrarat, ſed cùm feram illam & barbaram immanitatem vidiſſet, qua diſcerpebatur Chriſtus, ingenti timore perculſus eſt: rapiebant igitur mentem eius alterno æſtu nunc amor, nunc timor: amor magiſtrum agnoſcere & palam illi ſe adiungere ſuadebat; timor reuocabat: amor ducem non deſerere iubebat, iuſſis illius reſiſtebat timor, fluctuantem & ſecum pugnantem muliercula compellat, vrgent opiliones quidam, eúmque cum Ieſu Nazareno fuiſſe vociferantur: trepidare amor, labaro, ruere, timor triumphans eo mi-

ferum adigere, vt Dominum ſacramento interpoſito eiuraret, minimèque ſibi notum cœlo teſte affirmaret. O inconſtantiam & leuitatem hominis! quis aliquam in ſuis deinceps viribus ſpem audeat collocare? quis poſt tam turpem caſum de gradu deiici non timeat?

Iam ſecũdò Galli vox audita, & adhuc obſurdeſcebat Petrus, at cùm tertiò cecinisset, rediit ad ſe, foráſque ſe proripiens, amariſſimè fleuit: cùm enim clementiſſimum oculorum tuorum ſidus ad ad eum (ô dulciſſime Ieſu) conuertiſſes, continuò velut de cœlo tactus obriguit primùm, mox vt ſacer ille ignis in putei fundo concretus, ſtatim ac Machabæo iubente ſolis radios ſenſit, in flammas abiit; ita feruidus ille Petri amor, quem timoris glacies in Caiphæ domo aſtrinxerat, oculorum tuorum radiis excitatus exarſit; ita vt totus repentè Petrus liqueſceret, & in lacrymas abiret.

Flecte amabo, piiſſime Ieſu, flecte ſuauiſſimos illos obtutus tuos in me, vt ex hoc pumice lacrymarum fontes exprimas, quibus ingrati animi mei vitia deplorem, quæ toto vitæ decurſu contraxi. Si enim tam vberem gemendi ſegetem

Petrus offendit, quòd ter nuntium tibi ore tenus remiſerit, in quos ego ſingultus erumpere, quo in plangore luctúque verſari deberem, quæ inſano quodam mundi timore occæcata, non modò te ter non agnoui, ſed centies, ſed millies, neque ore tenus, ſed toto corde, & factis ipſis eiuraui, deſpexi, & procul ablegatum reieci?

Capvt III.

IN ſua Regia, cùm impiiſſimus tyrannus, qui Ioannis caput ceruicibus amputarat, Chriſtum videret ad omnia quę ipſe ſciſcitabatur obmuteſcentem, vt ſtolidum quendam habuit, ſuíſque militibus irridendum obiecit, tum ad Pilatum redire iuſſit amictum veſte alba, quo ſtultitiæ illum inſimularet: hæc in media luce atque oculis & ore omnium geſta ſunt. Ex his liquet, ô Anima mea, Patris æterni ſapientiam, meram ab omnibus ſtultitiam fuiſſe iudicatam: cùm enim is Optimatum animi eſſet ſenſus, quę fuerit vulgi ſententia, facile eſt æſtimare.

Iactatum erat in vulgus illum helluonem eſſe, in perpotationibus frequentem, aucupari conuiuia ſolitum, impio-

rum aſſeclam, Samaritanum, Magum, dæmone familiariter vtentem, nemo tamen hactenus illum inſipientem duxerat, cùm tot illuſtria inſignis ſapientiæ documenta edidiſſet: Herodes tamen ſupra inſanos omnes inſaniens, ſtultitiæ illum accerſit, atque in eundem errorem aulicos ſuos omnes inducit.

Ea ea eſt via, quam hodie terunt cæci mundi huius amatores, tu verò, Anima mea, ſi ſapis nihili planè facies illorum verba, neque vllis illorum opinationibus cum ratione planè pugnantibus ab inſtituta pace dimoueri te patieris, quidquid illi cauillentur: ſtatuere ſiquidem apud te certiſſimè debes, omnes illorum obtrectationes glorioſas tibi & honorificas admodum fore. Is ſaltem honos tibi nunquam eripietur, quòd eadem te ratione iſti habuerint, qua Dominum tuum Herodiani.

CAPVT IV.

IN Pilati prætorio multi teſtes perfidi in Chriſtum inſurrexerunt; Barabas illi præpoſitus eſt, tum flagellis laceratus, ſpinea corona confixus, ſordida purpura illuſus, arundineum geſtare ſceptrum iuſſus eſt.

Digitized by Google

O dulciſſimum iuxtà ac triſtiſſimum myſterium! dulciſſimum nobis quibus tot medicamenta & fomenta parantur, quot ille ſupplicia & cruciatus perfert: triſtiſſimum illi, cuius tot vibicibus corpus, tot doloribus anima conficitur! Inſiſte, Anima mea, his cruciatibus expendendis & attentè conſiderandis, quos ideo ſigillatim non perſequor, quòd eorum cognitio ſit tibi ſatis explicata.

Sed obſecro, rimare ſi potes, quanta fuerit illa abiectio, ſuíque demiſſio, cùm Saluator tuus loris & flagris conciſus, alapis contuſus, pugnis deformatus, ſputis conſperſus, ſordida ſannionis in veſte, ſpinea corona per ludibrium redimitus arundinem ignominioſam præferens, Iudæorum oculis eſt expoſitus, Pilato illis verbis præeunte, *Ecce homo*: ſi enim ethnici hominis cor vſque adeo mollierat, vt nullum tam barbarum & efferatum animum eſſe putaret, qui eo conſpecto non aliquo doloris ſenſu tangeretur, quàm crudeliter deformatum illum eſſe oportuit? quibus opprobriis ſaturatum? quibus confoſſum vulneribus? O Domine, quàm tibi ipſi diſſimilis es? quantum in hoc *lithoſtrotos* loco ab illo mutatus es,

Digitized by Google

quem in Thabore monte glorioſum Apoſtoli conſpexerant?

O Virgo incredibili mœrore confecta, accurre ad hoc ſpectaculum, & attende an filium tuum mortales inter ſpecioſiſſimũ poſſis agnoſcere! filium inquam illũ pro quo tantis doloribus conflictaris, ab eo tẽpore, quo à próditore diſcipulo triginta denariorum pretio inimicis ſuis addictum eſſe accepiſtì: heu adeò malè multatus eſt, vt omnia lineamentorum veſtigia ſint abſterſa! adeò deformatus, vt leproſus videri poſſit, adeò deſpectus, vt opprobrium, & abiectio inſanientis plebeculæ habeatur. Ille ipſe tamen eſt ô Domina: ne igitur, ne huc pedem inferas: ſi enim Ioſephi tunica hœdi ſanguine infecta, ſenem illum Patriarcham & patrem adeo vehementer perculit, quibus aculeis te confodiet illius ſanctiſſimæ humanitatis aſpectus, quam Spiritus S. è puriſſimo ſanguine tuo formauit, cùm eam adeò liuidam, laceram, conſciſſam, cruentam, itáque turpiter deformatam, Pilato oſtentante, conſpicies?

Quòd ſi tantum eſt animi tui robur, ſi ea amoris perfectio, ſi tanta ſimul cum

filio tuo patiendi cupiditas, vt progredi, & in mediam inferre te turbam audeas: da obſecro domina, vt cùm præſes verba illa, *Ecce homo*, pro roſtris pronuntiabit, eadem tu mihi in cordis aurem inſuſurres, vt ingentem doloris ſenſum concipiam, qui perennes lacrymarum imbres ex oculis corporis eliciat, quibus ita mentis oculi purgentur, vt ſquallorem illum & ſitum quo filius tuus obſitus eſt, penetrantes ad intimos animæ receſſus peruadant, tum vt eius dignitatem agnoſcam, qui Angelorum hominúmque caput eſt verus Meſſias à Patre promiſſus, & humani generis vindex & ſeruator vnicus; tum vt egregia virtutum quæ edit documenta, poſſim agnoſcere.

Humilitatem inter tot opprobria: charitatem erga tot inimicos: obedientiam in tot laboribus exantlandis: paupertatem in tanta rerum omnium nuditate: modeſtiam inter tam graues contumelias: manſuetudinem & tolerantiam inter tot iniurias & pœnarum acerbitatem: maximè verò vt effuſum illum amorem aſſequi & imitari queam, quo hortatore tã ignominioſam & pro-

broſam ſpeciem mea cauſa induit.

IN PERORATIONE

Reuoluam ea potiſſimùm capita, quæ inter meditandum me magis accenderint, nominatim verò ab æterno Patre duo impetrare ſtudebo: alterum eſt vt reſpiciat in faciem Chriſti ſui quò mei faciliùs miſereatur, cùm ad eius cruciatus attendet: alterum vt hæc Chriſti patientis ſpecies tam altè animo meo imprimatur, vt eum nullæ voluptatis illecebræ, nulla carnis incitamenta, nulli Satanæ incurſus obliterent: ſed vt in eum perpetuò acie intenta, vitam meam inſtituam, ſecundùm exemplar, quod mihi in monte monſtratum eſt. *Pater noſter, Aue Maria.*

Digitized by Google

DIE VENERIS.

De geſtis in via & monte Caluariæ.

CVM impiiſſimus iudex Pilatus, aliquem æquitatis ſpeciem præferens, innocentem, reum pronuntiare aliquandiu recuſaſſet, eúmque iuſtum eſſe tertiò confirmaſſet, victus tandem importunis tumultuantium Iudæorum vociferationibus & minis, capitalem ſententiam in eum proferens, funeſtæ arbori Chriſtum addicit, vt medius Diſmam inter & Geſmam inſignes ſicarios cruci ſuffigatur. Continuò cuncta ſupplicij inſtrumenta expediuntur: educuntur ex ergaſtulo latrones, Ieſus ſuis indutus veſtibus illis ſocius adiũgitur, & in atrium abducitur, funē collo carnifex iniicit, crucem humeris illius onere oppreſſis: & recluſis valuis, egreditur, ad ſpectaculum confluunt omnes, eius latera lictores & ſatellites circundant, præit tubicen, & rauco æris clangore piarum muliercularum, quæ Chri-

ſtum magnis vlulatibus proſequuntur, gregem abſterret.

Quid agis, Anima mea, cur non pio cœtui te comitem adiungis, aut cur ad ſanctiſſimam & triſtiſsimam parentem non aduolas, quam filij ſui veſtigiis ſanguine tinctis inſiſtentem vides, vt extremum vale ei poſsit impertiri. Heu oculi mei ſi quæ ſunt in vobis lacrymæ, erumpant hoc loco, vt tam lugubre ſpectaculum acerbiſsimè defleatis!

Capvt I.

CONSIDERABO id quod piè creditur, Chriſtum cùm oculos ad Ieroſolymitanas mulieres conuertiſſet, illarum mœrorem vt abſtergeret, matrem cum iis ſuam agnouiſſe, quam fixis oculis cùm intuitus eſſet, illa viciſſim reſpectaſſet, vero ſimile eſt nutibus & mutuis obtutibus ſua ſibi inuicem corda patefeciſſe. O cœleſtes faces, an non ſatis ingens incendium veſtro in pectore exardeſcit, vt hoc aſpectu nouus ignis ſit accendendus? O mitiſſime fili, num vides hos oculorum coniectus tot eſſe gladios acutiſſimos qui amantiſſimæ matris animam transfodiant; mater ſuauiſſima an-

non

non aduertis ex tuo conſpectu non leuem ad filij dolores fieri acceſſionem, quæ te abſente non adderetur?

O amor quàm triſti felle mella tua perſpergis! vt morte fortior es, ita cæteris omnibus ingenioſior es in nouis hiſce cruciatibus excogitandis.

Heu mater (ait intra ſe filius, verbis tamen quæ Angelicæ locutionis more ad matrem tranſirent) inter matres omnes calamitoſiſſima! quàm præſtaret ad quietem tuam, vt intra domeſticos parietes lateres, & non in altum huius inſanæ tempeſtatis in me ſæuientis proueherere: quandoquidem in me velut impiorum vadem incubuit hæc procella, quid tibi innocenti cum illa? ſine vt tota in me effundatur: ſolus ergo alter Ionas ſum his fluctibus hauriendus.

Regredere ergo, regredere ô dilecta, ô columba mea, in arcam ſolitudinis tuæ, donec conſederint venti, & mare morte mea ſedetur, atque olea miſericordiæ ſuper terram reuireſcat.

Interea bene tibi eſſe iubeo, & extremum vale impertio, Vale Patris amor: Vale parens amantiſſima, &c.

Ad hæc mater; dulciſſime fili Ieſu,

fili ſuauiſſime, quæ eſt iſta tua dura legis neceſſitas, vt mors, atq; adeò tam horrenda mors hodie me à te diuellat? quæ eſt iſta immaniſſima ferarum ſæuitia, vt in eum te ſtatum demiſerit, in quo miſerrimè verſaris?

Heu me! hæccine eſt diuina illa ſpecies, cuius pulchritudo me toties admiratione defixit?

Hoccine corpus eſt ſanctiſſimum, quod tanta cum mentis ſuauitate concepi, & in lucem edidi, quod tanta cum obſeruantia educaui?

Iſthæc ne natum meum tam dira ſupplicia manebant? ergóne crux iſta thronus eſt tuæ, ô Rex gloriæ, immenſæ maieſtati paratus?

O iudex viuorum pariter ac mortuorum, vnde tanta humanis iudicibus in diuinam tuam perſonam poteſtas?

O ſupremum bonum, quo Angeli beantur, adeóne malè te mortales excipiunt? Mortalium ingratiſſima gens Iudæa, ſiccine vindicem Meſſiámque tuum honoras? Quid in te innocentes illæ manus commiſerunt, quæ ſuo tactu elephantiacos tuos ſanarunt, &c.

O fili mi & Deus meus, quàm vera

Digitized by Google

mihi Simeon vaticinatus eſt? trabales illi claui quibus manus tuæ configendæ ſunt, doloris gladius erunt, quo pectus meum tranſuerberetur.

O me felicem! ſi vnà tecum cruci me ſuffigerent, vt vna item tecum animam efflarem, & eodem tormenti genere mihi vita eriperetur: ſcio equidem, & memini lege cautum eſſe, *ne quis matrem pullis incubantem teneat, ſed abire permittat*, (vt intelligamus parcendum eſſe matri, cùm filius torquetur) ſed Pater tuus legis autor, tantò faciliùs illa lege me ſoluet, quantò meliùs agnoſcit non duos, ſed vnum eſſe nos, longéque gratius & ſuauius mihi fore tecum è viuis excedere, quàm tibi ſuperſtitem eſſe.

Veruntamen non mea; ſed eius voluntas, & tua ſimul, quando vna eſt cum illa, in omnibus fiat: vale fili mi, vale vita mea, vale, &c.

Hæc omnia expendes, ô Anima mea, & filij dolores matríſque anguſtias intimo ſenſu percipere ſtudebis.

Cùm Abraham filium ſuum Iſaac immolaturus ad montem perrexit, conſilium ſuum cum Sara coniuge non com-

municauit. Non tam clementer in B. Virginem, licet multò cariorem, Pater æternus ſe geſſit: vt inde diſcamus non aliud clarius amoris Dei argumentum eſſe, quàm cùm doloris calicem, quem filius hauſit nobis propinat.

CAPVT II.

POSTQVAM in editum Caluariæ collem Chriſtus euaſit, veſtibus illum ſuis, ne tunica quidem interiore relicta, milites ſpoliarunt, quod eum pudore ſuffudit incredibili, cùm ſe omnium oculis nudum, & deridendum videret expoſitum: fuit etiam illa denudatio cum acri doloris ſenſu coniuncta; cùm enim concreto ex vibicibus ſanguini tunica eſſet agglutinata, non potuit reuelli ſine grauiſſimo recrudeſcentium vulnerum dolore.

Iuſſus eſt deinde ſuper crucem in terra iacentem membra ſua explicare, paruit ille extemplo, porrectiſque pedibus, & manibus extenſis figendum ſe dedit: Præluſerat huic ſpectaculo Iſaac, cùm Patri audiens dicto in lignorum ſtruem, quam humeris ſuis tulerat

ſponte vt immolaretur, aſcendit: verùm paternum gladium filij iugulo iamiam imminentem, Angelus continuit: at Pater æternus filij ſui manus & pedes grandibus clauis traiici permittit.

Cuius rei ſi cauſam requiris, peccata quæ manibus tuis perpetraſti, vel ad quæ cupiditatum prauarum pedibus feſtinaſti, vnam tibi ſuppeditabunt, alteram diuina bonitas ſuggeret: his enim quatuor riuis, qui è vulnerum totidem fontibus effluxerunt, arentem cordis tui terram miſericordiſſimus ille Dominus voluit irrigare, non ſecus vt Edemiticum hortum, quatuor limpidiſſimi fluuij ſuis aquis fœcundum reddebant.

Sed ô durum & rigens cordis tui ſolum, quod tam copioſo ſanguine neque ſubigi poteſt, neque molliri!

Accede igitur, miſera Anima, ad hanc crucem, quam altè ſublatam vides.

Complectere illam cum Magdalena: & ab hac ignominiæ ſcena, ad theatrum gloriæ oculos erige, & conſidera eundem qui tribus in iſto digitis appendit fundamenta terræ, in illa turpiter clauis eſſe confixum.

CAPVT III.

A CRVCE quam ſuauiter complectebar, quadam quaſi ſeceſſione facta recedam tantiſper, vt in faciem ſeruatoris mei crucifixi intendere oculos poſſim, atque apud me conſiderare, quid eo temporis articulo animo ſuo cogitaret.

In hoc igitur infami ligno illum Pontificiis ornatum inſignibus intuebor: corona ſpinea, tiaræ inſtar eſt: crux, pedi paſtoralis: in clauis annulum agnoſcam: in cute ſanguine tincta ſacerdotalem veſtem: quare illum velut Pontificem ſummum æterno Patri ſe conciliandæ nobiſcum pacis cauſa offerre cogitabo, gratiiſque habitis ſic eum compellare:

Pater æterne, Rex gloriæ, & Deus maieſtatis infinitæ, quem genus humanum perduelle ad iram prouocauit, ſcis vt ego placandi tui cauſa è ſinu tuo in terras ſim delapſus, cùm neque ſanguinem taurorum, neque hircorum aut arietum acceptum haberes, tibique corpus hoc in vtero matris integerrimæ (quam hîc adeſſe vides) formatum &

diuinæ meæ perſonæ coniunctum, in odorem ſuauitatis, tanquam perfectiſſimum ſacrificium offerre ſtatuerim, ea lege & conditione vt eo à me oblato, tu viciſſim humanum genus in gratiam tecum redire permitteres, eiúſque offenſas omnes obliterares.

Ecce me igitur eo poſitum in articulo, vt conſummetur illud ſacrificium, vror enim vehementiſſima doloris pariter & amoris flamma, venáſque meas ad extremam vſque ſanguinis ſtillam exhaurio, iam animus in extremis verſatur labris, vt maieſtati tuæ iuxta promiſſionem meam in perfectiſſimum offeratur holocauſtum: reliquum eſt vt tu quoque promiſſi memor illam peccatorum remiſſionem quam conceſſurum te recepiſti, mortalibus impertiaris. Quod vt facias te per hanc quam offero ſacratiſſimam hoſtiam, iterum atque iterum obteſtor.

Quem exaudies Pater & Domine Deus meus, niſi meis his precibus concedas? quas eò ardentiùs inſtituo, quò gloriæ tuæ conducibiliora vota mea eſſe ſcio, adde honori meo etiam opportuniora, ne mors mea minorem ad libe-

randos homines, quàm Adæ peccatum, ad eos perdendos vim habuiſſe dicatur.

Si ad immenſitatem culpæ expiandam immenſum etiam ſacrificium requirebatur, ita numeris omnibus abſolutum eſt iſtud & perfectum, vt eius meritum nullo exhauriri modo poſſit, ſed eo iuſtitia tua abundè ſibi factum ſatis facilè putet. Excitetur ergo nunc miſericordia tua, ô Pater, & confuſus princeps huius mundi reſtituet chirographum peccati, quod ego inductum & obliteratum de cruce ſuſpēdam, tanquam reconciliationis monumentum, & victoriæ trophæum, de morte inferis, & peccato reportatum, quod omnis poſteritas vt propheriarum complementum intueatur.

His filij verbis attentè expenſis.

1. Animum meum in gratiarum actiones effundam.

2. Totam me illi dabo dicabóque, qui ſe tam liberaliter pro me obtulit ac dedit.

3. Rogabo eum vt quod ſemel pro vniuerſis in crucis altari fecit, id in meum commodum ſigillatim referat, ſingula-

rémque adoleſcentiæ meæ negligentiam, qua munificentiſſima miſericordiæ eius dona contempſi, ſanguine ſuo abſtergat.

Capvt IV.

PRæbebo aures morigeri inſtar filij, vt vltima Patris & Seruatoris verba, quæ moriturus in cruce protulit, diligenter excipiam atque aduertam.

1. Orare illum pro iis qui eum tam exquiſitis ſuppliciis affecerant:

2. Æternam beatitatem Diſmæ, numen eius agnoſcenti, polliceri.

3. Matrem ſuam triſtiſſimam amantiſſimo diſcipulo, atque hunc viciſſim illi commendare.

4. Poſtulare aliquid leuandæ ſiti, quæ ſitis, animarum noſtrarum potiùs, quàm cuiuſuis potus, deſiderium erat.

5. Contenta voce cum Patre pro derelicto haberi ſe expoſtulare.

6. In Patris manus animam ſuam tradere.

7. Certos nos facere omnia à ſe perfecta & expleta eſſe.

Atque hic facile tibi erit, Anima mea, curare vt ex ſingulis aliquid ad te emo-

lumenti redundet.

In prima igitur voce charitatem erga inimicos commendatam obſeruabis.

In ſecunda miſericordiam erga peccatores: In tertia erga parentes pietatem.

Salutis humanæ cupiditatem in quarta: in quinta preces in aduerſa fortuna fundendas: in ſexta nos noſtráque omnia diuinæ permittenda voluntati. In ſeptima perſeuerantiam & conſtantiam ad extremum vſque vitæ tempus præſtandam. Quæ cùm perfectionis Chriſtianæ compendiaria quædam ſit ſumma, eam tuos in vſus conuertere ſtudebis.

Denique conſideratis prodigiis tum cœleſtibus, tum terreſtribus, quæ Chriſti mortem ſunt conſecuta, eum animam magno cum dolore efflantem, & vultum vicina morte liuidum ad ſanctiſſimam calamitoſiſſimámque, ſed eandem conſtantiſſimam matrem inclinantem conſiderabis.

Colloqvivm.

Iuſtiſſime Deus, idémque miſericordiſsime Pater, qui vt peccata noſtra obli-

terares, ſanguinem filij tui adhibuiſti, qui vt nobis reconciliareris, vnigenito tuo iraſci, pœnáſque de innocente grauiſsimas exigere voluiſti; per hanc tuam æquiſsimam pietatem, æquitatémque piiſsimam oro atque obteſtor, vt hi dolores, hæc ſupplicia, mors hæc denique mihi fructum & emolumentum importent. Si mulier graues partus dolores perpeſſa, fœtum exanimem effundat, duplici mœrore conficitur: vt me in lucē gratiæ ederet filius tuus, benigniſſimæ genitricis inſtar cruciatus ſuſtinuit acerbiſsimos: ſi igitur vita, illóque vitæ fructu caream, quem mihi promeritus eſt, annon nouis ſubiiceretur tormentis, ſi quid pati poſſet?

Quòd ſi comparare me debeo, vt ſanguinis illius fructum effectúſque decerpam: Heu quî potero, niſi me nouo gratiæ tuæ auxilio iuues!

Largire illud, ſanctiſsime Pater, atque in ſignum liberalitatis tuæ da, vt tam altè vulnera filij tui cordi meo imprimantur, nulla vt vnquam de cauſa ex animo meo deleantur.

Atque vt ille cruci ſuffixus eſt, ita carnē meā cum cupiditatibus ſuis crucifigam.

Digitized by Google

Vt ille pro inimicis preces fudit; ita ego omnes iniurias condonem.

Vt ille hoſtiam ſe pro peccatis meis obtulit, ita ego hoſtiam viuentem quotidie me nomini tuo exhibeam.

Vt ille ſalutis meæ, ſic ego iuſtitiæ tuæ ſitientiſſimus eſſe poſſim. Denique vt moriturus, *conſummata omnia* eſſe pronuntiauit, ita mandata tua à me impleta eſſe, & penitus exhauſta in extremo vitæ articulo veriſſimè affirmem. Amen. *Paternoſter, Aue Maria.*

DIE SABBATI.

De ſublato è cruce, & ſepulto Chriſto, déque matris doloribus.

CVM ſuauiſſimi Magiſtri tui mors, ô Anima mea, vim ſuam in Centurione Romano, aliíſque nonnullis ad fidei veritatem adducendis oſtendiſſet, illis Ieroſolymam magna cum pœnitentis animi ſignificatione redeuntibus, ſuam quoque in Ioſepho Arimathæo & Nicodemo prodidit efficacitatem; nam cùm antea in eius

diſciplinam, occultè tamen præ Iudæorum metu ſe tradidiſſent, nunc abiecto metu omníque pudore conculcato, intrepidè accedunt ad iuſta perſoluenda mortuo, cui in viuis agenti palàm officia ſua deferre erubuerant. Si ergo, Anima mea, aliquid ex huius mortis conſideratione profeciſti, illius ſpecimen melioribus inſtauratæ vitæ actionibus dandum eſt: præſertim verò nouo orandi ſtudio concepto, quod in hac oratione elucebit, in qua calentem ſanctiſſimorum virorum zelum & pietatem attendes.

Capvt I.

IOsephvs Arimathæus vir non ſanctitate minùs, quàm generis nobilitate illuſtris, Chriſtíque diſcipulus, nihil veritus à Pilato Magiſtri corpus expetiit, vt illud terrę mandaret.

Vbi poteſtas facta eſt, Nicodemum virum item primarium ſocium aſciuit, vnáque ſanctiſſimum corpus magna cum reuerentia depoſuerunt non ſine ingenti lacrymarum vi, quas tum effuſus erga magiſtrum amor, tum luctuoſiſſima Virginis deiparæ, ſancti Ioannis, & Magdalenæ comploratio, quam habebant

in oculis commouebat.

Hîc aduertis, Anima mea, quantum diſcrimen inter eos qui Chriſtum in crucem, & eos qui è cruce corpus eius extinctum ſuſtulerunt, Pater æternus eſſe voluerit: fixerant illum barbari, impij & abiectiſſimi homines; fideles verò virtutis cultores, & optimates eundem refigunt.

Ita videlicet præpotens numen eos extollit, qui eius gloriæ propugnandæ cauſa depreſſi fuere.

Ita etiam oſſa eorum illi curæ ſunt, qui dum in viuis eſſent, ipſum coluerunt.

O nos felices & beatos, Anima mea, ſi in ſanctiſſimorum hominum conſortium fuiſſemus adlecti!

Proſtrati ſuppliciter in genua, oſculo primùm impreſſo crucem ſanctiſſimam reuerenter adoraſſemus.

Tum bona Virginis integerrimæ venia duobus his diſcipulis operam noſtram nauaſſemus, hoc ſaltem præſtitiſſemus, vt ſcalis firmandis, quas ad refigendos clauos erexerant, manus admouеremus. Quin fortaſſis etiam annuiſſet, vt ſacratiſſimo corpori excipiendo, & in

ſinu eius collocando vnà cum Ioanne & Magdalena manum extenderemus ; vt enim tenerrimo erga filium amori faceret ſatis , iterum eius corpus priùs quàm ſepulchro conderetur in gremio ſuo fouere geſtiebat.

At quibus confoſſa doloris aculeis materna viſcera ſpectaſſemus, cùm propiùs admotum filium vidit? cùm attendit depreſſos oculos, liuidam faciem, carnem luridam, contuſos laceróſque humeros, hiantes venas, adductos neruos, capillos reuulſos, confoſſas manus, pedes tranſuerberatos, latus transfixum, oſſa diſſoluta, membra obrigentia, vno verbo admirandam illam ſancti Spiritus fabricam conuulſam planè atque diſiectam?

Anima mea, ſi ſola rerum iſtarum commemoratio tantum nobis ſtuporem iniicit, quis fuiſſet mentis noſtræ ſenſus, ſi in rem præſentem veniſſemus?

Capvt II.

DVM indulget oculis piiſſima parens, vberrimè fluunt lacrymæ, nec dolor conquieſcere poteſt, dum ſpectandis vibicibus & plagis, commiſe-

rationi locum præbet, ſed ineunte nocte Ioſeph & Nicodemus impetrant vt exorari ſe ſinat, quo aromatibus conditum corpus tumulo claudatur.

Eorum conſiliis cùm acquieuiſſet, ſuis ipſa manibus myrrha & aloë frigentia vnxit membra, & ſudariis, quæ pij viri compararant, vnà cum iis inuoluit.

Comprimebant cæteri omnes vocem, & ſingultus, ne dolorem matris augerent. Illa interim in gemitus & lamentationes effuſa continuas, filio ſuo iuſta ſoluebat.

Siquidem ſingulas eius cicatrices iterum cùm retractaret, & denuo vngeret, recrudeſcebat in eius animo dolor.

Heu aiebat, nate ſuauiſſime, primus amor meus, & vltimus dolor, quàm verè de te vaticinatus eſt Iſaias, *A planta pedis vſque ad verticem non eſt in eo ſanitas!* Hæccine ſunt vnguenta, de quibus Pater tuus Dauid pronunciabat, *Myrrha, & gutta & caſia à veſtimentis tuis?* Quæ ſi pulchritudine tua captus efferebat, heu quomodo euanuit illa, quo conceſſit!

Nullúmne alium mortales habebant cuius anatomen explicarent? Tantúmne in Deum humana potuit infirmitas?

Heu

Heu quàm indignam mercedem pro tot à te collatis beneficiis mortales rependerunt!

Hoccine ære, gens ingratiſſima, labores, & ærumnas, quas in luſtrandis, & varia donorum acceſſione cumulandis tuis vrbibus ſuſtinuit, remunerari debuiſſes?

Ergóne contaminatiſſima tellus puriſſimo ſanctiſſimóque ſanguine erat irriganda? Pergebat mœſtiſſima parens, cunctis collacrymantibus, dum nouo in ſepulchro (in quo nullus adhuc iacuerat) Christi corpus deponeretur.

Siſte hîc, Anima mea, & ad te redi: ſi Dei filio ab omni culpa liberrimo fuit è viuis migrandum, cur non aliquando tibi è vita decedendum arbitraris?

Si corpus eius terræ mandatum, cur non conſideras corpus quoque illud quod animas, defodiendum aliquando, non quidem vt paucos poſt dies à corruptione vindicatum exurgat, ſed vt vermibus priùs, & ſerpentibus pabulum præbeat. Putáſne miſera, ideo te hunc tui corporis exitum effugere poſſe, quia eius memoriam declinas.

CAPVT III.

FVNEBRIBVS abſolutis officiis, ſanctiſſima parens Ioſepho, & Nicodemo gratias habuit maximas, pro illorum erga filium ſuum pietate & charitate, iiſque valere iuſſis domum ſeſe mœſtiſſima recepit, non vt quieti, ſed vt lacrymis vberiùs indulgeret, dum viduitatem ſolitudinémque ſuam mœſtiſſima repùtaret.

Obſeruare ſiquidem potes, Anima mea, quantò indulgentiùs Naimiticam viduam Chriſtus, quàm Pater cœleſtis Mariam habuerit: neque enim illam à lacrymis abſtinere filio reddito iubet, vt Naimiticam Chriſtus.

Eius vixit filius, iacuit ad eius pedes, in ſepulchro conditus eſt. Quid mirum ſi ab orbitate ſua nouum hauſit lacrymarum argumentum! Qui Deo in hac vita ſunt acceptiores, eos grauioribus conflictari malis patitur: at vbi mortalitatē exuerint, gaudio, lætitia, omnibúſque bonis circumfluent, & glorioſiſſimè fruentur.

Digitized by Google

PERORATIO

Ad beatam Virginem inſtituetur, quam ſuppliciter rogabis per ſuperiorum dierum acerbos cruciatus, vt aliquam tibi eius amoris particulam impetret, qui tum in eius pectore ardebat: animóſque tibi addat vt eius exemplo in aduerſis rebus aliquod eius conſtantiæ ſpecimen præbere poſſis, quam tam inſignem in grauiſſimis doloribus pretulit, & incredibili fortitudinis laude cumulauit. *Pater noſter, Aue Maria.*

DIE DOMINICO.

De Reſurrectione & Aſcenſione Chriſti Domini: déque Spiritus ſancti miſſione.

VTI vitam noſtram nunc triſtia diuexant, nunc læta temperant, ita meditationum noſtrarum alia atque alia ſeges eſt. Atque vtinam ſicut vitæ mors; ita amor noſtrarum omnium cogitationum terminus eſſe poſſet.

En ad extremam menſis huius meditationem deuenimus: incendamur igitur ſi poſſumus, diuini amoris flamma, quam tria hæc præſtantiſſima, nobiliſsima, & ſuauiſsima fidei noſtræ myſteria, excitabunt.

Capvt I.

IN expendenda reſurrectionis hiſtoria collocabitur: quam vbi breuiter oculis obiero, aliquot adiuncta paulò attentiùs expendenda ſeponam. Primam tempus, matutinum ſcilicet, ſuggeret:

Vt enim ſub veſperam inclinante iam in occaſum ſole Chriſtus occubuerat, vt nos à peccatis vindicaret, quæ cœleſti gratiæ lumine extincto, tenebras offundunt: ita par erat eum ſub auroram exurgere, quandoquidem diuinam gratiæ lucem nobis redditurus occurrebat.

Ad hæc cùm in tantis anguſtiis iaceret mater, nónne erat æquum vt eius quàm citiſsimè mœrorem leuaret, & primo diluculo lacrymas abſtergeret?

Inſiſte hîc, Anima mea, & Chriſtum ad matrem adeuntem contemplare: eſt enim ſuauiſsima hæc, ſi quæ alia meditatio.

Digitized by Google

2. Locum attendes vnde Anima emerſit. Is eſt limbus Patrum, è quo captiuos in libertatem vindicatos effractis inferorum valuis abduxit, vt gloriſiſsimum eius aſcendentis in cœlos triumphum ouantes comitarentur.

Nonnullos etiam in ſua corpora reuerti iuſsit, & multis Ieroſolymitanis ciuibus viſendos ſe præbere, tum vt reſurrectionis ipſius teſtes eſſent, tum vt certiorem nobis reſurrectionis noſtræ aliquando futuræ ſpem iniicerent.

3. Sepulchrum intuebor, in quo anima corpori reddita vitam illi vna cum quatuor dotibus, claritate ſcilicet, agilitate, ſubtilitate, & indolentia communicauit, vt nihil de gloria & pulcritudine dicam, quæ vulneribus acceſsit.

O quantò tunc illuſtriorem illum, quàm olim in monte Petrus conſpexiſſet, quantò illi glorioſius ſepulchrum vertice Thaboreo viſum fuiſſet?

Euigila hîc, Anima mea, & conſiderata mercede ingentíque præmio, quod dolores & anguſtiæ Chriſto attulerunt; erige te in illam ſpem, fore aliquando vt ſuperatis huius vitæ laboribus & moleſtiis, virtutis tuæ fructus colligas

Digitized by Google

vberrimos.

4. Sudarium cæteráque linteamina in ſepulchro à Chriſto relicta euoluam.

Nam ſi Lazarus è tumulo prodiit ſudario obuolutus, non ita Chriſtus, vt doceret, non prodire ſe, vt iterum conderetur, ſed vt æterna in gloria vitam ageret immortalem.

Velim, ô Anima mea, vt ad te reuerſa cogitares, te ſi cum ſudario prauarum cupiditatum, & occaſionum periculoſarum vinculis irretita exciteris, in periculo eſſe vt reuoluaris, & ſpiritalis vitæ facias iacturam. At ſi funebrem illum mundum abieceris, ſpes eſt melioris, & conſtantioris vitæ, à qua mors peccati procul abſcedat.

5. In cicatrices oculos intendam, cauſáſque exquiram cur eas glorioſo corpori eſſe voluerit impreſſas.

1. Vt nos de vera reſurrectione faceret certiores.

2. Vt iis Patri æterno in cœlo propoſitis faciliùs eum nobis placaret.

3. Vt nos ad ardentiorem prouocaret amorem, perſpectis tam illuſtribus amoris erga nos ſui argumentis.

Omnino enim, Anima mea, inauditum ingrati animi vitium incurres, niſi eum ardentiſſimo ſtudio colas, qui cùm tui prorſus non egeret, tot tamen tua cauſa dolores adire non dubitauit.

Muniant igitur vulnera hæc aditum tibi ad eum, vt ei firmiſsimo amoris nexu cor tuum copuletur.

6. In memoriam reuocabis Angelos, quos huic myſterio adfuiſſe certum eſt, tametſi enim paucos dumtaxat ſacri commemorent Hiſtorici, ſancto tamen Paulo teſte comperimus, iuſtos eſſe omnes Angelorum choros feſtum hunc diem magna lætitia & triumpho celebrare.

Solemne ſiquidem Deo eſſe iam vidiſti, Anima mea, tantò cumulatiore lætitia ſuos perfundere, quantò grauiùs fuerint conflictati.

Vt igitur caput hoc concludas, ſociam te Angelicis turmis adiunges, vt vna cum illis maiores Chriſto ſurgenti honores deferas, cúmque laudibus proſequaris.

Digitized by Google

Capvt II.

Ascensioni tribuetur, quam ad meditandam cogitationes ab omni concretione terreſtri liberæ eſſent aduocandæ.

1. Erigam mentem, & velut à meipſo illam auocabo; vbi verò myſterium hoc in monte perfectum obſeruaro, ſtatim agnoſcam diuinæ prouidentiæ conſuetudinem, quæ præſtantiſsima quæque opera in montibus velut in ampliſsimo theatro edidit.

Hinc fortaſſe Dauid auxilium ſuum à montibus ſperabat. Ego verò illud ab humanitate Seruatoris mei expectabo, vt à monte celſiſsimo, quem humilitas in tantam naturalium, & cœleſtium donorum altitudinem extulit, vt in Aſcenſionis die ad Patris dexteram meruerit collocari.

O Anima mea, ſtude multum in terris deſpicientiæ tui, ſi in cœlis vis in pretio haberi.

2. Euolaturus in cœlum Chriſtus, Matri ſuæ, & Diſcipulis ſuis bene precatus eſt, non vti olim Iſaac, qui benedictionem rerum terrenarum ſuis impertiit,

ſed longè excellentiorem adhibuit, quæ eos cœleſtibus donis locupletant.

Benedic quæſo, Domine Ieſu, mihi hac benedictione, qua ſine cæteræ omnes in maledictionem conuerti facilè poſſunt.

3. *Captiuitatem captiuam ſecum abduxit*: Patres ſcilicet è limbi carcere vindicatos, vt eos cœleſti donaret ciuitate, in qua fœlicitas eos ita captiuos habet vt amoris vinculis, & compedibus irretiti, à Deo diligendo, qui eorum eſt beatitudo, nullo temporis momento vacare poſſint.

Vtinam in illam, Anima mea, captiuitatem iamiam abriperere, ô dulcia æternùm vincula, ô fœlicem ſeruitutem!

4. *Diſcipulis in cœlum intuentibus eripuit eum nubes ab oculis eorum.*

Heu quoties idem nobis vſuuenit! quoties nobis in oratione ſuauiter cum Deo agentibus intercurrens aberrationis nebula diuinum conſpectum eripit!

Nihil eſt tamen quòd animum proptèrea deſpondeamus, modò craſſus negligentiæ vapor ſeſe non interponat: illa enim qualiſcunque eſt nubecula in phantaſia concepta benignam diuini

ſolis efficientiam non excludit.

Continuò Angeli in veſtibus albis (quod gloriæ ſymbolum eſt) *aſtiterunt, qui & dixerunt, hic Ieſus qui aſſumptus eſt à vobis, ſic veniet quemadmodum vidiſtis eum euntem in cælum.*

Dies ille, Anima mea, dierum erit vltimus, dies iræ, anguſtiarum, & tempeſtatis, qui velut quidam turbo, impios in æternum tenebrarum rapiet interitum: cuius nobis memoriam Deus huius in diei celebritate voluit refricare, ne adeo nos præſentium bonorum lætitia ſinamus efferri, vt malorum quæ nobis imminent recordationem obliuione conteramus.

6. Vt huic capiti finem imponam, glorioſum Chriſti triumphantis in cœlum contemplabor ingreſſum: non quidem vt eum cum illa pompa, & magnificentia componam, qua principes in vrbibus, & ciuitatibus ſuis excipi ſolent (his enim rebus cogitandis facilè à diuinis animus auocatur, nec vllum capit commodum) ſed abſtracta à terrenis omnibus mente conſiderabo.

1. Locum in quo triumphat, cœlum inquam omnibus mortalibus obſtructum.

Digitized by Google

2. Comitatum, agmina videlicet cœleſtium Angelorum feſtis acclamationibus gratiſſimóque plauſu excipientium.
3. Sanctiſſimam eius perſonam, quam omnes venerantur & adorant, dignámque pronuntiant omni honore, gloria, virtute, benedictione, & laude in ſæcula ſæculorum.
4. Captiuorum dignitatem, & ſtatum, Adamum ſcilicet, Euam, Abrahamum, Iſaacum, Iacob, & vniuerſum Sanctorum cœtum, quos limbis abſtractos, partim corpori redditos, partim Anima dumtaxat vtentes, omnes tamen cœleſti beatitudine fruentes, in ſocietatem ſuam aduocarat.
5. Patrem æternum filio ſuauiſſimè occurrentem, qui vt eum remuneretur, quòd nominis ſui gloriam inter mortales propagarit, delegatúmque ſibi opus, omnibus perfectum numeris abſoluerit, eum ad dexteram ſuam ſedere iubet, iudicémque ac Dominum rerum omnium conditarum, ſeu quæ oculis vſurpantur, ſeu quæ ſenſuum aciem effugiunt, conſtituit.

Hîc te piis affectibus abripiendam

permittes, Anima mea, vt laudes, admireris, benedicas, extollas, prædices, gratias agas, optes, &c.

CAPVT III.

SPIRITVS ſancti in Apoſtolos deſcenſionem conſiderabo. Orationi erant intenti cœnaculo vnà cum beatiſſima Virgine diem Pentecoſtes piè celebrantes, *Cùm ecce factus eſt repentè de cælo ſonus tanquam aduenientis ſpiritus vehementis, & apparuerunt diſpertitæ linguæ tanquam ignis. & ſederunt ſuper ſingulos eorum, & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto.*

Hæc contigerunt vt Chriſti promiſſiones implerentur: vt enim illum immenſa quædam charitatis in homines vis vrgebat, ſeipſum dediſſe minimè ſatis habuit, niſi Paracletum quoque nobis promereretur.

Vide iam, Anima mea, num acceperis quidquid boni ab æterno Patre hauritur?

Naturæ dona creatio nobis fecit communia, Gratiæ, Iuſtificatio; Gloriæ, Prædeſtinatio: Incarnatione Verbum æternum nobis datum eſt, deſcenſione iſta mirabili, Spiritus ſanctus.

Pater æterne, admiranda ſane omnia alia dona mihi videntur, at poſtremum hoc dat me in altiſſimum ſtuporem: etenim quomodo heu apud nos habitus erat vnigenitus tuus? obrigeſcit animus ad ſolam crudelitatis humanæ recordationem: poſt mille iniurias illi toto vitæ decurſu illatas, tandem ad extremum illum prodidimus, vendidimus, pugnis & calcibus appetiuimus, alapis cecidimus, deformauimus ſputis, flagellis & loris lacerauimus, capitis reum fecimus, plagis denique confectum innumeris turpiter admodum, & inhumanè in funeſtum illum ſtipitem ſuſtulimus.

Quæ ſupplicia tam atroci omniúmque ſcelerum grauiſſimo crimini expiando ſatis erunt, niſi infinita ſint? Tantum tamen abfuit vt de pœnis exigendis cogitares, vt potiùs perinde nobiſcum egeris, ac ſi beneficiis tuis è nutu, & voluntate tua vſi eſſemus.

Sic igitur te erga nos geſſiſtis vti mater erga tenerum infantem ægrum & moroſum vberibus ſuis inhiantem: educit illa è ſinu, porrigítque niueo & copioſo lacte turgentem mammam exſugendam, at ille papillam mordicus apprehenſam

vellicat, trahit, cruentat, ipſíſque adeo vnguibus fœdat: Illa verò minimè indignata, illum blandimentis demulcet, laceramque mammam in ſinu recondit, vt ad primam eius vocem & eiulatum alteram ſtatim mulgendam proferat non minori copia lactis affluentem, etſi certa ſit hanc quoque morſibus appetendam, & malè ab eodem habendam.

Ad eum planè modum nobiſcum agis: cùm enim duo tibi eſſent *vbera meliora vino*, vt ſacrę paginę loquuntur, alterúmque ſit Verbum tuum, Diuinitatis tuæ, quam ante omnia ſæcula cognouiſti, lacte fœcundum: alterum, Spiritus ſanctus, æternum ſicut prius, eodémque lacte, è mutuo qui te inter Verbúmque tuum amor eſt fluente, abundans: vberum iſtorum primum è ſinu extraxiſti, cùm Verbum tuum carnem induere iuſſiſti, nobiſque illud ſugendum præbuiſti, vt ex hoc velut fonte diuinitatis tuæ vltimíque finis noſtri cognitionem hauriremus: at nos mammam iſtam quà dentibus, quà vnguibus fœdiſſimè diſcerpſimus: quam tametſi aſcenſionis die retraxeris, & plagas præferentem, ſinu condideris, minimè tamen ad gemitus

& voces noſtras obſurduiſti, ſed eas de tenero Eccleſiæ naſcentis, in Sionis cœnaculo velut in cunis poſitæ, ore exceptas, miſeratus, ſinum ſtatim reſeraſti, alterámque mammillam præbuiſti feſto illo Pentecoſtes die ad nos ſanctiſſimo tuo Spiritu immiſſo.

O gratiam gratiis omnibus maiorem, quæque cor meum in amorem tranſmutare poſſit, niſi illud aquæ ſimillimum eſſet, cùm agitur de rebus tuis ô Deus meus: quamdiu enim beneficia tua mente refrico, facilè ab illis tanquam ab ardentibus amoris prunis incaleſcit, vbi verò ab illis cogitandis, per imprudentiam abducor, extemplo refrigeſcit: quod ſi accedat vehementior ſæculi huius occupationum Boreas accedat, continuo velut gelu concretum obrigeſcit.

COLLOQVIVM.

Deus optime maxime, qui es calor ille vitalis, quo res omnes creatæ fouentur, qui Seraphinos in cœlis, omnéſque beatos ſuauiſſimo amoris igne incendis, qui in terras veniſti cœleſtis charitatis ardorem excitaturus, qui linguarum flammearum ſpeciem præferens Apoſtolorum capitibus inſediſti, vt in eorum pe-

Digitized by Google

ctoribus faces amoris accenderes, & quidquid terrenum in iis reliquum eſſet exureres, da obſecro per eum amorem, qui te ad quærendas & diligendas res creatas impulit, vt tui amore ſic deinceps exardeſcam, nullo vt vnquam tempore calor ille minuatur, fugiat à me potiùs cor meum, quàm vt vllum habeam quod eos foueat affectus, qui gratam animi ſignificationem pro tam eximiis in me collatis beneficiis extinguant. *Pater noſter*, *Aue Maria*.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIONES ALIQVOT AD EXPLENDVM MENSEM.

MEDITATIO

De nobilitate Animæ pro primo die menſis, quando in Dominicam cadit.

IN oratione præuia offeres actionem hanc Deo, collectis priùs ſenſibus vt diuino te conſpectui ſiſtas.

CAPVT I.

SPIRITVS vitæ, ſpirituum omnium conditor Deus meus, non me abiicerem nunc ad pedes tuos ad nobilitatem Animæ perſcrutandam, niſi Animam mihi liberaliter impertiiſſes.

Illud verò primùm occurrit nobili-

tatis eius caput, quòd non alium ei, quàm teipſum finem propoſitum eſſe voluiſti.

Cœlos tuos Angelis permiſiſti, volucribus aërem, mare piſcibus, plantis terram: Animam verò meam cuius vſibus deſtinaſti? tuis Domine, tuis. O Anima mea Deo deſtinata, vtinam ab illo vno integrè, & perfectè poſſidereris.

CAPVT II.

NATVRAM ſanè humana nobiliorem Anima ſortiti ſunt Angeli: tanti nihilominus hanc Deus fecit, vt illos huic miniſtrare voluerit, canente Dauide, *Angelis ſuis Deus mandauit de te* (ô homo) *vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis*, & offenſionis cauſas à pedibus tuis auertant.

Quàm igitur parum dignitatem ſuam agnoſceret Anima, quæ cupiditatibus ita ſuis obſequeretur, vt infra viliſſimas creaturas demitteretur? At ſæpe tamen heu miſera Anima, ſæpe reclamante Deo, Angelo præſide obnitente, ita nobilitatem tuam abiecisti.

Digitized by Google

Capvt III.

DEfice oculos in Chriſtum de cruce ſuſpenſum, & pretioſiſſimo cruore manãtem: age igitur, ſanguinem illum quanti ęſtimas? decem mundorum qualem hunc habemus millia, imo centum millia, iiſque plura ſatiſne dignum pretium appendere queant? & tamen ille cruor nullo ſatis digno æſtimandus pretio, pretium tuæ ſalutis, ô Anima, fuit.

Expende nunc quæ ſit æſtimatio tui, & ſeriò apud te ſtatue ei ex animo deinceps obſequi, qui tanti te fecit.

Colloqvivm.

Domine Ieſu, eò te tuus in me amor adigebat, vt mea vnius cauſa tantundem præſtare paratus eſſes, quantum ob reliquarum omnium animarum ſalutem.

Da igitur obſecro, vt deinceps Animæ meæ nobilitate cognita, in amoris illius tui cognitionem adducar.

Quando autem diuinitatem tuæ imaginem in me elucere iuſſiſti, quando tua vnius cauſa condita ſum, effice Domine, vt totam me tuis vſibus impendam.

MEDITATIO.

A comparandam Dei præſentiam.

ORATIO præuia de more inſtituetur.

CAPVT I.

CONSIDERABO diuinum numen rebus omnibus adeſſe, vti fides nos docet.

Quòd enim nullis circunſcripta ſit Dei natura limitibus, ex eo facilè confici poteſt, vbique eſſe illam, & omnibus rebus adeſſe, per eſſentiam vti loquuntur, ſuã: Quod verò quidlibet ſolo voluntatis nutu perficere poſſit, hinc intelligimus poteſtatem eius vbique eſſe diffuſam: ſicut quia nihil eſt, quod acutiſſimam oculorum eius aciem fugiat, inde nouimus omnibus ipſum rebus præſentem adeſſe. Cùm autẽ ſimpliciſſima ſit, atque adeò indiuiſa eius natura pariter ac infinita, hinc habemus totum eum in toto, & totum in ſingulis eſſe orbis parti-

Digitized by Google

bus, ſicuti Anima noſtra, quæ ſubſtantiæ eſt finitæ, & in quam diuiſio non cadit, tota eſt in toto corpore, & tota in ſingulis eius particulis conſiſtit.

O quantum veritas iſta ritè cognita, ſubſidium ad vitam rectè inſtituendam ſuppeditat! Quis enim puer in patris conſpectu inſanire velit? quis ſeruus, &c.

CAPVT II.

ADVOCABO Sanctorum exempla, qui hac arte ſaluti ſuæ conſuluerunt: occurret Dauid ita monens, *Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi ne commouear.* Occurret Helias, cui hæc frequentiſſima in ore verba: *Viuit Dominus, in cuius conſpectu ſto.* Occurrēt denique quotquot ad ſanctioris vitæ apicem enitendum ſibi putauerunt: ſciebant quippe (vt aduertit Origenes in illa Canticorum verba, *Nolite me conſiderare, quòd fuſca ſum, quia decolorauit me Sol,*) id eſſe diſcrimen Solem inter materia conſtantem, & Solem iuſtitiæ Deum, quòd ille præsētia ſua cutem torreat atque deformet, hic verò perficiat, & ſuauiſſimo virtutis colore depingat.

Vide, Anima mea, grandem illum culmum, cui flos impoſitus adeo Soli germanus, vt terreſtris Sol, ſeu heliotropium vulgò appelletur: inde pulchritudo eius oritur, quòd Solis aſſecla, ad illum ab eius ortu ad occaſum vſque ſeſe conuertat: ſi diuini Solis radios in te optas elucere; ad illum ſpecta continenter, oculos in illum defige, atque ita ſenſim diuinitate quadam indueris.

Capvt III.

Dabo operam, vt ad vſum reuocem, quæ de præſentia diuina cognoui, quare Deum in omnibus creatis rebus intuebor, in pulchris, pulchritudinem, in potentibus potentiam; bonitatem in bonis agnoſcam, &c. *Inuiſibilia Dei*, ait Apoſtolus, *per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur. A magnitudine*, inquit Sapiens, *ſpeciei, & creaturæ, cognoſcibiliter poterit creator horum videri*. Quoties S. Chryſoſtomus in cœli faces oculos intendebat, toties diuini amoris igne incendebatur: Gregorium Nazianzenum maris conſideratio, alios alia in Deum ſtatim rapiebant: vtere hac arte, Anima mea, & non pœnitendam ad virtutem

breui facies acceſſionem.

COLLOQVIVM.

At enim, ô Domine, Angelicis ad eam rem oculis opus eſſet, qui licèt in terra ſint noſtríſque commodis intenti, à tuo tamen conſpectu nunquam abduci ſe patiuntur. Nobis verò oculi è carne facti ſunt, imò noctuarum oculi, qui lucis tuæ claritatem non ferunt. Corrobora illos, Domine, ſicut olim Apoſtolorum aciem acuiſti, vt te in monte Thabor intueri poſſent: ita fiet vt in tuum amorem rapiamur, dicamúſque cum Petro, *Bonum eſt nos hîc eſſe.* Vnde & tabernaculum tibi in corde noſtro erigemus, vt in illud diuertas, & habites, quamdiu in hac vita peregrinabimur: ſic enim fore ſperamus, vt viciſſim nos, ex hac via, vitáq; migrantes in æterna tua admittas tabernacula, vbi laudes tibi ſempiternas in cœleſti beatorum regione celebremus. Amen. *Pater noſter, Aue Maria.*

Digitized by Google

MEDITATIO.

De coniunctione Animæ cum Deo.

AD orationem præuiam illa precatio accedet, qua à Deo poſtulabo, vt quoniam amoris Deus eſt, Animam meam ſibi amore deuinciat.

CAPVT I.

CONSIDERABO Animam Deo coniungi aliud nihil eſſe, quàm voluntatem ſuam cum diuina voluntate conſentientem, & planè conformatam habere, & reapſe opere complere Dauidicum illud, *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum, quid mihi eſt in cælo, aut à te quid volui ſuper terram, Deus cordis mei, & pars mea Deus?*

Hanc ergo ſi ad coniunctionem pretioſiſſimam contendo, non paſſibus corporis ad illam, ſed Animæ greſſibus feſtinandum eſt, quos enim ad vſus præſtabiliores, mentis meæ vires, & conatus adhibere poſſem?

CAPVT II.

ATTENDAM commoda, quæ ex hac conſenſione comparabo. Etenim illa eſt, quæ nobis cœleſtis conuiuij quandam quaſi anticipationem, & poſſeſſionem exhibet, beatis nos quodam modo exæquans.

Illa eſt, quæ perfectam mentibus noſtris parit tranquillitatem.

In ea adipiſcenda ſumma perfectionis noſtræ abſolutio, velut in cardine verſatur.

In ea vna perfectè regius Vates acquieſcebat, cùm diceret, *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpem meam.*

Inde fit, vt perduellis Angelus machinas omnes adhibeat, vt nos à tua, Domine Deus, coniunctione abducat, vel leuiſſimè deflectat.

Eius cornua, Deus meus, effringe, conuelle machinas, cuniculos elude, vt nullo mihi aduerſante tibi vni perfecta voluntatis conſpiratione coniungar.

Digitized by Google

CAPVT III.

EXQVIRAM artes, quibus hanc coniunctionem poſſim comparare.

Non parum conducet, ſi attentè expendero, quàm ſtudioſus fuerit Deus illius promouendæ: vt enim patefaceret, quàm ſtudiosè hanc coniunctionem optaret, carnem, naturámque noſtram induit, & nunquam ſatis æſtimandum Euchariſtiæ ſacramentum inſtituit, de quo pronuntiauit, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo.*

Proderit etiam multùm, ſi recogitem ad quem virtutis huius apicem illi peruenerint, qui in ea ſe exercuerunt.

Adeò firmus erat ille nexus, qui Paulum Deo deuinxerat, vt *certus eſſet, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neq; fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poſſet eum ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu.*

Quid Ignatius martyr, quàm arcto vinculo Chriſto iungebatur, cùm diceret? *Nunc incipio Chriſti eſſe diſcipulus, ni-*

Digitized by Google

hil de his quæ videntur deſiderans, vt Ieſum Chriſtum inueniam. Ignis, crux, beſtia, confractio oſſium, membrorum diuiſio, & totius corporis contritio, in me veniant, tantùm Chriſto fruar.

Sanctum Columbanum adeò hoc amore diuino exarſiſſe ferunt, quem iſta coniunctio parit, vt ardoribus cordis eius temperandis neceſſe eſſet ſubinde lintea adhibere frigido liquore perfuſa.

Tertia, qua vtar induſtria, hæc erit, vt duabus impensè me dedam virtutibus exercendis, quæ alas mihi aptabunt, vt ad optatos Dei mei complexus faciliùs euolem: Altera erit generoſa quædam victoria, qua frangam, profligabo, & vincam prauas naturæ cupiditates, domabo commotiones, comprimam appetitus, ſenſus coërcebo, & quoad potero conſuetudinum vitioſarum, amoríſque proprij fibras omnes radicitus euellam. Altera erit precatio mente inſtituta, quæ patefacta cœleſtium bonorum amplitudine, & ſuauitate, rerum terrenarum ſitim extinguet, Animæ facultates extollet, vsúque magiſtro docebit ſuauius nihil eſſe, quàm cum diuina ſapientia familiariſſimè verſari.

COLLOQVIVM.

O ſapientia increata, cor nouum crea in me cœleſtibus deſideriis flagrans, quibus tibi coniunctiſſimè ſemper adhæreſcam! *Pater noſter, Aue Maria.*

MEDITATIO.

De ſignis coniunctionis cum Deo.

FINITA oratione præuia, ſic breuiter precabor. Illumina oculos meos, Domine Deus, vt hæc ſigna intueri queant, incende voluntatem, vt ea cognita retineat.

CAPVT I.

INVESTIGABO ſigna illa, & argumenta, quæ ad ſex proxima reuocantur.

1. Orare, & cœleſtia cum fructu, ſenſu, & diuina luce meditari.

2. Colligere animum ſuum inter gerenda negotia, & facilè ad ſe redire.

3. Inquirere in dicta, facta, & cogitata

ſua non ſine pudore, & melioris vitæ propoſito.
4. Non alium actionibus ſuis finem, quàm Deum habere propoſitum.
5. Auocatam ab rebus externis animi propenſionem experiri, & nihilominus ſemper in procinctu ſtare ad ea ſuſcipienda, quoties vel ſuperior iuſſerit, vel officij neceſſitas poſtulabit.
6. Abiicere ex ſuipſius exuendi domandique ſtudio vana ſolatia, quæ blanda ſui læna natura continuò ſuggerit. Age Anima mea, vide an aliqua ſignorum iſtorum veſtigia in te deprehendas; ſi agnoſcis, Deo illa tribue accepta, & gratias habe ingentes, altiſſimámque tui deſpicientiam in eius oculis adhibe?

Quoties Dei donis non modò non extollimur, ſed viliores nobis ipſis ſimus, maiorum illa donorum pignora ſunt. At diligenter ab adulterina quadam humilitate cauendum eſt nobis, quæ illa non patitur nos agnoſcere, atque ita neque gratias habere ſinit, vnde nobis turpiſſimam ingrati animi labem inurit.

Digitized by Google

Capvt II.

AT ſi dum res tuas ad calculos vocas, mentíſque arcana ſcrutaris, deprehendas,

1. Iugum legis diuinæ, quod aliàs tibi leuiſſimum videbatur, nunc graue tibi eſſe.

2. Si de aliorum actionibus leuiter iudices, aut loquaris.

3. Si ægrè, & cum tædio ab externis auellaris, vt in teipſam inſpicias.

4. Si ſacramentorum vſus, verbi diuini auditio, piorum lectio librorum, ſi animaduerſiones ſuperiorum, & conuictus proborum nauſeam, & faſtidium creent.

5. Si inuito, & reluctanti animo maioribus obtemperas.

6. Si magnam tui rationem haberi velis, ſi indulgenter tecum agi, ſi laboris impatiens otium ſectaris.

7. Si diuinis inſpirationibus non vaces, ſi communibus minimè teneri legibus, ſed ſingularis in veſtibus, victu, habitatione, &c. nulla neceſſitate vrgente, eſſe deſideras. Si hæc, inquam, tibi familiaria eſſe agnoſcas, luge & dole coram

Deo : longè enim arctiùs creatis rebus cor tuum , & tenaciùs, quàm conditori ſuo adhæret, proindéque lubrico admodum, & præcipiti in loco verſaris.

CAPVT III.

HI me characteres ad illorum centum quadraginta quatuor millium, quos in Apocalypſi videt Ioannes cogitationem prouocabunt , quibus Angelus manu ſua ſigillum impreſſerat ; atque obſeruabo eos à diſtricto furoris diuini gladio in terra immunes fuiſſe, tum in cœlo æternis gaudiis cumulatos: quod in eam me ſpem deuocabit futurum, vt ſi impreſſa in me fuerint prioris capitis ſigna , aliquando tandem in eorum beatam ſocietatem coopter. quamobrem ad ea conſequenda animos ſumam, atque

IN PERORATIONE

Cuſtodem Angelum compellabo, & obſecrabo , vt quemadmodum centum illa quadraginta quatuor millia in fronte characterem ſuum de manu ſociorũ eius Angelorum acceperunt , ita me vſque adeo inſpirationibus ſuis vrgeat,

vt earum calore mollita ; idonea fiam ſuſcipiendis illis ſignis optatiſſimis , imò reipſa mihi iniurantur ; tum ad Seruatorem conuerſa, Domine Ieſu (dicam) qui meta , & ſcopus eſſe voluiſti , in quem efferata hominum rabies collinearet , qui ab iis quorum ſalutem procurabas , mille cruentis vulneribus conſciſſus , acerbiſſimo paſſionis die fuiſti : obſecro te, atque adeo per ſanguinem illum pretioſiſſimum à vulneribus manantem , pérque amorem illum ſingularem , qui te ad tot plagas excipiendas adduxit obteſtor , id in me tibi adhærendi excites deſiderium , vt illius coniunctionis adipiſcendæ gratia nihil prætermittam , illiúſque ſigna ſic in mea mente imprimantur , vt nullo vnquam tempore deleantur. Amen. *Pater noſter*, *Aue Maria*.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO.

In qua Animatotam ſe Deo permittit.

ORATIO præuia ſic fiet: nunquid tandem, tandem hoc tuum opus à te Deus meus creatum, totum tui iuris erit? Dulciſſime Ieſu, vnde illa cœcitas mea, vt me tuis manibus committere tandiu procraſtinarim, poſt cognitam, atque exploratam illam tuæ charitatis vim immenſam, quæ te mea cauſa hoſtium tuorum manibus furorique permiſit?

In cuius liberalitatis tuæ memoriam, & imitationem, atque ad gratias tibi habendas impelli me ſentio, vt hodie mei donationem abſolutam, & nullo vnquam reuocandam tempore inſtituam. Suppliciter igitur proſtrata peto à te Domine, vt hoc meum deſiderium foueas, eáque luce mentem illuſtres, eúmque voluntati ſenſum impertias, quem huic conſilio neceſſarium eſſe noſti.

Digitized by Google

Capvt I.

REvocabo in mentem Patriarchæ Iacob exemplum, qui cùm in fratris Eſau, iam olim ſibi grauiter infenſi, conſpectum venire ſtatuiſſet, deliniendum priùs, placandúmque lectiſſimis donis exiſtimauit, *forſitan enim*, aiebat, *ita mihi propitiabitur*.

Tu verò, Anima mea, quoties hactenus ad iram prouocaſti Deum tuum, imò fratrem tuum, nam & hanc quoque germanitatem tecum inire non dubitauit, cùm humanam naturam induit.

Nónne igitur inſipienter admodum facies, niſi antequam ad ſeuerum eius iuſtitiæ tribunal, morte vadimonium denuntiante, ſiſtaris, aliquo illam grato munere, tibi concilies? At quod acceptius teipſo munus inuenies? da igitur te, &c.

Capvt II.

EXpendam, quæ ſubſit verbis illis ſententia, quæ verba Chriſtus protulit, cùm impreſſam nummo Cæſaris vidiſſet imaginem, *Reddite Cæſari quæ ſunt Cæſaris, & quæ ſunt Dei, Deo.*

Digitized by Google

Conſiderata igitur Animæ meæ dignitate, quæ omnes orbis diuitias ſuperat: attentáque non modò diuinitatis imagine, quam in illa Deus, cùm eam condidit, inuſſit, ſed etiam illa, quam Baptiſmi cælo idem inſculpſit, aperta cordis aure Deum ſic Animam meam compellantem audiam: *Redde Deo, quæ Dei ſunt*; Tu es ille nummus, in quo eſt excuſa effigies mea, redde igitur tributum tuiipſius, quod mihi debetur: memineris te in Baptiſmo nuntium dæmoni, eiúſque ſectatoribus remiſiſſe, vt in familiam, & ius meum tranſires.

Cui ſic reſpondebo: æquius eſt Domine, quàm vt dubitari poſſit, id vt faciam, méque totam tibi ſubiiciam: quicquid in me eſt, clamat haud ampliùs eſſe cunctandum.

At ô bonitas infinita, tuíſne manibus excipies Animam tot flagitiis opertam, &c.

Capvt III.

Repvtabo apud me Deo meo non ſatis fuiſſe, ſi ſua mecum bona communicaret, niſi ſeipſum quoque largiretur: non inuito quidem animo, aut quòd

vllis, quæ in nobis eſſent illecebris adduceretur, ſed vt ſuæ vni bonitati, & ſingulari in nos beneuolentiæ indulgeret.

Quæ igitur meæ ſunt partes erga Deũ tam in me propenſum, & munificum? ſatíſne eſſe mihi debet, ſi eius cauſa facultates meas in egenos erogem? ſi aliquam ætatis meæ partem cultui eius tribuam? ſi quamdiu conſtant vires, & integra eſt valetudo me eius obſequiis impendam?

Si primitias cogitationum, & actionum mearum illi offeram?

Nequaquam certè; in his mihi non eſt hęrendũ: cùm ſe totum in meos vſus dederit, illi me totam debeo. Et verò quid rei ego ſum ad immenſam illam maieſtatem mihi donatam?

Colloqvivm.

Hæc tamen eſt, ô Domine, facultatum mearum ſumma, ſi plura ſuppeterent, plura haberes: acceptum oro tibi ſit munus meum, & doni tenuitatem ne contemne. Fœlicem me! ſi tui iuris eſſe poſſim, iis denudata cupiditatibus, quæ me à debellando Sathana iurato hoſte tuo,

non ſecus ac Saülis arma Dauidem à Goliath proſternendo retardarunt.

At cùm me tibi dedero, quid aliud tibi, quàm dona tua rependero Deus meus: tua ſunt omnia omnino; at mei iuris eſt, Anima mea, quia ſic iuſſit liberalitas tua: eam mihi tu donaſti, vt ea tibi reddita, tu viciſſim te mihi velut mercedem rependeres.

Iterum igitur illam accipe Deus meus, & te viciſſim mihi in æternum dona, vt verè cum Apoſtolo tuo dicam, *Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Chriſtus. Pater noſter, Aue Maria.*

MEDITATIO.

In qua Anima Deo ſe totam deuouet, & conſecrat.

ORATIO præuia. Domine Deus qui de Salomonis templo dixiſti, domum eſſe quam tibi ſanctam adſciueras, vt eſſet nomẽ tuum ibi cunctis diebus, oculóſque tuós, & cor tuum in ea perpetuò futurum,

ego humillima ancilla tua (quam vnà cum aliis in gloriæ templum eligere voluiſti) accedo ad te ſupplex, atque oro, vt ita tibi dedicari, & conſecrari poſſim, vt in me quoque ſint nomen, oculi, & cor tuum: reſpice igitur me Deus meus, & huic meæ meditationi benedic, &c.

Capvt I.

Considerabo æquum eſſe, vt rei dominus illius titulo fruatur: quare cum donatione ſuperiori die facta, mei iuris non ſim, ſed qualiſcumque ſum, tota Dei ſim, rationi planè conſentaneum eſt, vt cum poſſeſſione, titulum quoque ei concedam.

At quomodo hoc fiet? ſi te nimirum, Anima mea ita diuinis obſequiis conſecres, vt velis eius dona, non te, in tuis operibus agnoſci, & prædicari. Volo Domine volo, & ex hoc temporis articulo contrariam voluntatem omnem abrogo, & antiquo: at tu, Domine, da mihi ne vnquam quacumque oblata occaſione propoſitum meum reuocem, & à fide diſcedam.

Digitized by Google

CAPVT II.

NON ſatis vrbanus eſſet, qui profanam, pollutámque rem quampiam Deo dedicaret, priuſquam illam expiaret. Tria præſtitit, recuperato templo, impiis gentium ritibus contaminato, Iudas Machabæus.

1. Templi ad profanos vſus traducti labem ſordidatus, & cinere aſperſus defleuit.

2. Ab omnibus illud ſordibus diligenter expurgauit.

3. Magno cum apparatu & ingenti lætitia, Deo iterum illud dedicauit.

Imitare illum, Anima mea, &

1. Luge ſortem tuam, quòd cùm te Deus velut templum quoddam extruxiſſet, in quo laudes ipſius celebrarentur, tuo factum eſt vitio, vt infami vitiorum ſuperſtitione templum hoc pollueretur, in ruinámque abiret, ita vt in te ſentes, & vrticæ imperfectionum vberrimè fruticarentur.

2. Expurga igitur mentem tuam, adhibito Confeſſionis, examinis, & cuſtodiæ ſenſuum adiumento.

3. Exultanti, & gaudio triumphanti

Digitized by Google

mente, in oculis beatorum omnium, iterum te diuinæ maieſtati dedica, & conſecra: quod vbi feceris, ita conſideratè te gere, ne deinceps polluaris: quod enim Deo dicatum eſt, nefas id in profanos vſus conuerti.

CAPVT III.

ATTENDAM ad aliquos ritus, qui in conſecrandis Eccleſiis adhiberi ſolent.

1. Cerei multi accenduntur.
2. Vnctio ſacri olei adhibetur.
3. Cruces purpureæ in parietibus exprimuntur.

Hinc conficiam eadem à me præſtanda, vt me Deo dedicem: erit itaque conſecratio perfecta.

1. Cùm diuina luce mens illluſtrabitur.
2. Cùm ſuaui amoris oleo voluntas diffluet.
3. Cùm memoriæ meæ Crux, Paſſióque Seruatoris mei perpetuò obiicietur.

O te beatiſſimam, Anima mea, ſi in te harum rerum impreſſa veſtigia deprehendas: ſponſo ſiquidem dicto audiens fueris, cuius illæ ſunt in Canticis voces,

Digitized by Google

Pone me, vt ſignaculum ſuper cor tuum, & brachium tuum.

COLLOQVIVM.

Da Domine, da obſecro felicem illam ſortem: vt ita nomini, gloriæque tuæ data, dicatáque ſim, profanæ vt vitiorum ſordes nunquam cor meum contaminent.

Quanto igitur maximo animi conatu poſſum, ego me tibi Pater æterne do, dico, & conſecro, in communione illius dedicationis, quam tibi filius tuus Dominus noſter fecit, cùm plebi à Pilato exhibitus eſt cruore proprio manans, flagellis conciſus, ſpineo ſerto redimitus, atque ad te conuerſus verba illa, *ecce homo*, è Pilati ore aſſumpta vſurpauit, quibus ſe diuinæ maieſtati tuæ conſecraret: in communione, inquam, diuinæ illius oblationis, offero me tibi, & deuoueo, tibíque Deus meus dico. Ecce homo, ecce Anima ſuis olim flagitiis contaminata, nunc verò diuinis gratiæ tuæ donis expianda, tibi tuóque cultui in æternum conſecranda, patere id fieri, & ſuſcipe me, ô dulciſſime creatarum à te rerum amator, qui viuis, & regnas in ſæ-

cula ſæculorum. Amen. *Pater noſter, Aue Maria.*

Operis concluſio ad Animam piam.

POSTQVAM te Deo mancipaſti, & tam calenti amore conſecraſti, quid aliud à te, Anima ſuauiſſima, poſſim deſiderare? An ad altiorem apicem aditum tibi munire, aut ad fœlicioris otij portum appellere te poſſim, quàm vt inter optatiſſimos diuini amoris complexus ſuauiter conquieſcas?

Satis igitur magnam tibi ad facilitatem noſtra hęc via patefecit: Tempus eſt eius terminandæ: ſi in ea interdum laboris aliquid aut difficultatis occurrit, nónne iam illud quicquid erat ſuperatum eſſe mirificè te delectat? nónne ſuauitas illa, qua frueris, ſatis magnam contentionis tuæ mercedem præbet? tantáſne, tam ſinceras, & ſolidas in mundi ſinu voluptates offendiſſes? tibíne ergo impoſui, cùm hæc euentura prænuntiaui? cùm ſignificaui vocem exultationis eſſe in tabernaculis iuſtorum, neque eſſe labores in Iacob, aut dolorem in Iſraël.

Digitized by Google

Agnoſce igitur diuinam bonitatem, & gratias illi age pro immenſa in te liberalitate, & miſericordia: imitare iuniorem Tobiam è moleſta ad Ragem peregrinatione, magna cùm honoris, & domeſticæ rei acceſſione, atque adeo coniuge auctum in paternam domum reuerſum: neque enim minùs liberaliter tecum actum eſt, aut minoribus es periculis defuncta.

Tunc in Rages profecta es, cùm effuſis veluti habenis cupiditates tuas per ſæculi æquor liberè euolare permiſiſti. Occurrit tibi fluuius Tigris, cùm peccandi occaſiones abripere te tentarunt: te cõmiſiſti, cum iis adhæſiſti. Piſcis immanis, monſtrum horrendum peccati, non tantùm horrorem incuſſit, ſed dentes etiam infixit, lethalíque morſu ſauciauit, cùm ſecuram te in flagitiorum illecebris exiſtimaſti. Non diſceſſit tamen à latere tuo Raphaël, medicina Dei, Pœnitentia ſcilicet, ſed ſtatim tibi præſto fuit, téque ſanitati reddidit, cùm ſalutaribus conſiliis acquieuiſti, quæ noſtra hæc via ſuggerebat.

Hinc tibi ſic accreuit animus, vt quemadmodum Tobias exenterato pi-

Digitized by Google

ſce, cor, fel, & iecur eius reſecuit, vt iis tanquam medicamentis aduerſus dæmonis inſultus, & oculorum cæcitatem vteretur: ita tu ancipiti virtutis gladio, quem ars eadem tibi vtendum præbuit, monſtrum illud à viſceribus perpurgaſti, atque meditationum ope agnouiſti ſingulas illius partes, ſi attentè conſiderentur, ſeu culpam, ſeu pœnam illi debitam, ſeu triſtitiæ acerbitatem quam parit, expendas, non vulgare ſubſidium continere ad Sathanæ virus expellendum, oculóſque noſtros non hirundidinum fimo, ſed ſordidarum cupiditatum cœno occœcatos, cœleſti luce illuſtrandos. Ita vt non ſolùm æs tuum, hoc eſt merita bonorum operum, quæ peccatum expilarat recuperaris: verùm etiam contracto cum gratia fœdere, magnam ad ea feceris acceſſionem, auctáque ſis donis Spiritus principalis.

Poſt tuum verò reditum in optatas Dei amantiſſimi Parentis tui ædes, excepta es ſuauiſſimis eius amplexibus, qui tibi blanditur, téque dulciſſimo voluptatum rore (cuius ſuauitatem mundus ignorat, vt quæ ſolis domeſticis eius ſit reſeruata) perfundit.

Quid igitur reliquum eſt, niſi vt Raphaëlem audias, Dei beneficia vt agnoſcas, & prædices monentem: Proſtrata ergo ſuppliciter in faciem, erumpe in has voces cum Tobia, *Magnus es Domine in æternum, & in omnia ſæcula regnum tuum: Quoniam tu flagellas, & ſaluas: deducis ad inferos, & reducis.* Meæ verò quænam ſunt partes, niſi vt tecum laudem, benedicam, & gratias habeam; laudem pro immenſa miſericordia; bene dicam pro beneficiis collatis; gratias habeam quòd hac opera noſtra vti volueris: Laus igitur ſit tibi Deus meus, benedictio, & gratiarum actio, in qua finem ſcribendi facio: vobis tamen ô impij, priùs cum ſanctiſſimo viro compellatis, *Conuertimini peccatores, & facite iuſtitiam coram Deo, credentes quòd faciet vobiſcum miſericordiam ſuam. Confitemini Domino in bonis veſtris, & benedicite Deum ſæculorum, vt reædificet in vobis tabernaculum ſuum, & gaudeatis in omnia ſæcula ſæculorum. Amen.*

FINIS.

Digitized by Google

INDEX RERVM quæ hoc opere continentur.

A

ADORATIO numinis manè facienda, 336
Adoratio magorũ, 490
Aduerſis in rebus medicamentum, 357
Affectiones immoderatæ quantam perniciem creent, 48. vel inuitò exuendæ, 53. Illarum reprimendarum praxis, 76
Affectus voluntatis in meditatione, quęnam præcipui, 111
Afflictiones animi quomodo curandæ, 361. à Deo permittuntur etiam in iuſtis, quam ob cauſam, 367. conſolatio afflictorũ, 361
Amor, qui verus, qui vitioſus, 380. diuerſa ſimul amare non poteſt animus noſter, 34
Animæ noſtræ immortalitas, 197. probatur ex diſſimilitudine ipſius & corporis, 197. ex communi populorum conſenſu, 198. ex eo quod ſit materiæ expers, 202. ex diſcrimine cum anima belluarum, 208. ex differẽtiâ hominis & animantium cęterarum, 212
Animæ nobilitas, 641. de illius cum Deo coniunctione, 648. ſigna eiuſmodi coniunctionis, 652. animæ ſe totã Deo permittentis ſtatus, 657
Archiſynagogi Iayri filia ſuſcitatur, 559
Aſcenſio Chriſti, 627
Athei confutantur ra-

Digitized by Google

tionibus è naturâ petitis, 224. politicis, 236. ex hominis ipſius naturâ, 246. è medicorum arte, 250. è rerum ſpecie differentium connexione, 260. ex hominis facultatibus diuerſis, 264. ex morbis naturalium cauſarum efficientiam ſuperantibus, 265. è morbis miraculo ſanatis, 271. ſuperioris & huius ſæculi athei, 278. Theologica contra atheos arguměta, 281

B

Baptiſmus Chriſti, 5
Beatitudinis cupiditas homini innata, 32. extingui non poteſt, 74. deberet odium peccati afferre, 172
de 8. Beatitudinibus, 516
de Beneficiis diuinis, 440
Bona vitæ præſentis quă caduca, 54

C

Chriſtus hominum reparator, 24. illius diuinitas paupertatě confirmata, 177. prophetiæ in illo comprobatæ, 190. de Chriſti morte, 434. de Chriſto in templo oblato, 495
Cogitatio rerum à Deo creatarum fructuoſa, 20
Collectio animi ante cœnam facienda, 346. in illâ quid agendum, 398
Colloquium ſub finem meditationis, 115. nunquam omittendũ, 115
Communio, 416. nihil eâ glorioſius homini Chriſtiano, 416. variis de cauſis obiri poteſt, 418. quomodo ſe ad eam Beata Catharina Senenſis compararet, 419. Conſiderationes ad meditationem illi propriam accommodatæ, 421. quid agendum circa communionis tempus, 423. quid poſt eandě, 425
Confeſſio, 390. quid in illâ obſeruădum, 396.

Digitized by Google

propoſitum emendationis ſubiungẽdũm, 414
Congreſſus, quæ ratio in illo tenenda, 169
Conſciẽtiæ canones ſeu regulæ duodecim, 398
Conuerſionis ad Deum forma & praxis, 76
Creatarum rerum inanitas, 37
Crucis recordatio quãti facienda, 340
D
Damnationis æternæ periculum, 48
Detractor minimè audiendus, 168. à detractione abſtinendum, 169
Deus vult omnes eſſe ſaluos, 7. ſolus poteſt animum hominis explere, 39. Dei obliuio in ſæculo, 7. 8. &c. Dei perfectiones, 40. illarum cognitio quã vtilis, 40. Dei poteſtas, 41. quod illi debemus ſolui non poteſt, 42. Dei pręſentia comparanda, 644
de animæ cũ Deo coniunctione, 648
Diuinarum rerum ſciẽtia, 21
de Diuite epulone, 525
Dubitationum genus duplex, 401
E
Emendatio vitæ quàm periculosè differatur, 56
Epularum capiẽdarum modus, 161
Excuſationes peccatorum, 11. refelluntur, 12. 14
Exercitatio quotidiana, 336. prima eſt, obſequium Deo præſtare ſéque illi offerre, 336. 2. recordari mortis & paſſionis Chriſti, 338. 3. dolorem concipere de peccatis, 340. 4. beatę Virgini cultũ adhibere, 344
F
Finis propter quem homo conditus à Deo, 437
Fortitudo animi ad virtutem neceſſaria, 72. ſine illa nihil magnũ effici poteſt, 72

de

G

de Gloria cœleſti, 466
D. Gregorius ſancti Spiritus afflatu ſcripta componit, 175. cur columba ad illius aurem appicta, 175

H

Homo quid ſit, 52. quã infirmus & caducus, 54

I

Ierichuntinus ægrotus, 551
Incarnationis myſteriũ, 474
Indolentia Stoicorum refutatur, 350
Inferorum pœnæ, 460
Ingratitudo extrema, 9. & 10
Intellectus munus in meditatione, 107
Iracundiæ moderatio, 374. Illius comprimẽdæ rationes, 377
Iudicium extremũ, 454

L

Lætitia bene temperata, 371
de Lazaro, 559
Licentiæ vita ad inferos deducit, 51

M

D. Magdalena, 533
Matrimonium, 15. qua in illo ſeruanda, 157
Matutini temporis munus, 101
Meditatio quotidie facienda, 104. ad eam præparatio adhibenda, 105. quomodo inſtituenda, 105. de intellectus munere in meditatione, 107. de actibus voluntatis 110. monita quædam vtilia meditationi 116. argumentũ meditationis, 123. variandum, ibid. diuerſarum meditationũ vſus, 128
in Menſâ qua ratio tenenda, 161
Menſe quolibet quid obſeruandum, 135. explorandus animi ſtatus, 135
Miſſæ ſacrificium, 14. quantum proſit iis à quibus crebro auditur, 144. præparatio ad illud audiendum, 146. quid in eo au-

diēdo præſtandū,148
Moderatione viri alicuius pij & docti vtēdum, 98
de Morte, 448. Mortuus adoleſcenti mirabiliter apparet, 219
Mulierum nonnullarū culpa in precibus obeundis, 155
Mundi peruerſitas, 24
Muneris ſui habenda ratio in officiis pietatis, 154

N

Naimiticæ viduæ filius ſuſcitatur, 559

O

Occupatio nulla impedit ſalutem, 16. occupationes immoderatæ declinandæ. ib.
Odium peccati concipiendum, 20
Oratio ad Deum pro peccatorum conuerſione, 28. de oratione Dominica, 521
Otium vti fugiendum, 163

P

Paſſio Chriſti, 578
de Paralytico in piſcinâ ſanato, 454
Patientia, 351
Patronus Sanctorū aliquis menſe quolibet eligendus, 133
Peccator ad conuerſionem incitatur, 31 Peccatoris Deum laceſſentis ſtultitia, 45
de Peccatis, 444. peccati malitia, 61. damna, 62. ad illud requiritur voluntas, 400
Peccatis ſingulis pœnæ ſingulares paratæ, 67. vitæ præterita peccata anxiè nimis non retractanda, 99
Pecuniæ in quæſtum conferendæ licita ratio, 315. ex triplici cōtractu vel vno tribus pari, 319.323
Periculum ſalutis in mundo, 27. periculum hominis rebus terrenis affixi, 35
Pœnitentiā differre quā periculoſum, 59.60
Pœnæ ſceleratis inflictę, 46. peccatores admonent, ibid.
de Prodigo decoctore, 551

Digitized by Google

R

Religioſorum vita tutior, 23

de Reſurrectione Chriſti, 627

S

S. Sacramenti inſtitutio, 567. dũ extollitur quid agendum, 150

Salutis procurandæ ratio triplex, 19

de Samaritana, 567

Sanctorum omnium feſto die quid meditãdum, 139. ad veſperam, de morte illiúſque adiunctis cogitandum, 139

Seculi corruptela, 8. 23. de illa ſubtile Philoſophi dictum, 23

Sermo bonus in cõgreſſu tenendus, 171. eius inducendi quinque rationes, 171. ex occaſione, 173. ex quęſtione, 187. ex illatione, 196. ex narratione, 218. ex propoſitione, 300. commendantur rationes illæ & earum vſus, 327

de Spiritus S. miſſione, 627

T

Templo quid reuerẽtiæ adhibendum, quale ſit malum in illo garrire, 156

de Tentatione Chriſti, 502

de Transfiguratione Chriſti, 508

Triſtitia cauenda, 349. vtilis eſt quâ crimina expurgantur, 349

V

Vitæ præſentis vanitas, breuitas, fallacia, &c. 27. Vitę delectus quomodo inſtituẽdus, 153. vitæ licentioris pœnę, 64. 65

Virtutis cõparandæ ratio & adiumenta, 96

de B. Virgine D. Eliſabetham inuiſente, 478

de decẽ Virginibus, 525

Voluptas vera in via virtutis, 84. voluptatibus quæ dãna pariãtur, 37

Vſuræ prohibentur, 303. Regum & ſupremarũ curiarum edictis, ibid. & 306

FINIS.

Digitized by Google

Errata.

PAg. 11. lin. 5. leg. vulgi. pag. 15. lin. 15. leg. confecto. pag. 16. l. 27. dele
deberent. pag. 17. lin. 6. deberent. pag. 22. lin. 8. pro lucrum. leg. homi-
num. 25. 7. dolemus. 11. anima. &, Ita te. 28. l. 26. offuſam. 29. 11. dele for-
mident. 40. l. penult. roboret. 45. 24. concitati. 51. 1. æternam. 59. 18.
dele afflicta. 60. 19. oblata. 61. 7. angelum. 64. 2. perpotas. 4. exiſtis.
27. quæ. 68. 10. infligunt. 71. 2. neſciam. 75. 19. exaggerationibus te. 81.
11. tibi. 19. eâ. 83. 20. in ignem. 21. cuius. 85. 8. numerato. 95. 12. quantam.
97. 8. abditiſſimos. 26. laberis. 101. 3. propoſiti. 111. 7. varij quidem illi af-
fectus. 8. cui apti ſunt. 26. quâ. 112. 26. ſectari. 115. 18. præſentiâ. 120. 13.
appetitibus. dele his. 122. 1. ſeruiat. 126. 19. viâ. 128. 11. ad. 133. 6. cogita-
tionem. 134. 1. excepi. 145. 7. erecti. 157. 2. fanis. 3. poſt Dauid. hæc
adde. Dij eorum ſunt dæmonia. at in ædibus veri Dei qui cœlos forma-
uit, nihil eſſe debet præterquam confeſſio & pulchritudo in conſpectu
eius, ſanctitas & magnificentia in ſanctuario ipſius: nihil autem illic
niſi de diuinis laudibus loquendum. Id muneris, &c. 173. 22. ad iocan-
dum in re. 174. 18. arrectiſque. 175. 17. eſſe. & , penitus ſibi. 178. 5. pro
velle. leg. vel. 11. iniuriis. 181. 17. nihil non exploratum. 182. 10. capitis
arceſſitus. 190. 3. inſtigat. 16. comprobatæ. 191. 15. illa. 199. l. vlt. ſe. 202.
5. vi. 203. 1. vacamus. 206. 4. intentus. 209. 2. temporibus. 17. veritatis.
18. dele &. 212. 3. moneat. l. vlt. notiones. 213. 4. abiecit. 214. 2. fato. 17.
non eam animorum. 217. 11. Theologo. 218. 17. erat in ore. 220. 7. ſuos.
221. 3. confectis. 222. 13. enimuero. 224. 1. anatomicæ. 19. animis. 227.
7. catinos. 13. penitus. 15. articulatâ. 229. 10. dele eſt. 233. 10. quolibet.
236. 14. fortunæ. 241. 7. concordia, & 244. 7. támque 19. illum. 254.
17. rimis. 256. 12. ſtillatitiam. 257. 25. ſubactam. 259. 10. prædita. 260.
25. nouerit. 264. 17. dele tum. 24. adde ſicut eiuſmodi. 266. 25. quo-
cumque. 267. 18. ex quo. 271. 17. glandulas. & 273. 2. cum rabie. 274. 24.
perrexit, 280. 9. multos. 284. 18. præbent. 287. 7. dele ornati. 294. 26.
efficitur. 298. 23. poſſit. 302. 1. verùm. 306. 14. annui. 312. 8. ex animo.
319. 15. damni periculum. 324. 5. hæc. 326. 15. affectus. 343. 11. gratiæ.
346. 1. & vota. 353. 13. ſit cum merito præmioque coniuncta. 373. 10.
euagationum. 375. 11. vulneri accommodent. 19. mortales. 388. 9. dele
quid. 399. 21. rei obiectæ. 424. 19. contorqueris. 426. 8. in effuſiſſimas.
428. 5. iam. 430. 11. cogitaui. 439. 10. aſſe quendam. 444. 2. depingam.
450. 1. indicta. 462. 27. ad oram. 463. 23 arenam. 471. l. vlt. dele grati.
476. l. vlt. decurſu. 496 lin. vlt. impurarum. 524. 9. ab eo. 535. 7. forum. &
590. l. vlt. gratam. 607. 3. aliquam. 610. 1. iſta tam dura. 633. 2. locupletaret.
639. 11. dele accedat.

Digitized by Google

Digitized by Google

8-1

Digitized by Google